DE VITA ET MORTE P. IGNATII AZEVEDII ET SOCIORUM EIUS E SOCIETATE IESU. LIBRI QUATUOR...

Pierre Poussines, Lorenzo Bulbul




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 E
23 M

Liber ab Autore dono datus
P. Laurentio Bulbul

DE VITA ET MORTE P. IGNATII AZEVEDII ET SOCIORVM EIVS



E SOCIETATE IESV.

LIBRI QVATVOR

Autore Petro Possino eiusdem Societatis.



ROMÆ, Ex Typographia Varesij. MDCLXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVER.DIS PATRIBVS & Carifs.mis Fratribus Societatis Iesu

Provinciæ Brasiliæ

Petrus Poffinus eiufdem Societatis

Pacem & Salutem in Christo Iesu veram.



Agnam rem sibi fecisse videbatur Calviniana Hæresis suppetias Infidelitati Brasilicæ veniens, quòd deprehensam in Mari dum ad Vos tenderet, Ignatianam Azevedij Cohortem, immissis in eam Piratis suis immanibus, trucidaverat. Caeterùm tam longè à Voti dementissimi Scopo aberravit, ut profuerit hoc agendo quibus nocere cogitaverat, Cladem autem acceleraverit suorum & suam: dum Iesu Militibus impedimenta duntaxat Prælij detraxit: Instrumenta Victoriæ expedita sic ipsis & ad usum exerta promptiorem

efficiens. Rem aspicite in Sacra Gedeonis
Iudic. cap. 7. Historia monstratam. Trecenti Velites quos debellandis Madianitarum & Amalecitarum Myriadibus plurimis divina designaverat Electio, triplici eaque satis inopinata instructi Armatura prodiere, lagenis, lampadibus, & tubis. Sed usus armorum istiusmodi ea mirabili administrandus observatione præscribebatur, ut ante omnia confringerentur lagenæ fictiles: Lux deinde lampadum oculos Hostium perstrictura vibraretur; Tubarum sonus terrificè auribus intonaret consternandarum per eum & metu fugandarum solo barbararum Legionum. Quid egit Tyrannus Soria Brasilianum interficiens Azevedij Manipulum? Vasa fictilia confregit: hoc est, impedimento solvit accinctos ad prælium Milites; velamen amovit obstans radijs lampadum; Dextris tubas tenentibus commoditatem addidit eas ad os admovendi & spiritu inflandi, quo erat hostilis Acies in stragem universa commutanda. An non eventu manifestè patuit, ita se rem habuisse ut dicimus? Absumptis crudelitate insidiantium Latronum Corporibus fortissimorum Pugilum qui vobis istùc commilitaturi properabant; contritisque sic testeis lagenis; præparata

eo quasi præludio Pugna est, incitatusque Triariorum impetus, luce inde iaculandâ Facularum, intendendisque Classicorum bombis, desponsam ipsis è Cælo victoriam usurpantium. Nova *enim* Bella, *ut verè cecinit Debbora*, elegit Dominus *Dum suæ Crucis & Necis exemplo demonstravit: Expeditionibus ad subijciendas Evangelio Gentes susceptis, non alio certiùs modo quàm Aggredientium morte, superari. Mirum quidem, sed indubitatæ veritatis oraculum est, verbis illis Evangelij symbolicè conceptum*: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. *Nimirum, ut idem alibi Dominus ait*: Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. *Denique non mucrone Chalybis, non ferri acie; at, prout docet palmarum huius generis plurimarum Athleta Paulus*, gladio Spiritus, *in his Campis decernitur. Salva ergo res est, & fortuna Partis melioris abundè stat Vobis, etiam post interceptos interfectosque hos Commilitones Vestros: imo florentiori nunc statu est. Testæ Lagenarum conquaßatæ ceciderunt*: Faces inde fulgo-

Iud. cap. 5.

Ioan. Evang. cap. 12.

Io. Ev. cap.6.

Eph. cap. 6.

rem exeruere : *Spiritus Tubas implevit : territæ hinc ſtratæque adverſariæ Phalanges plenum glorioſumque præbuere Chriſto & Eccleſiæ de Superſtitione, de Barbarie, Triumphum. Ad vos pervenerunt Faces & Tubæ occumbentium in itinere Fratrum. Vobis ſuum expirans in Mari Azevedius tranſmiſit Spiritum. Ille vos animans toto iſto, quod ab eius iam obitu excurrit, Sæculo, innumeris detractis Impietati Victæ Spolijs ditavit: per eum ſupra Idololatriam & ſpurcitiam Morum ope veſtra emendatas, Puræ Fidei Sanctæque Converſationis Trophæa ſplendida erexiſtis. Vulgò negant, è ſemine in arenam iacto Meſſem provenire. En quanta è coniectis etiam in Mare generoſis Granis, quanta, inquam, Religionis & Gratiæ in Terra iſta Braſilia Seges viruit, floruit, hodieque matura demetitur. Pergite porrò, uti dudùm ſtrenuè cepiſtis, Miſſi à Cæleſti Patrefamilias Operarij, exercere falces Evangelicas in hac alba iam Meſſe: & ad fortunandum laboris iſtius veſtri ſucceſſum; prætereaque ad ſpem omnem Eccleſiaſticæ Politicæque Proſperitatis per iſtas Oras univerſas, Urbes, Portus, Oppida; ſimul etiam Collegia, Domos, Miſſiones florentiſſimæ veſtræ ac*

nu-

numerosæ Provinciæ, Præsidium maximum in Azevedij Comitumque eius, nunc Christo, ut fas est credere, adstantium, & apud Deum gratiosorum, Patrocinio, Tutelaque constitutum putatote. cuius & experimentum capere licuit in mira Terræ istiuc Liberatione ab Hæretica Tyrannide. Anno 1595. Rupellenses Calviniſtæ classe armata ingenti Bayam Brasiliæ Metropolim exscindere tentarunt. repulsi, fracti, cladis dedecorisque pleni recessere. Occursantibus videlicet contrà, iam immortalibus è Cælo, quorum istùc quondam euntium mortalia Corpora, velut vasa lutea, contriverant. Pernambucum postea, Olindam, & uberes illas Oras, occupatas sat diù tenuerunt Eorumdem Symmystæ Orgiorum Batavi. Trimestri paucorum Bellatorum opera inde omnes sunt eiecti. Etiamne hoc creditis sine Præstitum Brasiliæ Cælitum præsenti ope contigisse? Hæc mihi memorata hactenus simul cuncta persuadent: haud ingratam hanc Vobis futuram, quam non indiligenter elucubravi, Azevedij & Sociorum eius Vitæ ac Necis Historiam. Vestra equidem huic insudavi potissimùm causa; Vobis præsertim gratificari, Vos delectare studens. Cuncta de his edita ineditaque Monumenta,

mo-

mora temporis longa; indefeßis & patientia & ſtudio, ſcrutatus; quàm clarißimè & ordinatißimè potui, ex ijs elicitam ſeriem rerum univerſam digeßi, connexui, expoſui. Fruimini ſucceſſu eius operæ, ſi quis eſt: tolerate autem & benignè condonate quos multos debilitas conantis non nimis facili per ſe ſe negotio defectus immiſcuit: Meque veſtrum Supplicem, aſperſione dignatum quadam ingentium veſtrorum ex vita iſthic Religioſa & Apoſtolica Meritorum; etiam ſuffragijs Precum Sacrificiorumque veſtrorum iuvare ac conſolari ne gravemini. Valete.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpoſitus Generalis Socie-
tatis Ieſu.

CVm Hiſtoriam Vitæ, & Mortis P.Ignatij Azevedij, & Sociorum à P. Petro Poſſino noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptam, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur; cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſolitoque ſigillo munitas dedimus Romæ 22. Auguſti 1678.

Ioannes Paulus Oliua.

Li-

LIbrum qui inscribitur ; De Vita & morte P. Ignatij Azevedij, & Sociorum eius, è Societate Iesu, Autore P. Petro Possino eiusdem Societatis, ex commissione Reverendiss. Patris Raimundi Capizucchij S. Pal. Apost. Mag. attentè inspexi; &, quæ in eo continentur, piam redolent lucernam; nihil, quod Fidei, aut Christianæ Ethicæ, aut sacris Pontificum decretis adversetur, reperi; ideoque dignum, qui prælo subijciatur, existimo. Romæ ex ædibus Sanctorum Vincentij, & Anastasij in Trivio, Idibus Septembris 1678.

Laurentius Bulbul Clericorum Reg. Minorum Sac. Congr. Indicis Consultor.



Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædic. Sacri Pal. Apost. Magist.

PRO-

PROTESTATIO AVTORIS.

CVm Sanctiss. Dom. Noster Vrbanus VIII. die 13. Martij 1625. in Sacra Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis Decretum ediderit; idemque confirmaverit die 5. Iulij anno 1634. quo vetuit imprimi Libros Hominum qui Sanctitatis seu Martyrij fama Celebres è vita migraverunt, Gesta, Miracula, vel Revelationes, seu quæcumque Beneficia, tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631, ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè & quæ cadunt super personam: benè tamen ea quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit autoritas ab Ecclesia Romana: sed fides tantum sit penes Autorem: Huic Decreto eiusque confirmationi & declara-

ra-

rationi obſervantia & reverentia qua par eſt inſiſtendo: profiteor: me haud alio ſenſu quidquid in his *quatuor Libris de vita & Morte Ignatij Azevedij & Sociorum eius*, refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent quæ humana duntaxat autoritate; non autem divina, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, nituntur.

Petrus Poſſinus.

DE

DE VITA ET MORTE IGNATII AZEVEDII

Et Triginta novem eius Comitum è Societate Iesu.

LIBER I.

CAP. I.

Ignatij ortus, Adoleſcentia, & Rerum humanarum abdicatio. Henrici Goveæ, qui eum Chriſto eſt lucratus, vitæ ſumma.

IGNATIVS Azevedius vnus ex illo ætate omni perexiguo Mortalium numero fuit, in quos ſumma diverſiſſimorum generum de-

cora congesta, dubium admirantibus relinquunt, qua potissimùm laude præ cunctis emineant; cum in quovis ordine primas sibi excellentiæ vindicent. Nimirùm is fuit, primùm in vita sæculari flos ipse Lusitanicæ nobilitatis; nullo admodum animi aut corporis ornamento carens quod ad absolvendum omnibus numeris Illustrissimæ Familiæ Principem requireretur; deinde Idem extitit in Regulari professione, virtutum, quæ illam ornant, universarum speculum lucidissimum, atque, ut sic loquar, compendiarium exemplar. Quippe quo nemo alius in sui despicientia, in cupiditatibus frangendis, in ultrò usurpanda asperitate victus ac cultus, admirabilior observari potuit; nemo eodem divinarum rerum assidua contemplatione sublimior: signis etiam præcipui Dei favoris naturæ vires excedentibus non raró commendatus: nemo in Regimine Domesticorum prudentior, nemo in Exteris per apostolica officia Religioni aut vitæ sanctiori conciliandis ferventior & effica-

1 Ignatius Azevedius raro cócursu dotium & laudum diversarum singulariter excellens.

cacior. Super quę, ſingula per ſeſe maxima, cum acceſſerit Decus obitæ pro Chriſto generoſiſſimè mortis, perductorumque ad eandem gloriam multorum, quis non fateatur æquus æſtimator rerum; nullam ab eo Chriſtianæ claritatis partem abſuiſſe?

II. Peperit hunc ferax Heroum Luſitania in Civitate cui Portus eſt nomen, anno ſuperioris Sæculi circiter duodetrigeſimo, Patre Manuële, antiquiſſimarum Domuum Ataydiæ, Malafayæ, & Azevediæ ſtirpes & iura hereditaria in ſe vno colligente: quarum familiarum iam tum à temporibus Ioannis Primi Regis, bellis in utraque, Europæ atque Africæ, Continente plurimis geſtis, heroica facinora permulta Veteres Luſitaniæ Annales cum eximia laude memorant. Inde ſerie continua Azevedij Proceres, Legationibus, Magiſtratibus, belli togæque Præfecturis, optimo ſemper ſucceſſu, Regno ſervierunt: noviſſimèque alter Manuelis filius, Ignatij noſtri germanus, natu minor, Frater, Hieronymus Azevedius, Indias ſu-

2 Patria & tempus ortus eius.

3 Nobilitas ſtirpis ipſius.

prema poteſtate pro Rege gubernans, Ceilanum, opimam Inſulam, Imperio Luſitanico adiecit. Tali genere in lucem editus Ignatius, conſentanea gloriæ natalium educatione per artium Viros nobiles decentium rudimenta omnia circumductus eſt, miris ubique profectibus; ut nec in Literarijs Exercitijs, nec in Equeſtribus meditamentis militarium artium, ulli ferè cederet æqualium; præſtantia verò ingenij, facilitate indolis, candore morum, & amabiliſſima innocentia, pleriſque præferretur. Inter hæc ſtudia anno ætatis undeviceſimo maturæ iam & ſui potenti adoleſcentiæ admotus, eximiam avitæ hereditatis partem, quę ipſi Primogeniti iure competeret, per ſe ſe adminiſtrandam accepit; ſegregatus à Fratribus, & Patris, ſatis perſpecta eius indole confiſi, arbitrio exemptus. Hic proprijs videlicet auſpicijs res gerens, clariora, nullique iam alieni ductus exceptioni obnoxia, præclariſſimarum omnis generis Dotium edendo ſpecimina, oculos in ſe favoremque non Civium modò, verùm

4 Educatio eiuſdem & profectus in omni decore;

5 Ingenij præſtantia coniuncta puritati morum,

6 Emancipatùs à Patre adhuc Adoleſcens ſe ac Familiam honeſtiſſimè gubernat.

rùm Summatum quoque Regni ac Principum citò vertit; ſuſpicientibus paſſim & laudantibus cunctis in ſpecioſo flore robuſtæ Iuventutis, comem gravitatem, dexteritatem ſapientem, congreſſuum ſermonumque promiſcuorum accomodatam perſonis & occaſionibus prudentiam, in cultu ſplendorem expertem luxus; in delectu habituque Familiarium, ac tota diſpoſitione ſpecieque Domus, magnificentiam gradui conſentaneam, frugalis modeſtiæ quodam quaſi conditam ſale: Dei timor elucebat ſuper omnia, & Chriſtianorum officiorum, quantam aulica & militaris vita caperet, diligentia.

III. Tam florentem naturæ fortunæque muneribus, optimarum & artium & partium Iuvenem, cui primos in Republica honores, cui ſummas in Militia dignitates, vota Propinquorum, deſtinationes Sapientum vulgò deſpondebant, detrahere de medio tantæ ſpei curſu, & Mundi blandientis ulnis abreptum, in Chriſti Caſtra Cruciſque amplexum compellere

unus homo potuit: cuius, antequam iſtud inopinatiſſimum conſilium, euentu perpetratum felici, refero, notitia hic à me brevis informanda Lectoribus eſt. Domicilium habebat in Vrbe Porto, & quidem ferè contiguum Azevediorum Ædibus, Henri-

7 Henrici de Govea conuerſio ad Deum, & Sancta poſt hanc vita.

cus Nunnez de Govea indidem Civis, clarus & ipſe genere, affluenſque opibus. Hic aliàs in iuventute latiorem ingreſſus parùm æterna curantium viam, ex irridere ſolito &, pro ſuperſtiosè atque aniliter ſedulis dicacitate traducere, diligentiores in cultu Chriſtianorum officiorum, Confeſſionis præſertim atque Euchariſtiæ ſalutaria Sacramenta frequentantes; ita Franciſci Stradæ noſtri concionibus auditis in Virum alterum mutatus fuerat, ut iam nemo illo in vita ſæculari religio-

8 Vxori perſuadet ut caſtitatem ambo cómuniter voveant.

ſior, nemo ſanctior haberetur. Vxori lectiſſimæ feminæ, Beatrici de Madureira, perſuaſit, ut ambo caſtitatem in coniugio colerent, ad idque voto ſe obſtringerent; Filiorum interim infimæ adhuc ætatis, officio educandorum prohibiti, ne, ſe, quod optabant, abdi-

catis omnibus, professioni Religionis; ipse in Societate Iesu, illa in Sanctimonialium S. Claræ Cœnobio, palàm darent. Dum istorum maturitas consiliorum ea quam dixi mora pendet necessaria, Govea, Oeconomo fideli Domesticarum rerum administrationi præposito, humilibus iam solutus curis, se totum in meditationem rerum cœlestium immersit. multis quotidiè horis contemplationi, aut sacræ lectioni vacans; circum aras in Templis magnam diei partem exigens: reliqua tempora solandis ferè per Nosocomia publica inopibus ægrotis tribuens; quo secum, simul sequi per ætatem potuere, Filios ducebat: eos in cæteris ita instituens; vt illa non tam nobilium Puerorum in paterna Domo fortunis copiosa, quàm Novitiorum in severæ Religionis Tyrocinio, Educatio videretur. Constititque huius fructus qualem augurari pronum fuit, emendatissimis Liberorum moribus; qui omnes simul attigere pubertatem, in religiosas volentes transcripti sunt Domos; Tres Mares

Tres Filios & Filias ita instituit, ut spontè omnes in Religiosas coopta ti Familias, in ijs sanctè vitá peregerint,

res in Sodalitia Virorum, Puellæ duæ (alij a tres numerant) in Virginum Contubernia ſponte immigrantes. E tribus ſexus melioris, vnus Capucinorum Sacrum ingreſſus Ordinem, in eo & diù laudatiſſimè vixit, & ſanctè demùm obijt: Quod videtur ignoraſſe Autor alioqui bonus, dum tres Goveæ filios Noſtris adſcribit. At ex his tantum duo noſtram amplexi Societatem, magnis eam exemplis rebuſque geſtis illuſtrarunt; Prior quidem Chriſtophorus de Govea, merito Dotium præſtantium virtutumque maximarum, promotus in Magiſtrum Novitiorum, Rectorem Collegiorum Vlyſſiponenſis & Eborenſis, Socium Viſitatoris Braſiliæ, Præpoſitum Domus Profeſſæ S. Rochi, denique Provincialem Luſitaniæ, eximiè ubique ſatisfecit. Alter Ioannes de Madureira materni nobilitatem Generis nomine præferens, perfunctus & ipſe Rectoratu Collegij & Præpoſitura Domus Vlyſſiponenſis, Archiduci Alberto, quamdiù Luſitaniam pro Rege Philippo II. gubernavit, cariſſimus, & à con-

a Sacch. P.2. lib. 4. num. 158.

consilijs intimus fuit. In Brasiliam, deinde disseminandi illic Evangelij studio dum navigat, captus ab Anglis Hæreticis, moxque ærumnis captivitatis in eorum Navi mortuus, similem Martyrio è vita transitum est nactus. Patri horum nec collocatis, uti destinaverat Filijs, ipse iugum Religiosę Obedientiæ, prout constituerat, subiret, impedimento morbus fuit ex caritate contractus, dum ultrò peste laborantibus ministrat, in procinctu eum tanti cepti opprimens; cuius tamen vi priusquam absumeretur, vota Societatis Iesu à Probatis in ea per biennium emitti solita, concessu quorum oportuit, ex consueta formula ritè concepit: tum secretò Coniugi vocatæ communicavit tria quædam, sibi, ut aiebat, revelata divinitùs: Primùm, se unum ex Electis ad cœlestis Regni possessionem certò esse; alterum, sibi diem proximum S. Benedicto Sacrum vitæ mortalis supremum fore; tertium, ipsam post decimum inde vertentem annum, simili anniversaria Divi Benedicti recurrente luce, ad se

10 Morbo contracto ex caritate moriens Govea, uxori tria prædicit, postea eventu patrata.

ſe in Cœlum evocandam. Harum prædictionum quæ perſpici eventis fides potuit, abundè in obitu eſt ipſius Henrici & eius Viduæ probata: felicitatis æternæ utrique promiſſæ ac collatæ, quæ pars erat potior vaticinij, experimenta manifeſta vitæ nobis mortalis cæcitas negat; opinionem multò veriſimillimam Dei bonitas, & nota utriuſque in Fide & Caritate Dei perſeverantia uſque ad extremum ſpiritum, ſuggerunt. Quam & confirmat

11 Corpus eius decenniò poſt mortem incorruptum & ſuavem odorem ſpirans repertum.

ſignum aliud divinæ erga Henricum etiam poſt mortem benevolentiæ durantis, in Vxoris ipſius funere compertum. Cum enim prænunciato exactè tempore defunctam illam Cognati, ut in Viri Sepulcrum inferrent, Henrici Goveæ Monumentum in noſtri Portuenſis Collegij Templo aperuiſſent, Cadaver illius decenniò ante ibi conditum, prorsùs incorruptum, inſuperque ſuaviſſimum odorem ſpirans, repererunt; cuius rei teſtis fuit univerſa illa Civitas, ad rem tam miram viſu & ſenſibus uſurpandam paſſim accurrens.

Hic

IV. Hic Vir tantus, maturè adiectis in Ignatij Azevedij adolescentiam piæ cupiditatis oculis, Christi eum obsequio conciliandi flagrans desiderium concepit. In eam spem desueta iamdudùm civilis humanitatis officia eatenus resumpsit, ut Domus Azevediæ limen, quasi pro viciniæ necessitudine, frequenti visitatione tereret: comibus subinde Ignatium alloquijs in cœlestium rerum curam, humanarum contemptum, studens adducere. Non parùm equidem crediderim tam sancti Amici consuetudinem Ignatio profuisse; adeòque magnam partem laudis, quæ haud parva Iuveni debetur in plena libertate circumdato irritamentis deliciarum, lubricum ætatis inoffensa virtutis ac continentiæ fama emenso, iure is putatur Goveæ consilijs exemplisque debuisse. Non huic tamen satis erat innocentem habere, quem perfectum cupiebat: ac quamquam temperabat prudentia sermonem; gradibusque suasionem aptis distinguebat; primùm magis necessaria Dei timoris, & fugæ peccatorum

12 Govea in familiaritatem Azevedij se insinuat, studio eius in spiritu iuvandi.

13 Ars eius in Azevedio sensim provehendo.

præcepta ſubſternens, quò deindè his velut fundamentis ſolidis manſurum Turris Evangelicæ ſuperſtrueret faſtigium , numquam tamen remittebat contentionem indefeſſam eius ſemper ad ulteriora maioraque provehendi. Porrò in longo curſu lentæ iſtius curationis cum aliquandò inaudiſſet, Sponſam Ignatio conquiri, nec ipſi à Nuptijs abhorrenti; brevem lucri occaſionem ratus , experiendum ultimum inſidiantis pridem aucupij conatum ſtatuit, prius utique quàm præpes præda, cui dudùm inhiarat, irrevocabiliter avolaret. Receſſerat Ignatius, prout interdùm erat ſolitus, in Caſtrum *Barboſam* dictum. Agri hoc opimi, amnes inter Minium ac Durium, caput eſt. Ditio Avita Primogenito Domus Azevediæ propriè addicta, iure, ut illic appellant, Maioratus. Iſthuc ex Vrbe Porto ad millia paſſuum viginti inopinatiſſimè Henricus excurrit; hoſpeſque inexpectatus humaniter exceptus , admiranti haud conſentaneam Homini qui omnes dudùm remiſſiones abdicaſſet,

otio-

otiosam evagationem in Rus amœnum, citò fassus Ignatio Govea est: rem se momenti longè maximi; quippe unde salus ipsius & universa felicitas penderet, cum eo tractatum advenisse. *Nempe, ut audio Ignati*, ait, *in Coniugij procinctu ineundi es. nec laborem in eo tuum video alium fore, quàm eligendi è nobilibus, formosis, locupletibus Virginibus, quæ multæ certatim offerentur, unam omnium præstantissimam & Te dignissimam. Haud equidem id dissuasurus veni: sed memor & dolens prolapsum me occasione simili, admonendum carissimum mihi caput pro amicitia putavi, ut in quem impegi, scopulum vites. Ego quoque olim ista qua nunc flores ætate iugum Matrimonij subij: sed non, uti debueram, consulto priùs Deo; quod cum in cuiusvis auspicijs negotij periculum habet magnum, tum in electione immutabilis Status, perniciem affert capitalissimam. Maxima infelicitatum humanarum, caligo est late cuncta obducens, ubique offusa mortalium sensibus, boni, mali, utilis, noxij, sequendi, fugiendique discrimen celans, blanditias obtendens insidijs, præcipitia subtus hiantia inspersis super fragilem glaciem flosculis abscon-*

14 Oratio Goveæ ad Azevedium nuptias cogitantem.

ſcondens. Splendidis infortunijs, ſpecioſis tormentis, venenis dulcibus plenus Mundus eſt. Quàm multis Diadema voto anxio quæſitum, ſudore partum ac ſanguine, laqueus tandem fuit? Quàm multos ſuprema culmina Dignitatum, ad quas ærumnis diuturnis, ſudoribus extremis, ſerò erepſerant, in tragicas ruinas devolutos proturbarunt? Nemo quid ſibi expediat ſatis novit. Ipſi mortales Patres, non volentes illi quidem, ſed priùs miſerè decepti, poſteà pernicioſè fallentes, venenum pro pane, ſerpentem pro piſce, ſcorpionem vice ovi Filijs plerumque porrigunt: dum humanas tantùm ſecuti rationes, de Vitæ ijs conditione provident. Vnus eſt noſter in Cælis Pater liquidò perſpectum habens, quid cuique noceat, quid proſit. Unica lux Mundi Chriſtus Ieſus eius Filius, Dux nobis in cæcæ viæ periculoſis anfractibus fideliſſimus datus: modò ne gravemur eius voces audire, conſilijs acquieſcere, monita exequi. Verùm, ut id nobis contingat, ſecedendum tantiſper eſt è vitæ ac Mundi ſtrepitu. Fruſtrà, quibus domeſtici tumultus obtundunt aures, divinæ vocis ſuſurros expectent: non niſi ſeductis in ſolitudinem, ad cor ſe loqui Deus ipſe profitetur. Meminiſti cum ante

Luc. xi. 12.

Oſee 2.

hoc

hoc ſexennium mecum operam illi verè Apoſtolico dares Oratori Franciſco Stradæ, quàm diſertè ac plauſibiliter hæc diſſereret, quàm certis manifeſtiſque argumentis probaret. His ego perſuaſus iam tunc uſum cepi ſeceſſus interdum aſcetici captandi. Iamque adeò ad iſtud anniverſarium ſacrarum Commentationum otium me hinc conferre Conimbricam, Te, ſi non aſpernaris, comite decrevi; non enim credo vel ſemel experiri recuſabis, quod veriſſimè confirmo, mihi ſemper ſaluberrimum fuiſſe. Te illic nimirùm tuaque circumſpiciens, lumen ad diſcernendum quid iuvet, hauries; oraculum conſules de rerum tuarum perplexis ambagibus non fallax. Sic explorata Cæli de Te ſententia, ingredieris auſpicatò quam rectam intellexeris viam: & ſive ad Connubium, ſive ad aliam vitæ Sectam, Deo autore mentem appuleris, ſecurè negotium capeſſes; utique certus, fortunatum à Deo iri quidquid ipſe ſuaſerit.

V. Hæc, præter dicentis autoritatem, opportunitas etiam quædam audienti commendavit Azevedio. Namque is paulò ante ceperat moleſtis animi agitari æſtibus; ſpiritu divinitùs inſtincto abhorrente ab ijs quæ naturæ arri-

15
Ducitur Azevedius à Govea Conimbricam; ubi spiritualibus Exercitijs animum excolit.

arriderent; suspectaque insidiarum æternæ saluti exitialium habente, tam prodigè se se oggerentia dona Fortunæ. Sperans igitur illo, ad quem Govea invitabat, ascetico secessu, istas sedari turbas intestinas posse, libenter accepit conditionem oblatam, moxque cum eodem nostrum Conimbricense Collegium petijt. Ibi se in dies triginta cella modica inclusit; cum mortalium nemine, præter unum conscientiæ arbitrum, quidquam omninò negotij aut sermonis transigens; quinque quot diebus horas solidas, unam media nocte, alteram sub auroram, tertiam ante meridiem, duas vespere, commentationi attentissimæ impendens æternarum veritatum; intervalla, sacræ Lectioni, afflictationibus corporis, excussioni sinuum animi ad culpas inde omnes olim consciтas eluendas; provisioni, ac destinationi rerum deinde agendarum, pijsque eius generis officijs tribuens. Post dies in his aliquot transactos, intentiùs implorato Cœli lumine, Facultatum animi omnium quoddam quasi concilium indi-

indixit, in quo iudicium de ſumma rerum decreto irrevocabili finireruṛ. Hìc ad erectum velut tribunal illuſtratæ fide Mentis, citatæ prolixeque auditæ ſunt Natura, Adoleſcentia, Proſperitas, Honores, Illecebræ voluptatum, Exiſtimatio expectatioque Hominum, Spes voluntateſque Propinquorum, pro ſe quæque perorantes; conſiderata maturè diſcuſſaque cuncta ſunt. Longum & difficile certamen fuit. Tandem ad æternitatis trutinam expenſæ humanæ rationes, ut leviores deprehenſæ reprobantur. Fatebatur Ignatius poſteà, diù ancipitem fluctuaſſe dimicationem, nec niſi ſeram extremiſque extortam conatibus, Parti meliori victoriam contigiſſe. Verùm ea ita plena certaque conſtitit, ut nihil exinde caro & ſanguis, nihil Mundus, floſque mortalis felicitatis, mutire quidquam ampliùs apud contemptorem ipſorum animum auſi fuerint.

16 Azevedius in ſeceſſu aſcetico decernit abdicationem opum & ingreſſum in Societatem.

CAP. II.

Ignatij Azevedij Ingressus in Societatem & in ea Tyrocinium.

I SEcessus Asceticus Ignatij, & fixum in eo Decretum abdicandi spes opesque mortales, anno superioris sæculi septimo & quadragesimo 1547.
adsignant nostræ illorum temporum Literæ. Eædemque tradunt: statim, ab his ita secum constitutis Azevedium à convento precibus infimis P. Simone Rodericio, qui tum per Lusitaniam Societatis Rebus suprema sub Præposito Generali S. Ignatio potestate præerat, non sine præhabita matura deliberatione, tandem impe-
17 Azevedius res domesticas componit. trasse, ut in Societatem admitteretur; postquam tamen res domesticas composuisset. In hoc negotio annuus ferè nec parùm difficilis labor Ignatio fuit. Non enim eius erant cuncta generis

ab

ab eo possessa bona, ut possent Egentibus distribui, prout Evangelica, quæ sequi decreverat, consilia præscribunt. In horum pleraque ius illi solum fruendi, si vellet, erat: sin aliud liberet, oppignerata ea Fideicommisso, Maiorum & Regni Legibus, erant Consanguineorum proximis: neque ipsa cessio sine venia Regis, & Parentis assensu, rata poterat haberi. Vnde Tractatuum longorum occasio nascebatur. Perruptis tamen, Ignatij patientia ac dexteritate, cunctis obstaculis, ac facultate à quibus id erat iuris expressa, satis iam paratis omnibus, interimque irrevocabili perseverantia in proposito, adversus Propinquorum Amicorumq; dissuadere novum consilium conantium, autoritatem allegationesque probata, emanavit è Domesticis negotiationibus in publicam iam notitiam mira vulgo res: spectaculo non Portuensi modò Vrbi, sed & universæ Lusitaniæ in celebrem sermonum materiam, inexpectatissimo edito; Iuvenis florentissimi, primo Adolescentiæ vigore, fortunas amplissi-

mas, delicias, honores ultrò abdicantis; Libertati quinetiam renunciantis diù gustatæ, ac nudum se se in angustias vitæ inopis, sub alieni nutus, servitute perpetua, transcribentis iugum. Erat Ignatio proximus ordine nascendi Franciscus Frater. in hunc ergo Maioratum Azevediæ Familiæ ritè transtulit, cunctis ex formula iuris cautionibus adhibitis, & auspicatò id egisse felicitas eventuum declaravit. Siquidem cum anteà sæpè titubasset Azevediæ Familiæ successio, & moriente sine liberis Herede, per varia Cognatorum capita errasset, ex eo usque ad hodiernum diem tempore, in Francisci huius Azevedij stirpe consedit: à quo quartus hodiè Manuël à Patre Francisco, Avo Manuële, Proavo Francisco, illo de quo agimus Ignatij germano, continua serie acceptum Domus Azevediæ primatum in summa prosperitate Iuvenis obtinet.

18 Maioratu abdicato Societatem ingreditur.

II. In ista porrò recensione familiarium facultatum haud oblitus Ignatius Evangelij, non locupletibus Cognatis, sed quibusvis egentibus, bona

quæ

quæ Christi amore abdicantur debere distribui docentis: quidquid pecuniæ à Parentum adhuc superstitum, aliorumque Propinquorum veris rationibus liberum, ad seque pleno iure pertinens reperit, partim ipse Pauperibus divisit, partim ne vacuis manibus Dei Domum intraret, ut primi olim Fideles ad pedes Apostolorum, in Moderatorum Societatis potestate posuit. Sexcenta millia Realium (genus est minutissimæ monetæ qua illic, ad summas etiam maiores exprimendas, uti solent, ut olim Romani parvis Sestertijs) attulisse illum Conimbricam, quando in Societatem est receptus, invenio. Faciunt ea scuta sive nummos aureos circiter bis mille: ex quibus omninò nihil in rem eius Domus Familiarem est conversum: cuncta Superiorum arbitratu in varia, plerumque longè dissita, loca transmissa, solatio miserorum, pijsque id genus causis impensa sunt; prout distinctè annotatum hodièque legitur in charta inde missa temporum illorum, quam ex hoc Romano promptam Ta-

19 Pecuniam in quam ius habuit liberum, non Propinquis, sed Pauperibus dividit

bu-

bulario in manibus habeo. Magno consensu Scriptores nostri *a* annum, quo vestem Societatis Ignatius Azevedius induit, Christi millesimum quingentesimum vndequinquagesimum numerant. Neglexerunt nimirùm dies quatuor anni Superioris. nam in Albo in quem referebantur nomina, cum die, Societatem ineuntium, Conimbrica hùc misso, clarissimè scriptum reperio: Anno 1548. die 28. Decembris, eum in illa Domo, ut unum è Socijs vivere cepisse.

a *Orlandinus Sacch. Tellez.*

20 In Tyrocinio Azevedius paupertatem affectat extremam

III. De eius in Novitiatu Actis, quæ notata varijs in locis reperi, collecturus breviter, initium ducam à studio quo flagravit ingenti Christi paupertatis imitandæ. In usu necessariorum ad vitam quàm paucissima & vilissima semper affectavit. Vestes laceras, cibum emendicatum, habitationem incommodissimam in delicijs habuit, & nusquam non constantissimè ambivit. Sui posteà deprimendi nullum finem fecit: summi fastigium honoris in eo collocans, si posset assequi, ut omnium despicatissimus vide-

21 Sui depressioni studet.

re-

retur. Humillima domestici famulatus obsequia in Culinæ sordibus, in Ministerio Infirmorum, infatigabili obibat alacritate, ut ijs & delectari eum & gloriari palàm esset. Nec ea ille tamquam citò defuncturus ad brevem probationem usurpabat, sed animo totum in ijs vitæ spatium explendi. Ergo Sartoris Sutorisque artes, Magistros nactus vitæ Domesticæ adiutores, diligentissimè addidicit, paratum se exhibens ad eas semper exercendas. ac postquam etiam iussu Maiorum ad studia Literarum, & splēdida Sacerdotij Regiminisque Munia promotus est, non destitit circumferre cosino conditam veneramentarij supellectilem, qua subinde resarciendis detritis vestibus, calceisque reficiendis utebatur, non alia magis utilitate, quàm sui deijciendi, frangendæque innatæ hominibus, præsertim nobiliter & natis & educatis, superbiæ.

22 Artes mechanicas addiscit & exercet.

IV. Circa usum afflictionum corporis quid in Tyrocinio Religionis, hoc est, in Asceterio Pœnitentiæ, voluerit & tentaverit, æstimari ex eo po-

poteſt, quòd in licentia vitæ ſæcularis Cilicium perpetuò geſtabat. Id quomodo ipſius confeſſione compertum ſit, non erit forſitan inſuave cognoſcere. Provincialis Simon Rodericius, Collegij Conimbricenſis, in quo tunc Novitij quoque degebant, annuam Viſitationem obiens, cum à ſingulis, de more Societatis, rationem conſcientiæ repoſceret, à vocato ad id Azevedio inter cætera audivit: iam ab aliquot ſe annis (hoc eſt quantum aſſequi ſubducendis retrò rationibus temporum licet, iam tum à prima pubertate) veneratione inſtinctum magna Sanctiſſimæ Deiparæ, atque immaculatam præſertim eius Puritatem admiratum, in huius honorem voto ſeſe perpetuo devinxiſſe ad geſtandam tota vita diù noctuque appreſſam intimè nudæ cuti ſubuculam textus cilicini candidam, habuiſſeque ad id promptam, ac quocumque pergeret tuliſſe, copiam iſtiuſmodi veſtium, qua nunc quoque uteretur. Ad quæ cum Prouincialis reſpondiſſet: vota iſtiuſmodi concepta ante

23 A pueritia cilicium cādidum in honorem Deiparæ Virginis perpetuò geſtarat, voto de hoc concepto.

Reli-

Religionem initam, huius deinde suscepta Exercitatione, relaxari; & esse in hoc aliquid ob quod minimè conveniat perseverare ipsum in istius devotionis observantia, propter eam quam foret ei necesse habere ac circumferre propriam supellectilem tunicarum vestis cilicinæ. Nam cuiquam apud Nos sepositum servari rei cuiusquemodi peculium, nefas esse. Quare edixit, ne de hoc deinceps voto, quippe abrogato ac remisso, cu-
„ randum sibi putaret. Subiecit his Aze-
„ vedius: se quidem semper in Præpo-
„ sitorum potestate fore: non dissimu-
„ lare tamen, ægrè divelli ab hoc caro
„ ac pretioso nexu. quare videret etiam
„ atque etiam pro sua caritate Pater, ec-
„ quid illud ita omninò frangi necesse
„ esset, ut non sufficeret in alium quem-
„ piam, qui religiosæ paupertati nihil
„ haberet dissentaneum, commutari. *Rectè mones*, reposuit Provincialis; *per me igitur elige sis tibi certum numerum precationum, ad quem quotidiè Dei Matri pendendum voto novo in locum prioris substituto te obliges: Spondebo ergo*, ait Azevedius,

24 Id votum in quotidianam recitationem Rosarij, & Officij immaculatæ Conceptionis, commutatum.

si probas, Pater, loco gestationis cilicij candidi, quotidianam recitationem Rosarij, prætereaque Officij, quod vocant, Conceptionis Immaculatæ: sicque continuò, annuente Provinciali, promisit. & constitit plena promisso ac constans fides. indèque opinor illud sertum globulorum, Rosarium vulgò dictum, quod, more Societatis & Religiosorum omnium, Ignatius de zona portabat appensum, quot diebus attentissima ipsius ad orbes singulos tot orationum Dominicarum ac Angelicarum salutationum pronunciatione consecratum, vim habuisse Energumenum Eboræ solo cõtactu statim ac perfectissimè curandi, qua de re in loco memorabitur. Nunc illud non omittam: me simul hanc rem didici, mirari desijsse: tam non solùm innoxiè, sed etiam honestissimè traductam maximè proclivem in lascivias ætatem, ab Adolescente opulento & sui arbitro, insuperque (vt ex quadam eius Epistola intelligitur) non semper nacto in familiarissimis rectissima sanctimoniæ virginalis exempla. Huiusmodi nempe solet Regina Vir-

Lib. 11. Cap. 1v.

25 Cilicium Virgineum Adolescenti Azevedio pro lorica fuit adversus ignea tela Nequissimi.

Virginum ſuis à pueritia Clientulis impertiri beatiſſimum maternæ ſuæ protectionis fructum. Itaque mea quidem opinione, tunicula iſta candens pungenſque, devotionis in Dei Matrem index eadem naturæq; coërcitrix rebellantis, Azevedio pro Lorica fuerit *ignea Nequiſſimi* ab eius pectore repulſa *extinguente iacula*; pro clavo qualem optabat Vates Regius *carnes Dei timore configente*, ne pondere innato per declive in illicita defluerent, pro ſtimulis hærentibus lateri, ac quaſi calcaribus curſum in ardua incitatiſſimum urgentibus: quem nec inſidioſi Sirenum cantus ſtupore peſtifero morari, nec hinc indève obiecta irritamenta deliciarum ad ſe avertere, ac de rectitudine arcti tramitis in pellacia utrovis poſſent deflectere paratarum & blandè invitantium diverticulam voluptatum.

Ad Eph 6.16.

Pſalm. CXVIII 120.

V. Neque verò in ſolatium ſui corporis hanc albæ ſubuculæ ablationem proficere Ignatius paſſus eſt; ſed vice delicatioris Cilicij, aſperius multò hirſutiuſque induit, quod raró de-

26 Corpus acriter divexat aſperrimis tunicis, crebris & cruētis flagellationibus.

ponebat; tunc ſcilicet cum Magiſter Novitiorum id iuberet, apud quem mox inſtabat ut reſumere liceret: & liberaliùs ibi per illa tempora in talibus indulgebatur Incipientium fervori. Verberibus ſe ſe cruentabat, propè dixerim, immaniter; eo ſcilicet inclementium ictuum ſonitu, quem audientes miſererentur, eo ſenſu doloris in tenero & molliter nutrito corpore, ut ipſe ijs quos nihil celabat, fateretur: ſe quoties horam illam cogitaret, qua ſub veſperam in cœtu domeſtico converberantium (quæ diebus recurrebat fermè ſingulis) nudos humeros laceraturus flagello foret, totis artubus cohorreſcere. Verùm iſtam naturæ infirmitatem pars Mentis ſuperior generoſo victricis caritatis obterebat niſu, non modò nihil illi concedens, ſed velut obſervato quid carni iudicatæ dudùm Hoſti doleret, ultionis de illa, quæ ſuadere Dei offenſam non eſſet verita, magnificè ſumendæ occaſiones inexplebiliter captaret, ſemper ea vehementiùs appetens, frequentiuſque iterans, à quibus

ab-

abhorrere ipſam impotentiùs ſenſerat. Atque ex hac Azevedij obfirmata voluntate infligendi ſibi aſpera, prona quemvis prudentem coniectura ducet ad eiuſdem in negandis ſibi dulcibus ſeveritatem intelligendam. 27
In menſa nihil ultrà quàm mera neceſſitas & diſertum Magiſtri præſcriptum cogeret, indulgebat guſtui, paratus fami ac ſiti quantumvis urentibus quotidianum opponere ieiunium; niſi omnium naturæ cupiditatum ut ſe primùm exeruerant, confeſtim opprimendarum, rigidiſſimo propoſito, quo ſibi ſemper infeſtus imminebat, Moderantium autoritas obſiſteret. Ab hac tamen ſubinde inſiſtens eblandiebatur precibus veniam Genij fraudandi; qua tam avidè utebatur, ut ipſi uni iucundiſſimum putares eſſe quidquid cunctis naturaliter diſplicet. Vidiſſes incedentem vultu, ſerenitatem quidem ſui victoris & Domi ſine controverſia imperantis demonſtrantem animi; at ſerio, & naturæ deſiderijs minaci, à quo non evagationem oculos vel levem, non auris breve ſolatium cu-

Ieiunia eiuſdē & omnium iucundorum fuga.

curiositati,non ullus denique sensuum quidquam quantumvis obviæ innocuæque remissionis exoraret.

VI. Linguæ præsertim rigidissimè frænum attraxit. Solet quidem esse Novitiorum laus ista communis, universè positam in Cœnobijs tacendi legem verecundiùs ferè scrupulosiusque servantium. Nec dubitare fas est quin illo in Conimbricensi Cõtubernio Tyronum, ut cætera impensiùs colebantur exactæ Religionis officia, sic hanc quoque imprimis commendatam Asceticæ partem Disciplinæ flagranti observantia viguisse: necesse tamẽ est dicere præcipuæ quodpiam in hoc genere diligentiæ specimen in Azevedio notatum; unde illorum Literis temporum eximiè ipsum hoc nomine celebrandi occasio

27 Rigidum Azevedij silentiũ.

sit data. Scriptum illic legimus: totos eum dies, ne semel quidem verbulo emisso; nisi quod summa officij necessitas exprimeret, transmittere solitum: sive pruriginem loquendi, Disertorum, qualis hic fuit, propriam compescere, uti reliquas solebat natu-

ræ propenſiones, etiam imperioſiùs ſtuduit; ſeu ita voluit ulciſci quam ex gratia facetiarum comiumque congreſſuum (qua dote laudatum ipſum in ſæculari vita comperi) gloriolam olim fortè ſe aucupatum meminiſſet. ut ut ſit, non erat hoc eius ſilentium ſtupidum, & torpentis ſopore obdu- 28 Continua eiuſdem cogitatio de Deo.
ctum animi, ſed meditabundum, obverſæque in interiora mentis nobiliori functione actuoſum: ut quædam acrimonia ſubducti cogitanter vultus, ſpecie ipſa monſtraret; ferias ceſſantium labiorum, potioribus intùs alloquijs otium facere: intuens nimirùm ubique præſentem, omnia ſuſtinentem & vegetantem Deum, tranquillè venerans, colebat, non totam in res agendas attentionem effundens: expectanſque ac cupiens interim liberiorem eius affandi contemplandique facultatem, quam ipſi ſæpiùs in die dabant ſtatæ recurrentes orandi horæ, cum in matutinis veſpertiniſque Meditationibus, tum in aſſiſtendo Sacrificanti, in Examinibus Conſcientiæ, in Recitatione quotidianarum precũ,

in

29 Fervor in obeundis Exercitijs Religionis, præsertim in oratione.

in legendis Libris divina myſteria & Deo placitarum officia virtutum explicantibus; quas ille functiones alacritate repetebat ſumma, fervore incredibili ſuis quaſque temporibus obibat. In orationibus præſertim obſervatus totas laxare habenas amori quo in divinum Numen flagrabat immenſo; cuius reſtabat indicium in ſolo quod nitens genibus per horam preſſerat, humore ſuaviter lapſarum ex oculis lacrymarum largè cōſperſo.

VII. Hoc vivendi tenore tranſactis Azevedio aliquot menſibus, manifeſtè cepit elangueſcere vigor ille quem Domo attulerat robuſtæ Iuventutis; quo Moderatores animadverſo, ſtatim quidem curarunt modum imponere ieiunijs, ciliciorum aſperitati ac flagellis, quibus iſtam virium debilitationem imputabant: ſed fruſtrà id fuit, illo, cum obnoxiè in cunctis diſertè proſcriptis obtemperaret, tamen cætera quæ non vetarentur, attentionis in commentando, Dei ut præſentis ſemper intuendi, vigiliæ acris in omnes exortus pravarum cu-

30 Valetudinem nimia contentione labefactat.

pi-

piditatum, & continuæ, quæ nostris Legibus pręscribitur, in omnibus mortificationis, exercitia perseverantissimè tenente. Ea vero perpetua instantia facientis sibi vim animi, præcipua scilicet erat causa fatiscentium viriũ, natura per fluxam mollitiem viridis ætatis, haud adhuc pari tam assiduis vexationibus ferendis. Ergo in dies Azevedius magis magisque collabascere, squallere facies exangui pallore, genæ concidere, vigor oculorum hebetari, motus ipse ac tota corporis actio apparere invalidior ac segnior. Hinc Superiores peius veriti, per æstatem anni millesimi quingentesimi undequinquagesimi, eum amotum à convictu Novitiorum, Rus amandandum censuere. Habet Collegium Conimbricense Abbatiam in Gallæciæ confinijs veterem, Sancti Felicis de Friestas nuncupatam, à Rege Lusitaniæ Ioanne III. Summi Pontificis Pauli III. autoritate attributam. Ibi solent quinque sexve Nostrorum degere, præter curam Indigenas iuvandi, Prædiorumque colendorum, etiam

intenti excipiendis curandiſque ijs qui valetudinis cauſa reſtaurandæ eò, propter Cœli temperiem ſaluberrimi, plerumque mittuntur. Perductus hùc Azevedius, multis diebus mutationis beneficium non ſenſit. credo, quòd nihil interim remitteret de illa quam dixi contentione ſibi perpetuò ſeveriſſimè inſtandi. Quare illàc fortè, dum luſtrat Provinciam, tranſiens Provincialis P. Simon Rodericius, primo Ignatij occurſu admiratus perſeverantem illic quoque, qualem Conimbricæ præ ſe tulerat, ſquallorem luridi vultus, exſuccique ariditatem corporis: *Quid tibi Frater*, inquit, *cum iſta ſtrigoſa & mæſta macie. at nos te ingentibus Chriſti militiæ laboribus deſtinabamus, qui robur nihil minùs quàm athleticum poſtulant. Heus tu igitur artus iſtos emunctos ſucco quamprimum bono imple, diſtende ac colora, ut priùs faciem. Te obedientem non putabo, niſi citò pinguem videro.* ita ille, multis præſentibus, arridens. Et iocoſo imperio ſerium ultrà ſpem obſequium conſtitit. Ex tunc, velut ſi oleum infunderes caliganti ob abſum-

31 Mittitur ad S. Felicis, nec è Cœli ſalubritate proficit.

32 Ludicro Simonis Provincialis imperio iubetur pingueſcere, ſecuto mirabiliter effectu.

ptum

ptum humorem Lychno, revalescere mirabiliter Ignatius visus, brevique (quomodo id cumque contigerit) habitior ac vegetior apparens, materiam iocis etiam præbuit, dum quidam illi bonam valetudinem per aures immissam diceret; alius non illepidè alludens illud Christi dictum: *Cibus meus*
Ioan. IV 34. *est ut faciam voluntatem Patris mei*; negaret, mirum esse, quod statim pinguis evasisset, qui Christi cibo esset usus.

CAP. III.

Ignatius studet Philosophię & Theologiæ: Sacerdotio initiatur: Fit primus Rector Collegij Vlyssiponensis.

I. PAulò post reditum Conimbricam, amotum Ignatium à contubernio Novitiorum, & Studentibus

admixtum, etsi distinctè notatum non reperi, tamen intelligitur ex Catalogo Nostrorum illinc misso Romam Anni 1553, ubi disertè scribitur: emensum illum Philosophiæ curriculum, quod illic est annorum quatuor, præterea iam ab anno dare operam Theologiæ cepisse. Vnde est consequens ab hoc anno 1549, & huius mense videlicet Octobri, auspicijs Scholarum in ijs partibus dicato, initium eius in Societate studiorum processisse. Ea quidem ille, ut omnia quæ à Maioribus præscripta, Dei nutu ipsius & manifesto imperio putabat iniuncta, totis animi viribus arripuit: sic tamen ut nihil nova Literarum meditatio antiquis Religionis officijs laxamenti aut teporis inferret. Illam solùm Tyrocinij taciturnitatē, quantum recens status posceret, faciliori Magistros & Condiscipulos statis horis alloquendi usu temperavit. Sermonum argumenta duplicis tantum erant generis: Doctrinæ, in scholasticis præsertim congressibus; in Domesticis sub mensæ horam confabulatio-

33 Azevedius Philosophiæ ac Theologię dat operam.

tionibus, rerum semper divinarum, vel exempla Sanctorum, aut varias virtutum Exercitationes attinentium: cum hoc inter genus utrumque discrimine, ut in prioribus quidem, per initia se rudem ingenuissimè proderet, in alijs se ab ipso principio veteranum & perfectum probaret. Submissa præcipuè, ac sui despiciens, alios admirans, modestia omnem eius collocutionem condiebat amabilissimè; eminente in verbis veracitate tanta, ut nihil umquam, etiam sibi pudendum, fateri occasione poscente cunctaretur; quod vita deinde tota tenens, autoritatem in assertis, omnis expertem simulandi aut dissimulandi suspicionis, eam meruit, cui Michaël Turrianus Provincialis Lusitaniæ, ipsius aliquando, in negotio apud Pium V. Summum Pontificem gravissimo, affirmationem allegans, testimonium his verbis reddidit: *Hoc Azevedius affirmat: Homo ea veritate, ut relaturus esset fidelissimè quod nosset, etiam si suæ ipsiusmet rei ac famæ id indicium sciret nociturum.*

34 Verborum eius utilitas & veracitas.

Sacch. in Borg. l. b VII. nu. 145.

II. Illud item non toto solùm studio-

diorum tempore, ſed inde perpetuò ſervavit, ut viliſſimis adhiberi domeſtici famulatus miniſterijs ambiret. præterquam enim humilia obſequia penus ac culinæ in delicijs habebat, quotidie ſe ad illa oggerens, ac tum ſe beatum, cùm ſpiſſiſſimè iniungerentur, ferens: etiam gaudebat ad quidvis ubiq; ſarciendum, aptandum, componendum, tamquam ad id autoratus, advocari; rudimento quodam ad hoc multarum uſus communis comparato artium, atque ut harum inſtrumenta apud ſe habere poſſet, venia Superiorum impetrata. Officinam mechanici omnis artificij cubiculum eius, indulgentia hæc faventium Ignatij Humilitati Præſidum fecerat, quod in illis originibus naſcentium Societatis rerum, nondùm compoſita, ut eſt hodiè, Domuum noſtrarum ratione, deſcriptiſque Officiorum Præfecturis, minùs creabat admirationis, aliquid etiam afferre utilitatis videbatur. Ergo idem aſſuere poſcentium abruptas uſu veſtes, hiantes calceamentorum veterum ſarcire

35 Vilibus Miniſterijs per ſtudiorum intervalla ſe impendit.

pel-

pelles, plutei tabulas clavis firmare, ſtragula & culcitras tomento ventilato reficere, nihil non quod prodeſſe cuivis poſſet tentare conarique, alacritate quemvis ſemel expertum, ad iterandam ad talia invitationem provocante. adeò illum delectabat ſervire omnibus, aſſiduè intuentem mirum illud Chriſti obſequioſæ manſuetudinis exemplum, quod factis ſemper, verbis aliquandò expreſſit; illis in ſacro Evangelio relatis. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* quin imò ne quid in hac ſibi depreſſione ſui reliqui faceret, ſordidas curationes domi utilium animalium depoſcebat ſibi, iumentorum tractandorum illatam ex uſu vitæ olim Equeſtris peritiam ad id iactans, iſtoque obtentu ſæpè impetrans, ut Mandris Stabularius præficeretur.

Matth. xx.28.

III. Hæc porrò ille cuncta ea prudentiæ ratione adminiſtrabat, ut profectui Studiorum nihil obeſſent iſta ſe ſe deijcientis obſequia caritatis, quod ijs ferè non dicatas commentationi, ſed permiſſas relaxationi horas ho-

36 Profectus eius in diſciplinis, & capax magnorum ingenium.

horas expenderet. Edebatque in Literarijs experimentis ſpecimen capacis magnorum ſenſuum ingenij, nullique imparis ſubtilitati diſquiſitionum enuncleatiſſimarum in omni exquiſitioris complexione Diſciplinæ. Itaque iam à ſecundo Theologicæ auditionis anno eum fuiſſe iudicatum, tantum habere notitiæ ſuperiorum facultatum, quantum in ijs requireretur qui promoveri ad vota quatuor ſolẽniter emittenda ex Societatis Inſtituto 1560.
ritè poſſent; intelligo ex Literis Michaëlis Turriani Provincialis, teſtantibus fuiſſe admiſſum à Generali Societatis Laïnio Azevedium, etſi duobus tantùm annis in Theologiæ diſciplina verſatum, ad Profeſſionẽ votorum quatuor ſuo tempore faciendam; cum eo tamen, ut vel ante, vel poſt illam, otio ſuo pro loci opportunitate ubi eum degere contingeret, quod ipſi deerat legitimi ad id ſtudium ſpatij, privata videlicet diligentia expleret. Neque is tamen aviditate indiſcreta ſciendi promiſcuè arripiebat obvia quæque, more intemperantium

con-

convivarum, ex appositis epulis, aut nullo aut vitioso delectu multa, & sapida magis quàm apta ac profutura, vorantium: sed ut illa Ezechieli celebrata Aquila, profecta in Libanum, inde tulit *Medullam*, hoc est ex interpretatione Septuaginta Seniorum, electissimas quasque partes, *Cedri*, sic Ignatius è Disciplinis quibus attendere iubebatur, utiliora maiori amplectebatur cura; splendida & ostentationi potiùs servitura, segniore opera transmittens: exemplo sanè Iuvenibus imitando. Vt enim vetus habet Apologus; Reprehensos à Iove, Apollinem, quòd Laurum, Herculem, quòd Platanum, Bacchum, quòd Hederam; Venerem, quòd Myrtum, sibi sacratas voluissent, Plantas omnes infrugiferas, specioso duntaxat obtentu foliorum, & inanis diuturnitate viroris insignes; solam verò laudatam Palladem, quòd Olivam præoptasset, fructuosissimam Arborem: ita non pauci Adolescentes incurrunt in iustam censuram Sapientum, dum in Academias admissi, velut in Sylvas omnigenæ materiæ:

Ezech. XVII. 3.

Phædri Fab.

37 Prudentia eiusdem in delectu addiscendarũ rerum.

quò inde in ſeram ſibi canitiem viaticum comparent, ex ijs potiſſimùm decerpunt, vel Genio conſentanea, vel ad gloriæ captationem accomodata, alijs neglectis quæ ipſos ad exercenda peritiùs atque ſecuriùs ordinarij uſus frequentiſſima miniſteria inſtruerent. Horum Noſter diſſimilis, in ſtudio Theologico non tàm ſterilium ſubtilitates ſpeculationum, quàm ſolida firmamenta Dogmatum; non arguta magis quàm vera ſenſa, detortis ingeniosè canonicorum Oraculorum expreſſa verbis, ſed à Patribus traditas Sacrarum ſententiarum explicationes, populo ſalubriter docendo longè aptiores, exquirebat ſedulò, memoriæque mandabat. In meditationibus verò habendarum ad Populum Concionum, in queis Noſtri per Studiorum tẽpus Adoleſcentes exerceri conſuevere, haud ille genus dicendi exquiſitè ornatum conſectatus eſt, ſed facilè ac Vulgi captui ſubmiſſum: quamvis ei nec indoles nec educatio deeſſet ad affectandam eloquentiam illuſtribus Cœtibus admiratio-

nem

niem sui moturam: unde factum puto, ut in Catalogis illorum temporum Romam missis, quibus Dotes facultatesque cuiusque Nostrorum Præposito Generali declarantur, etiamnùm legatur, haud fuisse præditum Ignatium eximio quodam perorandi ad lectissima quæque Auditoria talento; at mediocri, nec ferè ultrà quàm Plebi erudiendæ opus esset, assurgente dictionis charactere. quo ille tamen quantos in Concionibus animorum motus, quàm miras mersorum in cœno scelerum ad frugem meliorem conversiones effecerit, suo loco commemorabimus: unum hìc addere contenti; ita Ignatium è Palæstra Literariarum Exercitationum, (quamquam ante legitima in his confecta spatia inde avulsum præcociter, uti mox dicemus) prodijsse instructum ad quasvis Instituti nostri functiones, ut etiam destitutus consilio Sociorum, subsidio Librorum, solus in Missionibus longinquis, in promptu habuerit quantum ad habendas ex tempore plures sæpè in die conciones, ad expedien-

38 Genus dicendi populare magis quam sublime, aut ambitiose ornatum affectat.

dos præsenti iudicio in continuata, plerumque dies totos auditione Confessionum, perplexissimos omnis generis conscientiæ quæstionum nodos, abundè semper sufficeret.

IV. Hoc cursu ad laudem omnem incitatus Azevedius, cum ætatem attigisset à Sacris Canonibus ritè suscipiendo Sacerdotio præscriptam, sine mora initiandus est visus. Factum id anno Christi tertio & quinquagesimo supra sesquimillesimum, indicant potiùs quàm disertè tradunt, quas habemus, illius temporis Literæ. Eodem anno magna nostrarum Vlyssipone rerum commutatio contigit, qua coacti sunt Præpositi, Azevedium isthùc è medio studij Theologici curriculo abreptum accersere. Rem multiplicem, & hic necessariò noscendam, quàm potero brevissimè colligam. Nondùm in Lusitania Societas suis erat discreta velut membris, distinctaque muniis; omnia simul ubique ac promiscuè agebat, varijs sibique invicem obturbantibus officijs per Ministros eosdem, uno pariter loco ac

39 Sacerdotio initiatur.

tem-

tempore miſcendis. Vnicum erat toto Regno Conimbricæ fundatum à Rege Collegium, ſtationem ſibi ſubiectam Vlyſſipone habens, in veteri Cœnobitarum Sãcti Antonij Ægyptij Cœnobio, quondam illùc è Vienneſi Gallia, ubi ſacra illa Sodalitas coaluerat, profectorum: ſed abruptis longinquitate locorum cum Origine commercijs, deſolato ac planè iampridem vacuo, indèque cuſtodiæ unius hominis Laici commiſſo, cum quadam permutatione in iura tranſcripto Collegij Conimbricenſis: cuius ibi partim ſumptu, partim Eleemoſynis Piorum, aliquot è Noſtris alebantur, eò è publico Vrbis xenodochio (id primum ipſis Hoſpitium fuit) tranſlati ab annis retrò undecim. In Conimbricenſi porrò Domicilio præterquàm Scholæ ſuperiorum omnium inferiorumq; Diſciplinarum confertiſſimæ Diſcipulis externis noſtriſque, à Magiſtris attentiſſimè id agentibus habebantur, præterquam admittebantur inſtituebanturque Tyrones plurimi; etiam excipiendarum confeſſio-

Domus S. Antonij Vlyſſ. habitari à Noſtris cepit 5. Ianuarij 1542.

40 In domibus Societ. Luſitanicis promiſcua Miniſteriorum cõfuſio diù per initia fuit.

num,

num, dicendi ad Populum è ſacro Pulpito, rudimentorum Chriſtianæ Doctrinæ tradendorum, hortandi docendique Plebem otioſam in Trivijs, Apoſtolicarum Miſſionum per Pagos latè circumſitos celebrandarum, iuvandorum in privatis Domibus aut Noſocomijs publicis Ægrotorum, viſendorum curandorumque in Cuſtodijs vinctorum, aſſiduiſſimè miniſteria frequentabantur; accedente ad cumulum, tradendorum multis quotidiè poſcentibus Spiritualium Exercitiorum ſpiſſo operoſoque negotio. Eadem hæc Vlyſſipone actitabantur, eò tumultuoſiùs, quò Vrbs longè populoſior & regia uberiorem ſuggerebat tantæ occupationum varietati materiam. & licet anguſtiæ domunculæ, paucitaſque Sociorum, facultatem amplectendi omnia negarent, non tamen auferebant infinitè cupidis navandæ operæ, tentandi cuncta, & ſupra vires contendendi voluntatem. Itaque ne à docendi quidem munere, quòd ſolùm primis annis Conimbricenſi Gymnaſio reſervarant, ad extremum

a Mens. Apr. ann 1553. mum temperarunt, nuper *a* apertis ad Divi Antonij, voluntaria ſedulitate, Scholis duabus, una Grammaticæ, altera Humanitatis, Pueris magno numero confluentibus erudiendis.

V. Nihil horum latebat excubantem acri vigilia ad Clavum à ſe conditæ, ſuoque regimini commiſſæ, Societatis S. Ignatium. norat quinetiam perniciem iſtius inordinatiſſimæ confuſionis; & in quantum Diſciplinæ religioſæ damnum proceſſu temporis poſſet erumpere, cum priùs prudenti coniectura æſtimaſſet, triſti nuper experientia ſenſerat. Anno quippe ſuperiori multos Noſtrorum Conimbricę obedire detrectantes Novis Prępoſitis, Mironi Provinciali & Godinio Rectori, eijcere è Societate coactus fuerat: quorum lapſus valdè veriſimiliter imputabatur feſtinationi perfunctoriæ, qua Novitij & Iuniores Literis operam dantes à Patribus per tot alia diſtractis, in tumultuoſiſſima permixtione perſonarum & munerum diſiunctiſſimi generis, illic ad virtutum religioſarum praxim eatenus

41 Eam S. Ignatius tolli iubet diſcretis loco & tempore functionibus.

nus exerceri consueverant. certus igitur omninò efficax sine mora huic incommodo adhibere conari remediũ, simul intellexit Hieronymum Natalem, quem promulgandis per Societatem Constitutionibus iam perfectis præmiserat, obitis alijs Provincijs in Lusitaniam adventare, scripsit ad Mironem Provincialem, ex obedientia imperans, (quod rarò solebat) ut Nostros Vlyssipone degentes in duos quamprimum habitatione discretos convictus distingueret, quorum in altero ea propriè officia tractarentur, quæ ad procurandam salutem hominum per verbi Dei & Sacramẽtorum administrationem attinent; alterum instituendæ in Literis ætati puerili peculiariter esset addictum. Hoc imperio accepto convenit Miro Regem, & facilè impetravit à benignissimo & nostris rebus faventissimo Principe, tum ut suburbanum S. Rocho dicatum Templum cum adiunctis modicis Ædibus in Professorum Domicilium Societati attribui curare dignaretur, misso qui id suo nomine cum lo-

42 Hinc Collegiũ Vlyssiponense discernitur à Domo Professorum ad S. Rochi fundata.

loci Patronis transfigeret, viro primario & nobis amicissimo Petro Mascarenia; tum ut Vrbis Concilium ac Magistratus hortari ne gravaretur, ad Gymnasium instituendum informandæ rudimentis bonarum artium ipsorum Iuventuti, quod curæ Hospitantium in D. Antonij Patrum committeretur.

VI. Iamque paratis satis omnibus, quatuordecim Sociorum, Præposito ipsius Gonzalvo Sylueria, segregati à cæteris sunt, mox è S. Antonij antiquis Sedibus ad novas S. Rochi migraturi, qui Domum illic Professorũ auspicarentur. Restabat, ut, magna Civitatis nutui regio obsequentis voluntate, admissum expetitumq; Collegium, idoneis Ministris Patres instruerent. In eam conversi deliberationem Hieronymus Natalis Cõmissarius, Michaël Turrianus Visitator, Iacobus Miro Provincialis, qui rebus hisce constituendis Vlyssiponem convenerant, accito ad idipsum eòdem è Castella S. Francisco Borgia, cum diù & sedulò disquisivissent quem novo 43 Cui primus Prç positus imponitur Gonzalvus Sylveria.

Gymnaſio aptiſſimum Rectorem pręficiendum putarent, omnes in Ignatium Azevedium conſenſere. unde is raptim Conimbrica evocatus, naſcenti apud D. Antonij Vlyſſiponenſi Collegio præeſſe primus omnium iuſſus eſt: paulòque poſt legitimo ad id die xvi. Kal. Nov. S. Lucæ Evangeliſtæ Sacro, ſcholas is quinque, quatuor Exhedris aperuit, quarum in ſuprema Franciſcus Rodericius Theologiam quam Moralem vocant, hoc eſt perplexas de officijs Quæſtiones, quadringentis fermè ab initio Auditoribus cepit exponere, idemque alio tempore loco eodem, Mathematicarum Elementa tradere Diſciplinarum. Rhethoricæ docendæ Cyprianus Soarius, Humanitati Petrus Perpinianus, Grãmaticę Emanuel Aluarez, diſtinctis totidem Auditorijs ſunt Præfecti: qui tres quàm periti eſſent iſtarum Artiũ, ex eorum hodièque ſuperſtitibus ſcriptis licet agnoſcere. Sanè oportuit, multum in Azevedio extraordinariæ virtutis & capacis rerum maximarum Indolis à Prudentiſſimis illis Viris fuiſ-

44 Collegij ad S. Antonium Primus Rector creatur Ignatius Azevedius.

1553.

ſe

ſe animadverſum; ut Iuveni annorum quinque & viginti, vix ſextum ab inita Societate numeranti annum, limine penè in ipſo Theologici ſtudij, tam ancipitem ac tanti momenti Pręfecturam rectè demandandam iudicarent; & S. Ignatius illo cœleſti, quo de talibus cenſebat lumine, iudicia eorum comprobaret. Neque enim (quod quis fortè ſuſpicari poſſet) raritas idoneorum ad id munus hoc tum ita fieri coëgit. Extant Indices magnorum nominum, Provinciam iam tunc Luſitanicam unam è totius Societatis clariſſimis inſtructiſſimiſque monſtrantes; ex quibus recitari plures poſſunt, qui Azevedium ætate ac Religionis antiquitate multùm anteirent: induſtria, virtute, cæteris præcellentibus animi & corporis dotibus, propè æquare viderentur; & ipſi mox eo merito magnis operoſiſque iſtius generis curationibus impoſiti. Ac ne quis hos longè accerſendos fuiſſe cauſetur, nominabo duos tunc Vlyſſipone ad manum promptos, Gonzalem Vazium de Mello, & Antonium Quadrium.

45 Abundantia meriti Senioribus, & ipſis digniſſimis, prælatus à SS. Ignatio & Borgia.

Vterq; horum ferè quinquennio priùs quàm Azevedius in Societatem adſcriptus fuerat; uterq; ſtudiorum curricula omnium erat emenſus. Neutri gubernandi facultas deerat, qualem deinde præſtantem Vazius Luſitaniæ, Qnadrius Indiæ Provincijs adminiſtrādis probavere. Ambo denique, ſi & id ad cumulum requireretur, è primis Luſitanici Regni orti familijs, ſummam Illuſtriſſimæ nobilitatis commēdationem ad cæteras præclariſſimas dotes addiderant. Hi porrò in flore ac robore ętatis apud novam Domum Profeſſam S. Rochi ſub Præpoſito Gonzale Sylveria privati tum degebant, ubi prima Dominica Octobris huius anni vota quatuor ſolemnia sūt 1553.
profeſſi, in eum per hæc evecti gradum ad quem decennio tantùm poſt noſter aſcendit.

VII. Quod ſi tamen hunc illis S. Franciſco Borgia inter alios, ut dictum eſt, proponente, S.Ignatius prætulit, haud quidquam ab horum utrovis actum eſt cuius umquam ipſos pœnitere oportuerit; tam ſplendido

ſuc-

ſucceſſu ceptum id ſecuto; ut primū hunc Rectorem, non humana deſignaſſe prudentia, ſed Dei manus ſedulò effictum largèque ornatum, quaſi ad ideam perfectiſſimè fungendi talis Magiſtratus informandam, demiſiſſe de Cœlo videretur. Curavit is ante omnia Domeſticam componere Diſciplinam exactiſſimè ad verum recens promulgatarum Conſtitutionum ſenſum. Efficaciam in excitandis ad conatum perfectæ virtutis cunctis ſibi Subditis cum eximia ſingulos demerendi ſuavitate coniunxit. Indulgentia paterna vel minimos amplectens, ne quid quiſquā deſideraret, ſibi ſubtrahebat ipſi quæ ſuppeditaret egentibus. Officia quæ plus laboris & demiſſionis haberent, uſurpare primus; commoda & honores delegare alijs; ſolumque velle ſibi conſtare fructum acceptæ poteſtatis, licentiam antea Maiorum imperijs arctatam, in ſe ſe pro arbitratu ſæviendi. Ergo ipſum ex hoc tempore reperio hanc ſibi dixiſſe, quam tota inde vita tenuit, legem. tunicam ſetis cilicinis horren-

46 Prefectura perfecte fungitur: occaſionem ex ea ſumens de alijs optimè merendi, in ſe quàm aſperrimè ſæviendi.

tem

tem nudæ appreſſam cuti die iuxta noctuque perpetuò geſtare, tunc tantum (quod ſemel ſaltem quotidiè ſolebat) exuendam, cum ſe ſe flagellis cæderet, quorum lividis & non raro cruentis vibicibus numquam ei dorſum & latera vacabant. Induxit morem Noſtris ſe ſe loco ſimul publico ſæpiùs in hebdomade flagellandi; præibatque ſemper ipſis nudos ſuos immitiſſimè humeros feriens. Manè diebus ſingulis duas ſolidas in genua proiectus commentationi rerum divinarum horas impendebat, veſperi ante ſomnum ſaltem totidem; eſtque non ſemel deprehenſum, eum magnam noctium partem, interdum & totas ad lucem uſque, contemplando traducere.

CAP.

CAP. IV.

Provinciam Vice Provincialis administrat. An fuerit Rector Collegij Conimbricensis. In Vlyssiponensi S. Rochi Domo sedulò laborat.

I. DVm his intentus Azevedius Collegium Vlyssiponense, summa Domi Nostrorum pace, miroque fervore, pari Civitatis approbatione, sapientissimè ac felicissimè gubernat, luctuosus universam Societatem casus afflixit, avulso ab eius Gubernaculis, & in Cœlum translato Cõditore ipsius ac Patre S. Ignatio. Primus eius cladis nuncius, propter turbatum italico bello commercium cũ Vrbe Literarum, è Belgio in Hispaniam pervenit, scribente inde Petro Ribadeneira ad S. Franciscum Borgiam

47 Morte S. Ignatij nunciata, Provinciales ad Comitia euocantur Romam.

giam tunc Vallisoleti suo Commissarij officio fungentem. Aderant ibidem Araozius, Strada, & Bustamantius, Provinciales, de quorum unanimi sententia Borgia censuit, in Hieronymo Natali Roma illuc nuper appulso agnoscendam Vicarij Generalis potestatẽ, quoniam in Literis, quas ille adveniens tulerat, manu S. Ignatij conscriptis, idem S. Pater significabat: illum à se sibi Vicarium suffectum. Ergo Natalis subitò in Lusitaniam Literas dat, Michaëlem Turrianum ex Visitatore Provincialem iubens, commissa cui malit Provinciæ cura, itineri se quamprimum Romam versùs dare, ad Comitia ibi Præposito Generali deligendo celebranda. Ignorabant adhuc videlicet Hispanienses illi Patres, alium Romæ nominatum fuisse Vicarium, Iacobum Lainium, quem, simul admoniti fuere, obedienter agnoverunt. Paulòque post cum in Castellam, tum in Lusitaniam, Lainij ipsius perlatæ sunt Literæ, profectionem Præpositorum Romam ad Conventum Generalem imperantes.

II. Tur-

II. Turrianus circumſpectis omnibus, neminem reperit cui rectiùs vice ſua gubernandam Provinciam crederet, quàm Ignatio Azevedio; tantum is ſui ſpecimen dederat ferè iam quadrienni experimento Regiminis, Domeſticis iuxtà Exteriſque ſummè laudati. Multa intervenerunt quæ profectionem in Vrbē Turriani morarentur: ſuper cætera morbus & mors Regis optimi Ioannis III, quæ tertio Idus Iunij an. 1557. contigit. Brevi pòſt, impetrata Reginæ Viduæ, cui erat à confeſſionibus, eundi poteſtate, versùs Italiam ſolvit. Coactus obedientia novum ſubire iugum Azevedius, Luſtrationem inſtituit Provinciæ, pedibus longa itinera conficiens; aut ſi quando Comitum potiùs reſpectus, quàm ulla in ſe ſe indulgentia, compelleret iumenti vilis uſum adhibere, materiam inde ſui deijciendi captans, mulorum curandorum non ſolum obiter in Diverſorijs, ſed & in Noſtris, poſtquam eò pervenerant, Domibus, officium ut proprium uſurpando. Humilitati par caritas erat, nihil eo in oc-

48 Michaël Turrianus Ignatiū Azevedium vice ſua Regendæ Provinciæ Luſitanicę pręficit.

49 Mira huius in eo munere humilitas & caritas.

cursu benignius, in congressu comius, in iuvandi occasione diligentius, in omni tractatione circũspectius. Quoquò veniebat, pacem Collegijs vultu ipso primo lętitiamque inspirabat. privatim singulos alloquijs accomodatis ad perfectionem animabat. Fervere hinc studia laudis omnis: cunctis, quò voce & exemplo trahebantur, alacriter, ac velut impetu innato, sequentibus. Constitutionum quas ubiq; callentissimus declarabat, exactissima Domi observatio, foris in excursionibus per Pagos, in sublevatione Vinctorum apud Custodias, Ægrorum in Nosocomijs, summus Sociorum fervor. Iuventutis institutio in Scholis, divini verbi & Sacrorum administratio in Templis, pari sedulitate accurabantur. Spiritu quodam à capite in membra commeante vigere cuncta per Provinciam & animari quasi cerneres: laudantibus Externis, Nostris gaudentibus; & mira suavitate in perseverantia Religionis se confirmari sentientibus.

50 Hinc domi forisque summa pace, ingenti fervore, fructu maximo munia omnia Societatis exercentur.

III. Itaque cum creato Romæ

sub

ſub initium Iulij anno 1558. Generali Lainio, remiſſus ab eo Provincialis in Luſitaniam ſub finem anni eiuſdem Turrianus adveniſſet, eam Provinciã, ut diſtinctè Annales *a* annotant, in omnium quæ uſpiam eſſent florentiſſimo ſtatu reperit. Quid is cura Provinciæ reſumpta de Azevedio conſtituerit, dubium faciunt Monumenta quædam illorum temporum, indicare viſa: creatum ipſum Rectorem Collegij Conimbricenſis. Extat ſiquidem in hoc Romano Tabulario Catalogus Sociorum in illo Collegio degentium anno Chriſti 1557, in quo clariſſimè primus omnium ſcribitur Ignatius Azevedius, adiuncto vocabulo Rectoris. Ne id pro vero habeam, tenet me, primò ſilentium Scriptorum qui de his egerunt, mentionem iſtius Rectoratus Conimbricenſis nullam omninò facientium. Deinde quod certò conſtat illo anno 1557, ſub finem æſtatis profectum è Luſitania Romam versùs Provincialem Tutrianum, ſuum in eo munere Vicarium Azevedium reliquiſſe, nec ante autumnum anni

a Sacch. p. 2. lib. 2 nu. 163.

51 Conimbricenſe Collegium ab Azevedio vti proprio Rectore fuiſſe gubernatum quidam tradunt.

Sacch. Tellez Alegambe.

52 Certis id argumentis refellitur.

ſequentis redijſſe, unde eſt evidenter conſequens: toto illo ſpatio in Viceprovincialatu illum perſeveraſſe. Denique quia ex Literis Michaëlis Turriani ad Generalem Lainium datis anno 1560. manifeſtè colligitur, Azevedium exoneratum cura Vicaria Provinciæ, ſtudium Theologiæ intermiſſum reſumpſiſſe. Quid igitur? mendacem ne iſtum Conimbricēſem Catalogum dicemus? minimè. Præfuit enim revera ſub finē illius anni 1557. Conimbricenſi Collegio Azevedius, in quod ſtatim à Turriani diſceſſu ſe Vlyſſipone cōtulerat ad Viſitationem inde Provinciæ inchoandam, hæſitque in eo perdiù, quod ibi Sociorum ad centum quinquaginta iam tum degerent, quantum in tota reliqua Provincia non erat. Ergo quod illi Domicilio Provinciæ Capiti cum ſumma poteſtate Azevedius præeſſet, eius Rector in illo ſcripto nuncupatus fuerit.

IV. Illud quidem idoneo, quod indicavi, teſtimonio evincitur: poſt reditū ex Vrbe Turriani, reverſum Conimbricam Azevedium Theologicis

il-

illic se studijs reddidisse; in quibus tamen ultrà spatium annuum perstare quietus non potuit. Nam Catalogus Romam missus Domus Professæ Vlyssiponensis sub finem anni 1559, certam hodieq; fidem facit, ibi tunc fuisse P. Ignatium Azevedium Domi Cōsultorem, Doctrinæ Christianæ in Tēplo Magistrum, & Confessarium Carceratorum; quare ut testimonium Epistolæ Turriani anno sequēti scriptæ duos annos studij Theologici Azevedium absolvisse affirmantis, cogit nos dicere: vacasse illum post Rectoratum Vlyssiponensem, annuo spatio Theologiæ, qui secundus annus additus ad unicum ab eo antea isti studio impensum, disertè in priùs laudatis expressum monumentis, illud à Provinciali assertum biennium explicat: ita necessario intelligimus, evocatum eundem Conimbrica in Domnm Professam Sancti Rochi sub autumnum anni 1559, ut modo memoratis illic ministerijs fungeretur. Magnis oportuit Provincialem impelli causis ad iterùm abstrahendum à curriculo Theolo-

53 Azevedius resumpta Conimbricæ studia theologica iterùm cogitur abrumpere; in Domum Professã Vlyssiponensem acitus.

logici ſtudij Azevedium ; cuiuſmodi conſilium, iuxtà uſum & formam Diſciplinæ noſtræ, ex ſola ferè ineluctabili neceſſitate nanciſci excuſationem poteſt. Crediderim ingens relictum Vlyſſipone Azevedij deſiderium ex illic ſpectata virtute ipſius : unde vehementibus Exterorum & Domeſticorum de illo iſthùc revocando flagitationibus obſiſtere Turrianus nequiverit. præſertim cum præcipuam propenſionem ad procurandam apoſtolicis miniſterijs ſalutem Animarum Azevedius inter gubernandi occupationes oſtendiſſet ; &, in eam curam ſtrenuè impendens quidquid à munere Domeſtici Regiminis ſuffurari poterat vacui temporis, inſignem prorſùs talium utiliſſimè gerendarum functionum facultatem experimentis evidentibus probaſſet.

V. Non erit abs re quædam hic commemorare generis iſtius, quæ ut ille tunc ultrà debitum ſui geſſit officij, ſic ea nobis liceat nunc extra ordinem referre. Poſtquam in utroque Rectoris & Provincialis Magiſtratu

cun-

cunctis istorum munerum obligatio- 54
nibus cumulatissimè satisfecerat, in- Azevedius visitans Provinciam Missiones obiter Apostolicas exercet.
dulgere se existimans posse vehementi quo æstuabat desiderio lucrãdarum Christo animarum, in ministeria prodibat iuvandis accomodata hominibus; plerumque dum lustrat Provinciam, in obvijs obiter Pagis, Plebe rudi docenda, confessionibus audiendis, Ægris consolandis, conciliandis dissidentibus, moribundis adhortandis. Ad hæc illi Deus dederat robur corporis zelo animi par; ut perstare dies totos sine cibo, pervigilare noctes integras, etiam post diurnum gravem laborem, facilè posset. Vlyssipone, quàm sæ- 55
pissimè per curas domesticas licebat, Rector Vlyssipone Nosocomijs inservit.
visebatur in Valetudinarijs, tum eo quod vocant Regium, tum alio Incurabilium dicto. Itabat etiam ad Ergastula Vinctorum, & cõcione ad eos habita, sedebat ad Tribunal Pœnitentiæ, patientissimam confitentibus operam dans. Quærebat præterea in Domibus privatis aut languentes ex morbo, aut egestate conflictatos; quibus consuleret, inexhausta liberalitate

ca-

caritatis. Aliquandò in avijs tugurijs tria reperit propè moribunda Mendicabula. Homines erant flagitiorum infamium meritas luentes pœnas; exeſi membra diris ulceribus, omni ope deſtituti. miſerabiliori malè conſciarum & averſarum à Deo mentiũ ſtatu, quàm corporum. Advolat ad Præfectũ Xenodochij, tres lectos impetrat, paſcēdi & curandi qui ijs uſuri forent, in ſe providentia recepta. ſpirãtia hùc tria cadavera ipſe transfert. unus erat præ cæteris viſu horridus & putore intolerabili fœtẽs: hũc ſua manu Azevedius ubi ſordidiſsimis exuit cẽtonibus, poſtquam ipſe totondit, ipſe abluit, ipſe à concretis toto corpore ſordibus purgavit, mundo amictum indusio, molliter in puris linteis componit: duoſque pari ſedulitate cæteros. Tum cunctos alimentis corrogatis recreat: moxque ulcerum ac carcinomatum teterrimorum per ſe ſe curationem aggreditur. uti antea memoravimus, didiciſſe illum quaſdam artes Mechanicas humilitati ac caritati exercendæ utiles; ſic & Chirurgices

56 Inſigne ipſius factum in hoc genere.

ru-

rudimenta quædam arripuerat. Ergo infelicissimorum fluentes tabo plagas tractat, lavat, fomentis lenit, lina ijs & emplastra superponit, ac fascijs obligat, inde quotidiana assiduitate, nihil offensus visu tetro ac dira mephiti, beneficium iterat. Venit fortè id temporis negotij causa urgentis in urbem regiam è suo Collegio Leo Henricius (nam is in Conimbricensis Regimine Gymnasij paulò ante Godinio successerat) Hunc semel, ad suos Susceptos de more properans, Azevedius, comitem volentem poscentemque assumpsit. Erat & is sui heroicè vincendi exemplis in nostra etiam Historia memoratis, *a* clarus, peculiariter quoque exercitatus in ea palæstra, fortiter imperandi stomacho inter obsequia ægris egenorum corporibus impensa: Ergo principio alacriter adfuit, contrectanti ægros suos & Gangrænas ipsorum evolutas palpanti mundantiq; Azevedio, magna vi animi nauseam premens. Sed ut ad illum quem dixi purulentissimè strumosum ventum est, dum reteguntur lepra incrustati

a Orlan. lib. 6. nu. 96.

artus, dum quæ paſſim hiabant profunda & rancida ulcera terguntur, unde vis vermium, ebulliente ſanie, ſcatebat, perculſus Henricius ſpecie fœdiſſima, & peſtifero afflatus halitu vaporis inde ſurgentis, concidit repentè defectus ſenſibus; vixque aqua inſperſa, multiſque fomentis è gravi deliquio recreatus, nullum poſteà faciebat finem admirandæ ac deprædicandæ Azevedij fortitudinis, quam ex ſuæ debilitatis comparatione, longè eſſe maiorem uſu vulgari ſentiebat: Nec tacendum: haud defraudatum, quam appetierat, mercede tam difficilis curationis Azevedium. Siquidem ille aditum ſibi ad medendum animabus, iſta corporum cura captarat. ex votoque illi contigit, tres illos homunculos, licet obdurationis in ſcelere anteà irrevocabilis, obſequijs tandem tantæ caritatis emollitos, audire monita tam benevoli Miniſtri, ijſque perſuaſos, purgatas apud ipſum Animas plena confeſſione, ac vera pœnitentia criminum graviſſimorum, cum bona ſpe ſalutis, Deo in eius manibus reddere,

re, morte intra ſpatium non longum omnes ſingillatim obita: neque enim morbis humana ope curabilibus laboraverant.

VI. Geminum huic vincentis in Azevedio Naturam Virtutis Exemplum alio à me deſcriptum in Opere, quoniam id & ineditũ adhuc eſt; nec uti ſe res habent, ſperari eius emiſſio in lucem ante annos plures poteſt, hic adſcribã è Libro XIX. Partis V. Hiſtoriæ Societatis Ieſu, cuius Libri, res ab omnibus ubique per Orbem Socijs Actas an. 1599. complectentis, dum Petri Fonſecæ tum mortui vitæ ſummam de more colligo, hæc verbis totidem pono Sectione XXXIV. *Ad ultimum iuvat, unico demonſtrare facto, à quibus rudimentis ad eam Fonſeca virtutis & autoritatis Nobilitatem profecerit. Iuvenis cum Ignatio Azevedio, tum adhuc Adoleſcens Petrus noſter evangelizanti Apoſtolico ritu comes exiſſet, contigit ipſos, dum Hominem inſequuntur iratum, ut cum Inimico reconcilient, in Aegrotum incidere fœda elephantiaſi coopertum. Plauſtro iacebat ac vehebatur impoſitus. Manus, pedeſque*

magnam partem exederat vorax pestis. nulla integra tota Corporis superficie pars cutis. tetra visu facies, intoleranda naribus exhalatio, abominanda tractatu fœditas. Namque ultrà putrium ulcerum mephitim; cum se commovere miser nusquam posset, & Ministro careret, in sordibus quas alvus egesserat volutabatur. Tali miserando humanæ infelicitatis spectaculo perculsi Dei servi, continuò fastidiosam Naturæ mollitiem domandam, & promendam pietatem rati, occasionem vincendi seipsos divinitùs oblatam cupidè arripere decernunt. Ad Domunculam istiusmodi Aegrotis destinatam progressi, summa benignitate hominem ex plaustro deponunt; abstergunt diligentissimè tabum ac fæces, in lectulo collocant, adhibent & amantissimorum blanditiäs verborum, mirante Leproso, & in eos abs se misericordiam vertente. Illi sub ea Oppidum ingressi emendicant ostiatim pro infelici; & quidquid corrogarant stipis ad eum deportant. Denique comparatis non modò Cibis; sed & morbo accommodatis alijs quoque, ferè quanta sufficeret, copia, Vale Homini dicunt. Nunc cognoscere dignum est, quam à Misero adiuto collatæ opis vicem exegerint. Animadverterant

rant habere illum in ſuccida Mantica fruſta panis atri è Milio, præter quàm dura & mucida, etiam uncta, non adipe aut iure: ſed pure ac tabo ex ulceroſarum attactu manuũ; ac ſtrumoſi oris non magis morſu quàm ſanie ſignata. Has ut ſtomachum frangerent, inutiles iam ipſi donari ſibi reliquias popoſcerunt. impetrataſque tulerunt ad Diverſorium quò quidam alij è Societate horum in iſta Miſſione Collegæ convenerant. Ibi cum veniſſet hora ieiunij ſolvendi, conſidentes cum Socijs ad communem Menſam uterque iſta viſu informia fragmenta è ſacculo exprompta ſibi appoſuit: ex ijſque veſci, appetentia è ſui vincendi ſtudio nata, cœperunt. Non fefellit accumbentes unà Sodales pari Chriſti ardentes caritate, qua conditura tam inſulſæ ac ſpurcæ ambobus reliquiæ ſaperent. unde inplauſibile Superis exarſere certamen, à Duobus flagitantes, ne ipſis inviderent Edulij Crucis felle intincti particulas: ijſque negantibus, micas forte deciduas, avidè raptas vorantes, ignota Helluonibus voluptate. Corrugent licet nares Delicati dum hæc legent. Nos auſa heroica calcantis naturam Virtutis, Sanctorum exemplis conſecrata, obruere ſilentio non poßumus: uti nec affirmare dubi-

tamus: esse istas Cælestium Athletarum de Gula victorias, regijs Apiciorum Delicijs lautiores. Hæc ibi Nos: quæ quãndocumque Deo placuerit illa proferri, omnes legent.

VII. Istiusmodi de se præbitis crebrò documentis, arbitror meritum Azevedium, ut avulsus pręcociter meditationibus Literarijs, Vlyssiponensis Professæ Domus Operarijs accenseretur. Ibi porrò qua strenuitate, iniuncta quæ diximus officia obierit, ex uno specimine innuere sit satis. Quadam die à prima luce ad meridiem audiendis confessionibus operatus, indicium accipit: capitale supplicium sub vesperam de Reo quopiam sumẽdum. una erat, ut dixi, ex eius provincijs, Carcer publicus, unde producendus ad suspendium ille infelix dicebatur. Ergo fessus, ut erat, impransusque, eò confestim advolat; miseroque ad mortem æquo animo ferendã comparando, nusquam ab illo, quoad efflasset animam, absistens, laboriosissimè institit: ac tum demùm sub Solis occasum ieiunus adhuc se recipit Domum.

57 Azevedij caritas indefessa durantis dies totos sine cibo in iuvandis Animabus.

mum. Id cum obſervaſſet quidam hoſpes è Noſtris, Roma nuper appulſus, atque in Divi Rochi obiter diverſans, Socijs in familiari ſermone ſignificavit: admirari ſe tantum in Azevedio ſui neglectum, unde iure timeri poſſet, ne is in grave valetudinis damnum incurreret. At ei reſponſum eſt, obduruiſſe illum uſu in iſtis: nec iam hæc nova Domeſticis videri, utpote quotidiana, fervoris eius experimenta; quibus ſuſtinendis parem ipſi virium animi ac corporis firmitatem tribuiſſet, & dudùm continuaret, Deus.

CAP. V.

Ducitur Bracaram ab Archiepiſcopo, cui Luſtrãti Diœceſim inſervit. Fundatũ ibi Societatis Collegium primus regit.

Bar-

Barcellæ concionatur insigni exemplo & fructu. Vota quatuor solẽnia profitetur. Quid de illo Bracarenses & ipse Archiepiscopus senserint.

I. SIc fruebatur Azevedij laboribus Vlyssiponensis Professorũ Domus; & nihil in eo se minùs quàm expectasset, reperire gratulans, propriã sibi ac perpetuam tam industrij ac valentis Operarij copiam vovebat. ac neque illum ipsum pœnitebat suæ illic moræ, ubi nactus materiam immensæ caritati propè parem, nullum sibi tempus ab occasione benè de Deo & Hominibus merendi posse fluere vacuum, reputabat gaudens. Disiecit tamen utrorumque spes transversum incurrens ineluctabile consilium Providentiæ Cœlestis, quæ Messi alibi amplæ ac maturæ colonum hunc delegerat:

rat: quin & novæ in Agrum fertilem strenuarum Operarum Coloniæ mittendæ destinarat Ducem. Anno eodem Christi undesexagesimo supra
1559. 3. Sept. sesquimillesimum, tertio Nonas Septembris, inauguratus ritè Vlyssipone est in Bracarensem Archiepiscopum Bartholomæus de Martyribus, venerabilis Sacri Prædicatorũ Ordinis Professor, eò magis istum honorem egregia doctrina virtuteque præstanti meritus, quo fortiùs constantiusque, dum offerretur, detrectavit; solo tandem citrà culpã irrecusabili Maiorum imperio ad illum admittendum inflexus. Hic quàm primùm à consecratione sua, expedire se ab aulicis officijs po-
22. Sept. tuit, paucis post diebus, decimo videlicet Kalendas Octobris, ex Vrbe regia ad suam se contulit Ecclesiam; ubi spatio inde ferè trimestri compositis, quantum satis in præsens visum est, Civitatis ipsius Bracarensis rebus, accuratam reliquæ Diœceseos exequi lustrationem decrevit. Id illi paranti recurrerunt animo quæ multa & præclara de Ignatij Azevedij zelo atque

58 Bartholomæus de Martyribus inauguratur Vlyssipone Archiepiscopus Bracarensis.

K in-

induſtria in procuranda ſalute Anima-
rum, partim ipſe Vlyſſipone viderat,
partim è fama celebri cognoverat. Ex
quibus intelligens quanto ſibi adiumẽ-
to ad rem iſtam ex animi ſui ſenten-
59 tia gerendam talis vir futurus eſſet,
Luſtraturus ſuã Diœceſim petit concedi ſibi Azevedium & impetrat.
dedit accuratas Literas ad Provincia-
lem Societatis Michaēlem Turrianũ, »
quibus enixè orabat: ne ſibi ad viſen- »
dos, prout Sacri Canones iubent, ſuæ »
Ditionis Pagos urbe mox Bracara pro- »
dituro, comitem gravetur adiungere »
P. Ignatium Azevedium. Si adeſſet »
P. Conſalvus Sylveria, illum ad hoc ſe »
fuiſſe ante omnes petiturum: tam dul- »
cem enim vigere etiamnùm Bracaræ »
rerum illic ab eo ante annos novem »
præclarè geſtarum memoriã, ut quid- »
vis in ſalutem iſtorum Populorum ſe »
iſto adiutore perfecturum facilè puta- »
ret. Nunc quoniam is dudùm ſolviſ- »
ſet in Indiam, quem unum per omnia »
ei ſimilem cerneret Azevedium eò in- »
ſtantiùs poſcere, quò ſpem omnem ac »
facultatem rectè auſpicandæ ac ſalu- »
briter defungendæ ſuæ tanti momen- »
ti Præfecturæ, in eius conſilio, auxilio, »

&

" & cooperatione præſenti conſtitutam
" haberet. Erat vir ille magnus, & meritis in Societatem ingentibus, & efficaci ei propenſiſſimè gratificandi cõmendatione Roma nuper à Generali Præpoſito Lainio miſſa, tantæ apud Noſtros Præpoſitos autoritatis, ut nihil ei negare fas ducerent. Iuſſus igitur confeſtim in id occurrere Azevedius, unaque cum ipſo alius è Noſtris Sacerdos Petrus Gomeſius, ſumma hieme (Ianuarius erat Menſis anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi) pedibus Bracaram progreſſi, in publico illic mendicorum Hoſpitio diverſati ſunt, quoad, Archiepiſcopo ducente, urbe exierunt.

II. Subſunt Bracarenſi Præſuli lata ſpatia Soli aſperi, frequentiſſimè quidem habitata duro genere Plebis ruſticæ, cæterùm multa prærupta rupibus, impedita denſis ſaltibus, nec feracia felicioris annonæ, cuius nec importari ex Vrbe copia, propter invias montium acclivitates, facilè poteſt. Ea res laborem iniungebat Archiepiſcopo Comitatuique ipſius inde

graviorem, quòd ſolatia fatigatis propè nulla ſuppeterent. panis cibarius, vileſque nec urbani ſaporis, nec ipſi abundantes cibi, laſſitudine defectis apponebantur. Eminebat in talium patientia difficultatum verè Apoſtolici Antiſtitis alacritas, Ærumnarum ac contentionum particeps omnium, nihil eximiæ commoditatis in victu cultuque ſibi delatum, admittebat. memorant, fortè repertum aliquando (rē in montanis mapalibus raram) & ipſi propriè appoſitum, triticeum panem, Sodali proximo Azevedio ceſſiſſe, hocque recuſante, intactum manſiſſe; quoad ſitu mucidus, & ordeaceo peior vetuſtate iam factus, certatim ab ambobus fraudandi genij æquè cupidis appeteretur. utrumque videlicet Chriſti ſpiritu intimè inſtinctum, fames ſitiſque urebat ſanctior, Dei exequendæ voluntatis, Hominumque ignorantia & vitijs aberrantium, ad viam ſalutis revocandorum. Huic operi dies toti, maiorque pars noctium impendebantur. Diſcurrere Azevedius à primo mane ad veſperam impa-

60 Venerabilis Antiſtitis tolerantia & humilitas, & utrarúque in Azevedio imitatio.

pastus per villas & agrestia tuguria, collectam in cœtum rudem Plebem docere. Ibidem mox sedere audiendis confitentibus, nec, quoad esset omnibus satisfactum, abscedere. Hinc alios quærere, ac Pagos una die plures obire, pari contentione indefessæ caritatis. sic præparatæ Multitudines ad condictum statis diebus, quò vocabat Archiepiscopus, confluebant, Sacramentorum Eucharistiæ ac Confirmationis Pastoris sui manu percipiendorum causa: His monita Edictaque corrigendis vitijs, sanciendæque Disciplinæ promulgabantur. Tali specimine utilitatis Operarum Societatis confirmabatur eò magis Archiepiscopus in iam priùs concepto desiderio excitandi Bracaræ Sociorum Contubernij, quam rem ante suum ex Vrbe discessum sedulò urserat. Sed magnæ in contrarium se repentè obiecere obstaculorum moles. Illinc Cives Bracarenses Collegium scriptò Plebiscito recusarunt. Inde Canonici Ecclesiæ Maioris longa & acri obnunciatione restitere. Vnde prudens Antistes veri-

61 Collegij Societatis in urbe Bracaræ fundādi desiderium in Archiepiscopo sed ob multorum oppositiones irritum.

ritus ut ſalubre foret, contrà declarata ſtudia præcipuorũ Reipublicæ mẽbrorum primo ſtatim aditu venire, iã tum deſperaverat quidquam in eo genere poſſe perfici: ac modò etiam iterùm eadem reputans, expedire impetum nequibat ad denuò inchoandũ quod nunc quoque caſſum ſucceſſu tandem fore providebat. Itaque, peracta iam luſtratione minorum Oppidorum, ad Metropolim ſe conferens, Azevedio gratias egit navatæ operæ, ſeque non obſtare ſignificavit quominus unde venerat rediret. Et ille veneratus optimum Præſulem, recuſatoque, quod offerebat, Palatij Archiepiſcopalis hoſpitio, in Xenodochium Vrbis, ſolitum ſibi Diverſorium, veſpere cum Socio migravit, vale dicens, uti poſtridiè mane diſceſſurus. Tranſacta illic ambo noſtri Sacerdotes nocte, prima luce Sacro facto, ſumptis in manum baculis, ad iter versùs Vrbẽ Portum pedibus agendum prodeunt, cum ecce Quidam in Limine, ne pigeat ſibi dare operam confiteri cupiẽtibus, orant. Prolixè annuit Azevedius,

&

& Sacellum ingreſſus ad Sacrum Tribunal ſedit. At ecce primis expeditis, alij ſubinde alijque affluunt. Meridies iam erat & ille turba circũdatus purgare conſcientiam volentium, in ſella perſeverabat. Non ita multò poſt prandens Archiepiſcopus, ad ſuos; *En*, inquit, *bonus Azevedius in via nempe, ut tempus eſt, ſudat, multis iam milliaribus emenſis. at quàm navum & fidelem eo diſcedente adiutorem amiſimus! cui quando ſimilis continget?* Hæc unus Menſæ Miniſtrantium audiens. *atqui, Domine*, ait; *adhuc eſt in Vrbe Azevedius. Ego illum modò ante Xenodochium tranſiens in Aede ſacra Divi Marci confeſſiones audientem vidi. Ita ne*, reponit Præſul. *Ergo hùc ipſum curriculò accerſas iubeo.* Ex quo pridiè Noſtros Venerabilis Antiſtes dimiſerat, recurrentibus de inſtituendo Collegio cogitationibus agi ſibi ferrique ſenſerat animum: nec infeſtæ iſta cura nocti dies pacatior ſucceſſerat. Erat cum ſe increparet quaſi mollem nimium, qui fortè non inſuperabilium obiectu difficultatum, negotij tam publicè utilis perpetrandi abieciſſet

62 Caſu fortuito iterùm excitatur in Archiepiſcopo pia mens Collegij Soc. Bracaræ condendi.

ni-

nimis citò ſpem. nec ſe non aperiebāt indaganti viæ alliciendi ſuaviter ad aſſenſum optatum quos ſibi dolebat adverſari.

III. Inter hos reciprocantes per mentem ſenſus, advenientem Azevedium cum Socio, primùm lautos iuſſit ſecum accumbere; tum comiter arridens. *Heus vos*, inquit, *tempeſtivos viatores. quos in Diverſorio meridies opprimit! at (ſeriò iam loquar) divinitùs id factum interpretor. Sunt enim quæ tecum, Pater, privatim conferre magnoperè cupio. Tu dic interim quæ te remora feſtinantem tenuerit?* Ad hæc Azevedius: *temperare mihi, Domine, in occaſione benè merendi ab opera nequeo. rogarunt ſuccinctum ad viam unus & alter, ne conſolari purgare animum volentes ſe gravarer, ſucceſſere ſenſim plures atque ut turba confluxerat. niſi me Veſtra Illuſtriſſima Dominatio vocaſſet, uſque ad veſperam hærendum in loco mihi videbam. & dilatæ profectionis tædium abunde occupationis dulcedo compenſabat. quid enim iucundius quàm conciliare Homines Deo? Nempe iſto eventu*, ſubiecit Archiepiſcopus, *docere me Deus voluit, quàm intempeſtivè, dimittendis*

pri-

pridiè vobis, abegißem strenuos Messores à segete iam alba & falcem vocante. Nunc cum detur, divina gratia, locus retexendo consilio damnoso, mutata sententia, veto quantum possum, ne abeatis. pergite ut cepistis excolere vestra industria Civitatem hanc, non minus indigam tali ope, quàm unde heri rediјmus, agrestes Pagi. Sub prandium seducto Azevedio disseruit: planè constitutum esse sibi tentare denuò institutionem Collegij; modosque monstravit quos excogitasset eluctandæ Obsistentium renitentiæ. Ab hoc colloquio ambo Sacerdotes nostri consueto se Xenodochij diversorio reddiderunt, mendicato illic usuri de more victu: prout olim ibidem Gonsalvus Sylveria, & recentiùs, paulò antequam novus Archiepiscopus consecratus esset, rogatu ipsius iam designati, aliquot Sociorum Vlyssipone submissi, fecerant, ministeria Societatis magno usu & plausu, Plebeiæ præsertim multitudinis, exercentes. Hinc novo animo rem gerere Azevedius aggressus, Primùm accepto indicio perniciei quam incautæ Iuventuti afferebat perditarum

63 Azevedius utiliter laborat in Bracara scandalis purgãda.

mulierum impudentia, multas ex illis salutari pudore confusas, à turpissimo quæstu ad bonã redegit frugem. Alia illic peste laborabant viri. Acre ac bellicosum per illos Tractus Hominũ genus, facilè contractis inter irritabiles Iuvenes rixis, in odia cædes subinde parturientia, erumpebat. Huic quoque exhauriendæ sentinæ Azevedius antliam iniecit, tanto Dei fortunantis auxilio, ut brevi tempore sermones urbani de iurgijs priùs quotidianis, minisque odientium invicem, ac provocantium, sequentibus non rarò eventibus tragicis, uberem habere materiam soliti, argumentum iam auspicatius vulgò tractarent, narrandis exemplis condonantium sibi mutuò graves iniurias, & ex professis contestatisque longo spatio immortalibus inimicitijs, in pacem synceram, benevolo palàm declaratã amplexu, coëuntium. unicum in specimen istiusmodi generis factum referam. Duo erant è Primoribus Civium cum magna Vrbis offensione iampridem iuvicem capitaliter infensi. Hos singillatim ma-

gno

gno ambitu Azevedius conventos, ægrè tandem exoraverat, ut ad ſe Domum certa hora venturos pollicerentur. Adfuit unus ad condictum, qui cum diutiùs expectaret, incertum qua cauſa, morantem alterum, ſolicitus Pater ad Domus oſtium proceſſit: & qui primus tranſeuntium occurrit, ei blandè vocato: *Ne te pigeat Domine*, inquit, *quod facilè queas, cooperari bono negotio; noſti illum* (nominavit quem deſiderabat) *fac obſecro te, ſtatim conventum admoneas, dudùm hic ipſum requiri, quò ſe in hoc tempus occurſurum mihi heri promiſerit*. Ad hæc iſte: *bona verba Pater*, inquit, *eius viri mihi pridē inimiciſſimi nec vultum ferre occurſantis poſſum, nedum ut ſuſtineam Domi eum ſuæ viſere*. Amplexus talia cauſantem Azevedius; *Ignoſce*, ait, *ignaro veſtrarum rerum: & tamen per quidquid carum habes, obteſtanti largire mihi brevem apud nos moram, cuius ingens tibi conſtabit fructus*. Hoc, poſtquam annuit, introducto, dum alios in platea ad cunctantem urgendum exquirit nuncios, iterùm & tertiò ſimili exceptione repulſus eſt. Duo nempe alij ſimultates

64 Quatuor conciliationes infenſorum inter ſe ſe uno die feliciter perfectæ.

& odia in eum quem vocari Pater cuperet, propria excuſarunt, ob quæ negabant ſibi fas eſſe infenſiſſimum ipſis hominem alloqui. Et hos Azevedius infimis delinitos precibus, vix tandem exorat, ut ingredi & ipſi dignarentur. Nec multò poſt denique adfuit qui quærebatur. cui renidens Pater, cunctationis tibi nobiſque quæſtuoſæ defenſionem omitte: per eam enim factum ſcito, ut cum cunctis à te diſſidentibus una opera redintegres gratiam. tum quatuor illi oſtendens qui ſe læſos ab illo quererentur: nonne, ait, te pœnitet illatarum his iniuriarū? nonne pacem & amicitiam ipſorum poſtulas? Vos viciſſim nonne Dei & veſtræ ſalutis cauſa, ignoſcitis, ſatisfactione accepta? cunctis annuentibus, pro uno fœdere quadruplex icitur.

IV. Dum his Azevedius attendit, perducta feliciter ad exitum, incenſis Archiepiſcopi ſtudijs, negotiatione Collegij, Canonicis iam & Civibus plenè aſſentientibus, III. Kal. Septembris Anni paulò ante memorati, ritè confectæ Tabulæ ſunt; ſtipulante nomi- 30. *Aug* 1560.

mi-

mine Societatis Azevedio; per quas locus & census Nostris assignabatur, quibus autorati, consueta docendæ Iuventutis, excolendique sacris functionibus Populi ministeria in perpetuum Bracaræ obeunda susciperent.

An. 1561 Inita novi Gymnasij possessio post paucos menses est, & à missis eò Conimbrica Magistris apertæ scholæ. Rector nascenti familiæ Azevedius impositus, latum invenit campum cunctis suis explicandis artibus. Est Domiciliorum quæ numerosæ, præsertim Literatorum, & sacris Operantiũ, Sodalitatis perenni habitationi præparantur, operosa sẽper instructio, quod multa varij generis æquè urgentia curanda in idem se tempus oggerunt: Hinc Cella & penu flagitãtibus annonam: inde Officinis usus Domestici utensilia necessaria poscentibus. Dum aliò interim avocat Vestiarium implẽdum, aliò lectis, lucernis, libris, sedilibus Cubicula ornanda. Denique in diversam, at cunctis prævertendam solicitudinem abripit, egens Templũ Sacræ Supellectilis, Reique divinæ mul-

65 Collegij Bracarensis initia Primo Rectore Azevedio.

multiplex comparandum Inſtrumen-
66 tum. Ad hæc tot unus occurrebat, idẽ Paterfamilias, idem Oeconomus, idem Emptor, Diſpenſator, Procurator, omnia ſolus Azevedius: nec per inevitabiles anguſtias initiorum, unde omnibus ſatisfieret, quamlibet ſatagenti ſuppetebat. Tunc Rector à ſua ipſe virtute ſupplementum egeſtatis extundere conſueverat. Nam aut, abſtinentia largitioni copiam parante, ſe ipſe fraudando neceſſarijs, efficiebat ne ſui opportuna deſiderarent; aut ingenti fiducia exorabat à Deo quæ humana ope nequirent confici. Sunt Bracaræ, propter viciniam Montium & Cœli tractum Septemtrionibus obverſum, hiemes rigidiores. Hinc Adoleſcentem conſpicatus è Magiſtris, vi frigoris tremulum, quod, exhauſta iam Sartoris apotheca, ſubuculæ non niſi attritæ ac tenuis nanciſci copiam poſſet: ſuam ſibi clàm detractam tunicã Iuveni dedit, iubens hac alteri ſuperinduta humeros & latera fovere. ipſe ſine interula ſolam extimam togam crudo Boreæ obijciens duravit, quoad

Strenuitas eius & caritas.

pe-

penetrabili rigore viſcera intrāte, metu morbi gravioris contrahendi coactus eſt à ſolita ſui deſpicientia & amore paupertatis ſubſidium petere. Fortè invenit in equili obſoletum cētonem panni olidi (ſtragulum iumenti vetus erat) eo pectus obvolvens, tali de ſe paludamento triumphabat. Fuit cum imminente hora prandij trepidè admoneretur à Triclinij Præfecto, (is erat Manuël de Rego Coadiutor, cuius ſcriptum hac de re teſtimonium habeo) deeſſe Domi panem. Cui Rector, *Tu tamen*, ait, *ad pulſum horologij ne omiſeris edere tintinnabulo conſuetum ſignum conveniendi ad Menſam*. Fecit ille ut iuſſus fuerat, vacuo adhuc ut priùs penu. Sed iam confluentibus ad convictum Sodalibus, vocatus oſtiaria nola Ianitor ille ipſe Manuël, Mulierem reperit, ſupra caput geſtantem ſportam ſupernè tectam mappa candida, plenam optimis panibus, quos ſe offerre Patribus dicebat. Hanc Oſtiarius exonerās, ſuſtineret ſe paululùm, oravit, quoad pane depoſito ciſtam inanem cum linteo referret. Sed nul-

67 Fiducia in Deo non fruſtrata.

lam

lam mox rediens Mulierem invenit. nec cuius id munùs, aut is cophinus fuerit, sciri umquam potuit.

V. Non tamen hisce solicitudinibus Domesticis à curandis per sacram Doctrinam & Sacramentorum administrationem Externis Azevedius avocabatur. Itaque cum in meliusculum iam statum recẽs Colonia profecisset, ut carere paulisper præsenti Rectoris providentia, sine magno incommodo videretur posse; accepissetque sub instantes verni ieiunij ferias à Barcellensis Oppidi Primoribus Literas, quibus magnoperè orabatur, aliquem ut ad ipsos è Collegij Patribus idoneum mitteret, cui per Sacram de more Quadragesimam ex Ecclesiæ pulpito dicenti Populus operam daret, istam ipse sibi provinciam excepit. Distat Bracara octo fermè milliaribus Barcella, Municipium nobile ac frequẽs. Eò Ignatius, adiuncto sibi è Socijs adiutore Laico (eodem illo quem superiùs nominavi Manuële de Rego, ex cuius narratione scripta, pleraque quæ mox referam, didici) pedes iter intendit.

Erat,

Erat, ut Menſe Februario; frigida & pluvia tempeſtas. Praduſque amnis eam medius incurrens viam ita imbribus intumuerat, ut ne ab equite quidem vado traijci citrà ſumnium periculum poſſet. Stabant inopes auxilij conſilijque omnis Viatores duo. alterque horum Azevedius mente intùs occupata commentationibus divinarum rerum, uti ſemper iter agendo conſueverat. Eius exemplo, & præſenti difficultate motus comes, & ipſe tacitus venerabatur Deum, rationem dignaretur tranſmiſſionis oſtendere. Dum in his ambo ſunt, & toto latè agro nullus mortalium apparet; ecce miro modo ſe ſe è citeriore in adverſam ripam tranſlatos innoxiè gratulantur, laudantes adiutorem in opportunitatibus Deum, qui videtur iſto miraculo declarare voluiſſe, Autorem ſe Azevedio profectionis iſtius & conſilij fuiſſe. Appulſo Barcellam, adfuere Primorum indidē Civium plures, ad ſua certatim hoſpitia invitatu benigniſſimo trahentes. quibus ille, gratijs prolixè actis, *Pauperes*, ait, *ſu-*

68 Azevedius Barcellam ad Evāgelizandum tendens miro modo Pradum amnem traijcit

69 Barcellæ civili hoſpitio recuſato, in xenodochio diverſatur aſperrimo victu.

mus, ideòque parato Pauperibus diverſorio utemur Xenodochij Vrbis veſtræ publici. nec dimoveri precibus allegationibuſve ullis à ſententia potuit. Illi, quod unum ipſis officium integrum reſtabat, lautum duobus Hoſpitibus victum magna quotidiè copia in Xenodochium miſſitare inſtituerunt. Sed ex illis Azevedius pleraque intacta remittebat donantibus; partem, Xenodochij Curatoribus in Egenos dividendam tribuebat, ipſe prorsùs guſtabat nihil; unuſque illi cibus erat ſemel in die ſub veſperam, non piſcis, non herbarum quidpiam, ſed merum, idque emendicatum fruſtum atri & duri è milio, ſpelta, vel hordeo confecti panis, quali Plebs illic ruſtica conſuevit veſci. pro omni vel condimento vel obſonio infundebat illi ſuccum expreſſum è malis aurantijs, quorum in feraci eiuſmodi pomorũ ſolo, pervilis illic eſt annona. In hac Ignatius diætæ duritie perſeveravit, quoad eius arbitrij res fuit; nam poſt aliquot hebdomadas à Provinciali Turriano de his ſerò edocto Literæ ad ipſum per-

ve-

venere, quibus diſtrictè iubebatur: in ijs quæ ad curam ſpectarent corporis, è ſui Socij iudicio pendere.

VI. Actionum Azevedio Barcellæ quotidianarum diurna hæc conſtantiſſimè ſervata deſcriptio fuit. Surgebat è ſtrato tertia hora poſt noctem mediam. Hinc uſque ad Solis ortum adorando Deum reſque Divinas contemplando perſtabat. Cum primùm fores Templi patuerant, ad Tribunal pœnitentiæ præſtò erat, multis ſemper cõcurrentibus aures patientiſſimè adhibens. Inde ſtato tempore admonitus ſe rectà cõferebat ad Pulpitum, dicturus apud concionem expectantem. ſimul peroraverat, confeſſionũ audiendarum occupationi ſe reddebat, pleriſque quos dicendo permoviſſet, præſentem conſcientiæ purgãdæ occaſionem arripientibus. Media ante meridiem hora Aram ſacrificaturus accedebat. Poſt Sacrum, longo ſpatio agendis gratijs impenſo, prodibat viſendis ægris, conciliationibus diſſidentium ſuadendis, docendæ Catecheſi; interim ſi qui poſcerent, au-

70 Ordo eius diurnorum Actoiũ dum Barcellæ fuit.

dientiam peccata confitentibus in Templis quibuſque obvijs præbens. Ita die tranſacto primis tenebris illa quam dixi cœna ſumpta, recitandis Horis canonicis, ac ſubinde parandæ poſtridianæ concioni, uſque ad noctē mediam operabatur. Tum denique, poſt examen conſcientiæ, & multam Dei venerationem, quieti ſe dabat. quatuor quavis hebdomade diebus, intermiſſis concionibus urbanis, à primo mane ad veſperam, Pagos ad duodecimū aut quintumdecimū ferè milliare circumſitos pedibus obibat, ter quater-ve in die varijs locis ad concionem dicens, confeſſiones ubique audiens. Vicus erat eius Tractus, paulò ille quidem fortè avius magis, acceſſuque difficilior: ſed ingens illuc operæpretium vocabat: quòd certo Pater cognoverat indicio, flagitia occulta curantis illam plebem Sacerdotis. Ergo quadam die ad iſtud Caſtrum inexpectatus venit. Conventumque Domi Parochum illum ipſum demiſsè rogat, vocare Populum in Sacram Ædem ne gravetur. Ad congregatam

71 Inſignis hominis flagitioſè viventis cõverſio.

mox

mox Plebem, præſente ipſo Paſtore, de peccati fœditate, de damnationis æternæ inæſtimabili pernicie, deque tanti mali propter mortis ubique inſidiantis incertitudinem, imminente malè cōſcijs in horas ſingulas horribili periculo, diſſeruit Azevedius tanto ardore, ut quotquot aderant terrore haud diſſimulato, concuterentur. at, quod præcipuè ſpectaverat, ille cæcus aliorum Ductor, penitus compunctus procidit ad pedes Oratoris, confeſſuſque illi peccata cum lacrymis, mox eodem die mulierculam quam habebat contubernalem, Domo eiecit, vitamque inſtituit gradu deinceps ſuo dignam, in qua Deo iuvante conſtanter perſeveravit. In Barcellenſi Hoſpitio pauperum, cum eò, ut diximus, diverſatum Azevedius venit, Mulier erat leproſa, à capite ad calcem plena ulceribus; propter teterrimum odorem, & tædium diuturni, eiuſque incurabilis, morbi ab omnibus neglecta. Hanc Pater miſeratus, conſolari quotidiè inſtitit, victum illi neceſſariaque obſequia procurans, do-

72 Caritas Azevedij erga mulierem leproſam.

cens

cens atque adhortans, ut mala corporis in animæ remedia verteret: peccata confitentem ſæpiùs audiens. Denique ubi è certis ſignis animadvertit ingraveſcere languorem, ad mortem piè obeundam comparans, Sacri Viatici, Extremæq; Vnctionis Sacramentis manu ſua (quòd fœtorem alij refugerent) ipſi miniſtrandis, agentique animam patientiſſimè adſtitit, quoad cum ſpe melioris in futurum ſortis, ſpiritum efflaret.

VII. Poſt feſta Paſchalia Rectori Collegium ſuum repetenti, Barcellenſes multis actis gratijs, equos ad iter obtulere, quos ille recuſavit - inſtantibus tamen illis officioſiùs, ægrè Aſellum admiſit, quo per vices ipſe ac Socius, levando viæ labori uterentur. Eo modo cum ſe Vrbi admoviſſent, conversus ad comitem Azevedius, *illudere,* inquit, *nos Mundo Frater oportet: & quantò pluris nobis ſit improperium Chriſti triumphis humanæ ſuperbiæ, palàm oſtendere, ridiculo Bracarenſibus ſpectaculo præbendo. Elige utrum mavis, an vectari iumento, me trahente; an equitanti mihi ſimilem operam præ-*

73 Vrbem intrat Azevedius probroſo habitu ſui deſpiciendi cauſa.

præstare. Præoptavit, ſui probroſiùs traducendi ſtudio, priorem conditionem frater. inſcenſoque Aſino, cuius Capiſtrum extremo longi funis arreptum capite præcedens pater Azevedius trahebat, Meridie Vrbem Bracaram intravit; per plateas frequentiſſimas uſque ad fores Collegij ſe ſe publico uterque ludibrio traducens. Attexam huic alia' humilitatis Azevedij ſuique deſpicientiæ edita Bracaræ exempla. Facta quadam à Rectore inter Domeſticos diſtributione ſacrarū Icuncularum ac piacularium globulorum, cognovit aliquos Patrum queri, haud eam quam æquam putarant, ſui rationem habitam. Congregatis ad cœnam & accumbentibus cunctis, ingreſſus inopinatò Triclinium Rector, medius procidit in genua, culpamque ſuam faſſus, quod agendo imprudenter materiam dediſſet querelarum, veniam petijt, moxque nudatos humeros flagello acriter cædere perſeveravit toto ſpatio quo lenta ipſe voce Pſalmum ad finem uſq; pronunciavit quinquageſimum, cuius eſt initium,

74 Domeſticas querelas Rector inſigni ſui demiſſione ſedat.

Mi-

Miserere mei Deus, &c. confudit eo facto incredibiliter murmuratores, & in suę venerationem virtutis amoremq; convertit. Id quod minùs fuit mirum in Religiosis hominibus, cum Externos, & vehementiùs iratos, arte pari delinierit. Civis erat Bracaræ falsa suspicione Azevedio infensus. Is Patrem fortè in Platea occurrentem acri iurgio adortus, totum in eum stomachũ maledictis acerbissimis effudit. Perstitit Azevedius silens atque immotus, quoad detonuit tempestas, & postquã ille improperando defessus, tandem obticuisset, Rector, placido vultu caput nudans demississima hominem salutatione veneratus, ne uno quidem verbo addito, abscessit. Hinc, quasi frigida igni superfusa, ira litigatoris vehementis omnis extincta est. Vix Rector se Domum atque in cubiculum receperat. adfuit Ianitor, & talem Civem (illum nominavit cuius modò excandescentis passus procellam erat) magnoperè velle dixit ipsum alloqui. Descendit illicò Pater, fortiori etiam præmunitus mansuetudinis ad extre-

75 Petulantiam Externi insultantis humili salutatione cófundit.

mum

mum tenendæ proposito; quippe qui haud sine causa vereretur, consuetis actum intemperijs hominem, sibi Domi quoque suæ insultaturum advenisse. at longè illum tunc quidem opinio fefellit. simul Azevedius apparuit, Civis ille plenus lacrymis ad eius genua procidens, & ipsa amplexus, sibi ignosceret oravit, obliviscique dignaretur quæ suus pauló ante, nunc serò agnitus & damnatus, effutijsset furor.

VIII. Complectar deinceps simul disparata quædam & genere rerum & serie temporum, quæ hoc spatio quo Azevedius Collegium Bracarense gubernavit, sparsim evenisse Chartę inde allatæ, hic servatæ, veteres affirmant. Iter is aliquãdo per istos Tractus, caussa nescio cuius negotij, agens, Cimbã cum multis conscendit, qua Cavadum flumen altum ac rapidum traijceret. Excesserat is ripas tum fortè, ac tumẽs turbidusque ferebatur: &, quod Portitorem Vectoresq; transfretantis lintris haud parùm terruit, arbor ingens radicitùs evulsa, medio ruens alveo,

76 Flumen traijciens se ac comites mirabiliter ab instanti submersione servat.

rectà in Naviculam rapiebatur, impetu fluctuum humanitùs ineluctabili. consternatis cunctis horrore periculi, ac conclamantibus, stans unus Azevedius vultu intrepido, considere iussit omnes securosque esse; & ad proram accurrens, ubi iam latè protensis fluitantis arboris ramalibus Cimba implicabatur, antrorsum trudente pondere longi & crassi stipitis, cui tota vis torrentis undæ à tergo vehementissimè instabat, manu prehenso uno è ramis, facilè dimovit natantem truncum, aliamque in partem, salvo, & cursum de reliquo suũ facilè tenente, lembo, avertit; admirantibus universis qui aderant, & per unum hominem divina se ope, præsentissimo exitio liberatos, gratulantibus. Relaxabat quadam die animum familiari sermone Domi Rector Ignatius cum Socijs, medius eorum; quando ecce contigit ipsorum unum vehementi pulsari tentatione imaginationis obscænæ. Hic, ut erat bonus & Deum timens, periculo animadverso, virtutem advocavit omnẽ suam, conatumque ad resistendum in-

77 Arcana cordiũ idem videt.

intendit, ac ſuis tamen diffidens viribus oculos in Rectoris vultum erexit, quaſi eius opem implorans. eodē momento Azevedius, obtutu multa ſignificante defixit laborantem; ita ut is poſteà narraret: ſe ſe dubitare nequiviſſe, quin perſpecta præſenti eius conſcientia, Rector ipſum ad fortiter agendum, turpi abigenda cogitatione animaret. Idque paulò poſt liquidiùs perſpexiſſe, quando iam Deo iuvante planè obfirmatus in recto propoſito; nefariaque ſuggeſtione prorsùs eliſa, iterùm intuitus Patrem eſt: & ei viciſſim ille reſpondit, coniectu oculorum longè à præcedenti diverſo. Nā prior ſubauſterus & ſeveræ minacitatis aliquid habens, accomodatus nimirùm fuerat ad deterrendum à delectatione impura Iuvenis animum, hic renidens miſtuſq; arriſu blando, haud dubiam præſeferre videbatur gratulationem introſpectæ penitùs in mentis arcano victoriæ. Erat is cui hoc contigit P. Petrus Luigius, Philoſophiam tunc docens in Bracarenſi Collegio: cuius Teſtimonium, ea de ſe fatentis

& ſanctè confirmantis : ſibi tunc fuiſſe manifeſto experimento compertiſſimum : viſa Rectori ſuo Azevedio intima operta ſuæ Mentis, extat ritè relatum in Tabulas authenticas, Actorum Quæſtionis Eboræ habitæ *a* autoritate Apoſtolica. Ductus aliquando Energumenus eſt in Sacram Ædem Bracarenſis Collegij, quem Patres ali-
78 quot recitandis ſuper Exorciſmis Eccleſiæ, diù fruſtrà curare contenderũt. Tandem unus ex illis Michaël de Barrijs, ad Rectorem Azevedium ſe confert, maiorem in modum orans, deſcendere in Templum ne gravaretur. ægrè ille perſuaſus denique annuit; & ſumpto in manus, quo in ſuos ſævire humeros ſolebat, flagello, bis ter-ve inſeſſum malo Dæmone hominem pulſavit. mira res! ſtatim haud dubijs ſignis veri egreſſus editis, abſceſſit à vexato corpore infernus hoſpes; nec umquam miſerum illum infeſtavit poſteà. Permiſit tamen eiecti Satanæ furori ſolatium aliquod Deus; quod in illuſtriorem Azevedij virtutis coronam cederet. ut enim è Canoni-

Dæmonem ex Energumeno flagello pellit.

a Proceſ Evor. Ann. 1631. fol. 57. pag. 2.

ça Iobi certaminum Hiſtoria, & ex Eccleſiaſticis Sanctorum Plurium Actis, ſcimus concedere interdum divinam Providentiam Stygijs furijs facultatem ſæviendi plagis in Dei Servos: indulgere tunc quoque cœleſte Numen expulſo verberibus Dæmoni voluit, ut ſuam Azevedio flagellationem cum uſura reponeret; eo maximè tempore quo ab illo in Barcellenſi, de qua diximus, ſtatione, quotidiana contentione concionandi & confeſſiones audiendi, opimas innumeraſque ſibi extorqueri dolebat prædas. Habeo ſcriptum teſtimonium Manuëlis de Rego, quem illi tunc adfuiſſe Socium ſuperiùs retuli; quo ſanctè affirmat: Duabus ſe noctibus, per illud trihorium quo quieſcere Azevedius ſolebat, in Conclavi proximo cubantem, clarè audiviſſe crepitum inflictorum validè verberum, & ad ſingula, vocem quaſi eiulantis Azevedij, unde intelligebatur non à ſe ipſum illa pati, ſed vi externa opprimi: ergo raptim exurgentem ad oſtium Conclavis acceſſiſſe, atque interrogaſſe, quid rei eſſet? 79 Flagellatur à Dæmone permittente Deo.

&

& an auxilio egeret? ac prima quidem vice à Rectore iussum recedere: secunda verò, importunis precibus ab eo extudisse: tunc ipsum invisibili quadam manu acerrimè fuisse flagellatum. nec tamen illum propterea, aut surgere hora consueta desijsse, aut remisisse quidquam de diurno tenore laborum ieiunijque. Quadam die in Bracarensis Collegij Templo, cum progressus ad Aram Azevedius, in altari medius ante Christi Cruci affixi Effigiem, quasi mox Sacrum incepturus staret, raptus extrà usum sensuum, tanto spatio mansit immobilis, quanto Minister, ne nihil ageret, orare interim adorsus, septem, qui Pœnitentiales vocantur, Psalmos ter pronunciavit universos. Tum demùm Rector, velut evigilans, percontatus ubi esset? & quid ageretur? inchoavit perpetravitque more solito Sacrificium. Nec semel alibi aliàs deprehensum eundem inter orandum in Cubiculo per longum intervallum à sensibus abstractum, reperio.

80 Rapitur in Extasim Sacrum faciens.

IX. Hactenus colligentem me

Aze-

Azevedij Acta, admiratio ſubibat, nuſquam reperti in vulgatis dudùm temporum illorum monumentis veſtigij ullius, emiſſæ ab illo ſolemnis Profeſſionis. Servantur in Romano Tabulario autographæ formulæ votorum à quibuſvis, per remotas etiam Provincias, ab initio Societatis ritè palàm cõceptorum. at illarum quædam incertis viarum caſibus obiter abſumptæ periere: interque has nuſquam apparet, quam ab Noſtro pronunciatam & ſcriptò datam aliundè certum eſt. Indicium eius rei primũ inveni in Catalogis annuis, veteri & hodieque vigente conſuetudine, Romam miſſis, Collegij Bracarenſis, ubi cum anno 1563. legatur *Rector Ignatius Azevedius*, anno ſequenti eius nomini apponitur; *Profeſſus*. Tandem ſcrutanti Archivium noſtrum ulteriùs, occurrit Epiſtola ad Generalem Lainium Conim-

1. *Maij* 1564. brica data Kal. Maij Anni quarti & ſexageſimi ſupra milleſimum & quingenteſimum, à Iacobo Hernandez, in qua verbis totidem (nam latinè ſcripta eſt) hæc extant: *Quinque Sacerdotes* qui

81 Professionem votorum quatuor emittit.

qui multos iam annos in Societate degentes, assidua longi temporis periclitatione præclarum specimen suarum virtutum dederant, Institutum Societatis quatuor votis solemnibus sunt professi: Franciscus Henriquez, huius Provinciæ Procurator, Marcus Georgius, Petrus à Fonseca, Dominus Ignatius Bracarensis Collegij Rector, Cyprianus Soarez Scholarum Præfectus. Sacrum fecit P. Miron, in cuius præsentia vota nuncuparunt. In his non est dubium quin, qui quarto numeratur loco, fuerit Noster Ignatius Azevedius, quem certo est certius Bracarensis Collegij Rectorem mense adhuc Maio illius anni 1564. fuisse, cum habeamus scriptas eius manu ad Præpositum Generalem Iacobum Lainium Literas ternas, primas datas die 26. Augusti, alteras 12. Octobris, ultimas 17. Novembris eiusdem anni, quibus se, cum illas scriberet, perstare in Regimine illius Collegij, clarissimè testatur. Quod autem suppresso fami-

82 Cur Dominus Ignatius in Epistola vocetur

liæ nomine, solo prænomine Ignatij, præmisso Domini titulo, appellatus hic est, honoris genus peculiaris fuit illic tunc ijs Nostrorum deferri soliti

qui

qui claritate natalium eminerent: primis illis Socijs æquum censentibus tales à reliquis aliqua nota discernere. in quo tanta erat utrimque simplicitas, ut quod à cunctis sine invidia tribueretur, id sine fastu quibus dabatur, acciperent. Nam videre hodieque licet apud Nos servatum Autographum Professionis P. Consalvi Sylveriæ pari nobilitate conspicui, sic planè ab ipso subscriptum *Don Gonsalvo.* abrogatus hic tamen posteà mos est, à
1565. secunda Congregatione Generali anno sequenti habita, cuius hoc extat Decretum ordine octogesimum quintum: *Nomen illud honorificum, idest, Don, ubi est insigne nobilitatis sæcularis, de Societate nostra omninò tollatur.* Nec est incredibile nostrum Azevedium, quo tempore illa est celebrata Congregatio Romæ versatum, uti suo loco memorabimus, hoc ita decerni procurasse: quippe quem alijs experimentis scimus, fastidiosissimè semper aversatum qualemcumque humanę honorificentiæ speciem. Dies porrò illius ceremoniæ in Iacobi Hernandez Epistola.

non expressus, certò scitur ex formulis trium è quinque illic indicatis Professionum, quas in nostro Tabulario habemus chirographo voventium authenticas, Patrum nimirùm Francisci Henriquez, Petri à Fonseca, & Cypriani Soarez, in quibus omnibus disertè affirmatur, id actum quinto Idus, sive nono die Aprilis.

X. Restat dicendum aliquid de ingenti, quam sibi & Societati Bracaræ Azevedius hisce quatuor annorum exemplis acquisivit, existimatione virtutis, atque adeò fama Sanctitatis. Educabatur per id tempus ibi Adolescens Archiepiscopo coniunctissimus sanguine, indolis præclaræ, Iacobus Correa. Hic expleri admirando nequibat, Azevedij modestiam, mortificationẽ, caritatem, indefessam laborum contentionem, adhæsionem Deo continuam, intuens. Hæsit illi præsertim in animo, ut crebris tota inde perillustri rectè factis vita consueverat sermonibus prodere, hæsit, inquam, illi altè species quam fortè occurrenti haurire contigerat, trahentis longo fune

9. Apr. 1564.

83 Iacobi Correæ in Azevedium veneratio.

per

per celebria loca frequentis urbis vilem asellum viri tanti, sui traducendi gratia. Subtexebat quæ plurima eius generis obſervaverat, Familiaribus referens, cum eſſet iam Epiſcopus Amæenſis (vulgò Portalegrenſem appellant) addebatque: affirmare ſe ſe ac pro certiſſimo habere: Ignatium Azevedium, vel ſi mortis pro Chriſto deinde obitæ gloria caruiſſet, tamen ex ijs ſolùm quæ geſſiſſet Bracaræ, ſibi dignum videri de quo inter Sanctos Confeſſores ſolemni canonizatione referendo agi ſeriò deberet. Quod idem dictitare quoque ſolitum, certò cognovimus, alium Regni Luſitanici Antiſtitem, Epiſcopum Targenſem. Quid de ipſo Archiepiſcopo dicam, qui Azevedium quamdiù Bracaræ fuit, ſemper ita tractavit, ut Virum illum perfectum Deoque in primis carum ſe ſe exiſtimare præſeferret. nec illa leviter impreſſa aut lapſu temporis ex eius animo delebilis fuit opinio. Multis poſt annis cum redux à luſtrata Braſilia Romam Azevedius peteret, ſuam de illo ſententiam his datis ad

Pium V. Summum Pontificem Literis testandam publicè putavit.

84 Archiepiscopi Bracarensis ad Pium V. Epistola.

BEATISSIME PATER

Post felicium pedum osculum. Ignatius de Azevedo Presbyter Societatis Iesu, Visitator, & ipsius Societatis quæ est in Brasilia Prouincialis; Romam petit gratia tractandi cum Vestra Sanctitate res magni ponderis ad eandem Societatem pertinentes. Et quia valdè nota & comperta mihi est eximia eius probitas, & studium perpetiendi labores, & portandi in suo corpore Crucem Christi Iesu, cuius ille quidem neglecta sæculi nobilitate, verum se fieri imitatorem voluit, tum in paupertate & sui ipsius abnegatione, & contemptu, tum etiam in zelo & salute animarum, & Christianæ Religionis augmentatione. Cuius quidem Religionis omnibus manifesta signa semper dedit, tum in hac Bracarensi Diœcesi, ubi per aliquot annos mihi fuit maximo adiumento, tum in Brasilica regione unde nuper advenit. Ideo, inquam, valdè pium mihi visum est Vestræ Sanctitati supplicare, ut illi faveat, eumque visceribus paternis & animo pio suscipiat, quo amplecti solet ea quæ ad animarum salutem ac divinum cultum conducunt: Itaque Sanctitas Vestra

eum

eum sanè existimare potest Apostolicum Virum, plenumque Spiritu sancto, talis enim existimatur à cunctis qui sunt in hac Provincia Lusitana. Quamobrem quidquid favoris illi Vestra Sanctitas tribuerit, quantumque ipsum iuverit in suo ministerio, id totum credo fore gratissimum & acceptissimum Deo Optimo Maximo, cuius vices gerit in terris. Quem quidem Clementissimum Deum precor, ut vitæ vestræ felices annos augeat, quibus Divinæ suæ Maiestati à nobis plurimùm serviatur. Datum Bracaræ vigesima quarta die Martij, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Hinc satis apparet, Venerabilis illius Antistitis quale fuerit de Azevedij Sanctitate iudicium; cuius ille significandi nullam omittebat occasionem. Testatur ritè iuratus D. Rodericus Leyte de Andrada, Eques Bracarensis, annos tum natus nonaginta, in Actis Quæstionis super his legitimè habitæ Bracaræ Anno 1631, se se non semel audivisse D. Bartholomæum de Martyribus, dum viveret Archiepiscopum eius Vrbis, insigni verborum efficacia & affectum admirationemq; singularem indicanti-

ti-

tibus loquendi formulis, deprædicare prorsùs extraordinariam P. Azevedij virtutem ac Sanctimoniam. Idemque multos alios viros graves Bracaræ & alibi ſæpè coram ſe teſtatos. Extantque præterea in ijſdem authenticis Tabulis plura Bracarenſium, aut Bracaræ verſatorum, virorum præſtantis autoritatis ſimilia Teſtimonia: quæ ſtudio brevitatis omittimus.



DE

DE VITA ET MORTE IGNATII AZEVEDII ET SOCIORVM

LIBER II.

CAP. I.

Azevedius mittitur Romã; Ibi designatus Brasiliæ Visitator, illùc navigat. Sũmatim informatur necessaria notitia Regionis eius, Statusque tunc in illa Religionis & Societatis.

I. ETsi quæ hactenùs memoravimus Ignatij Azevedij Annorum quatuordecim in Socie-ta-

tate Acta, seu Virtutum in ipso monstratarum heroicis exemplis, seu fructuum in alijs editorum numerosis clarisq; proventibus, facilè ostendunt; nullam in eo fuisse iam tum desideratam diversissimarum partium, quæ homini privatæ simul laudis, simul publicæ utilitatis rarissima complexione commendato, absolutissimum decus Apostolicæ Perfectionis, Vulgi iuxtà & Sapientum concordi iudicio tribuendum, promereri iure valeant: constat ipsum tamen ita sibi semper displicuisse, ita continuè succensuisse tamquam otioso & inerti, ut nusquam desineret, latiorem industriæ suæ cāpum, opportuniores sui acriùs vincendi, Proximos copiosiùs iuvandi, occasiones, votis inhianter avidis quærere. Habeo eius ad Præpositum Generalem Lainium Literas datas Bracara 26 Augusti Anno 1564, quibus, quod se ab eo multis alijs petijsse Literis testatur, vehementer etiam atque etiam orat, ut aliquò extrà Lusitaniæ Regnum amandetur, ubi ignotus & inhonoratus, se se laboribus, Christi & Iu-

1 Azevedius Missionem longinquam & zeli & modestiæ instinctu ambit.

„ lucrandarum ei animarum cauſa ſu-
„ ſcipiendis, ſine ſtipendio præſenti lau-
„ dum ac ſolatiorum, exerceat. Ante
„ omnia Rectoris honorem deprecatur,
„ argumenta etiam quærens cur eum à
„ ſe amoveri conveniat. Significat ma-
„ gnis ſe, divinitùs, ut autumat, immiſ-
„ ſis, impelli deſiderijs Expeditionum
„ longinquarum in Tranſmarinos Bar-
„ bararum Gentium Tractus, ubi Evan-
„ gelio promulgando, ærumnas & igno-
„ minias plurimas Chriſti Ieſu ſui Do-
„ mini imitatione & amore perferat.
„ Sin ea ſorte haud putetur dignus: at
„ ſaltem extra Vrbes & loca culta rele-
„ getur in Montana Luſitaniæ, innume-
„ ris (prout ipſe aliàs viderit) ijſdemque
„ miſerrimis & egentiſſimis culturæ, ha-
„ bitata Mortalibus; quibus erudiendis
„ ſolandiſque navare ſe operam Deo &
„ Eccleſiæ ſperet poſſe. Alibi reperio,
„ ſi hæc nõ contingerent, optaſſe ipſum
„ in Germaniam aut ſeptentrionalem
„ aliquam mitti Regionem, revocandis
„ illic ad Religionem avitam Hæreticis:
„ quod illi ſcilicet conſilium una com-
„ mendabat ſpes ingentium laborum

dedecorumque pro Christo subeun- „
dorum; quin & sanguinis fortasse pro- „
fundendi, quæ summa votorum erat. „

II. Hæc agitantem Azevedium, evocarunt Vlyssipone ad Conventum Provinciæ, allatæ ad Provincialē Turrianum Roma Literæ, datæ XII. Kal. Februarij An. 1565 à S. Francisco Borgia, in quibus, nunciata Iacobi Lainij Generalis morte, quæ triduò ante cōtigerat, additoque: se pridie suffragijs Professorum Romæ repertorum, declaratum per interregnum Vicarium Generalem, subiungebat: indicere se Comitia totius Ordinis ad electionem novi Præpositi Generalis Romæ habenda, in diem XII. Kal. Iulias eiusdem anni: quam ad rem iubebat celebrari maturè, præsertim in Provincijs ab Vrbe remotioribus, Conventus Provinciales, ut designati quamprimum Electores tempestivè itineri se dare, & Romam occurrere ad diem edictā possent. Congregati ergo celeriter, prout pręscripti temporis brevitas cogebat, in Cœtum Provincialem Lusitani Patres, postquam duos, de more,

suo

ſuo è numero Profeſſos elegerunt,qui Provincialem Romam comitarentur, cum iure ſuffragij ad creationem Generalis, quartum ipſum adiunxere comitem Azevedium, lectum communibus calculis Procuratorem ad res degentium in Indijs & in Braſilia Sociorum apud Summum Pontificem, novumque, ſimul fuiſſet electus, Societatis Præpoſitum, tractandas. Iſtud inopinatum de ſe Patrum iudicium primum quaſi pignus Azevedius habuit exauditarum à Deo precum quibus iamdiù popoſcerat, tranſmarinas ſibi Expeditiones, prædicandi apud Barbaros Evangelij gratia, iniungi. ex hac quippe nunc demandata procuratione negotiorum iſtiuſmodi, naſci facilè occaſionem videbat poſſe ſui oras in iſtas ablegandi. Renunciato igitur Bracarenſi Rectoratu, alacer ſe in Romanum expedivit iter, quo proſperè ac tempori confecto, vidit ingenti ſuo gaudio S. Franciſcum Borgiam concordibus Patrum votis, poſtridiè Kal. Iulias, ritè ſupremo univerſæ Societatis regimini admotum; quem unum

2 Mittitur Romã à Congregatione Prov. delectus Procurator Indiæ & Braſiliæ.

videlicet omnium loco illo dignissimum cum omnes faterentur, tamen ipse, pro penitiori virtutum eius notitia ex intimo eius usu olim hausta, certiùs quàm plerique perspexerat, indeque persuasissimum habebat. Cum hoc, postquam à primis auspiciorum tanti Magistratus occupationibus aliquæ induciæ sunt datæ, longa & arcana de se, suisque, agendi magna, patiendi aspera pro Christo desiderijs, Azevedio colloquia fuere. quorum is denique secũdùm eius vota successus extitit, ut ipsi novus Præpositus spem faceret concedendæ transmissionis in Brasiliam: ad quam iussum se accingere, maturè in Lusitaniam remisit, eò lætiorem, quòd illi tantisper dissimulavit, se se ipsum istùc destinare, non privatum (quod voluisset) Operarium, sed suprema instructum Visitatoris potestate, inspiciendis coràm ordinandisque illic Societatis rebus. Simul redux Lusitaniam Azevedius attigit, audito Patres illius Provinciæ, quod ille referebat, sibi à Generali Præposito promissam navigandi inter-

3 A S. Francisco Borgia impetrat Missionẽ in Brasiliam.

ter-

terras Barbaras veniam, commoti vehementiùs ſunt, præſentiam Viri talis omninò tunc neceſſariam Luſitaniæ, cauſantes. Itaque cum ſingillatim multi Provincialem, ne id ſineret, oraſſent; ille ad convocatum Primorum Provinciæ concilium eo de negotio retulit. Omnium eò ſententiæ conſpirarunt: Azevedium, propter eximiam experimentis illuſtribus probatam facultatem regendorum Domi Noſtrorum, foris demerendorum & iuvandorum Exterorum, donum eſſe divinum ſingulari beneficio Provinciæ tributum, quod illa ultrò abdicare ſine ſua pernicie, atque adeò non niſi imprudentiſſimè queat. Quare, vel ſi quid ſecus Generali videretur, exponendas ei rationes eiuſmodi conſilio adverſas; quæ cum tam graves efficaceſque ſint, haud debere dubitari, quin ſua illi ſapientia ſuaſura ſit: haudquaquam par fas-ve eſſe ſubtrahi fulcra præcipua & Columina Metropoli, Coloniarum prætextu inſtruendarum. Vnum tãtum in eo genere citra damnum irreparabile indulgeri poſſe, ut na-

4 Eum apud ſe detinere Patres in Luſitania conantur.

naviget in Braſiliam Azevedius eius „
dumtaxat inſpiciendæ cauſa : nam „
haud dum ſatis exploratas res illic no- „
ſtras eſſe : cæterùm mox utique hùc „
reverſurus, præſenſq; relaturus quod „
compererit. Statim ab his ſic conſul- „
tis perlatæ Roma ſunt à Præpoſito
Borgia Literæ illud ipſum in quod Pa-
tres conſenſerant iubentes : nempe
proficiſci Azevedium ad viſendũ co-
ràm in Terra Braſilia Sociorum Statũ,
eoque ſatis inſpecto redire. Cunctis
ea conſpiratio deliberationum tam
diſiunctis in locis ſine mutua commu-
nicatione habitarum, mira & divini
ſuffragij non dubia index meritò viſa
eſt. Quare omni iam ambiguitate, per
5 Abire tamen ſinitur, ſed brevi rediturus.
iſtam quaſi prærogativam iudicij cœ-
leſtis, evidenſque augurium fortunan-
di ſucceſſu læto conſilij, diſcuſſa, uni-
verſi aſſenſerũt : ſolo propter exoſum
præfecturæ honorem Azevedio cun-
ctante : qui tamen denique manifeſtè
declaratæ divinę voluntati haud auſus
obſiſtere, vim fecit propriæ modeſtiæ,
delatamque à Præpoſito Generali po-
teſtatem Viſitatoris Braſiliæ admiſit.

III. Nec

III. Nec ingratum nec inutile futurũ ſpero, ipſum S. Franciſci Borgiæ Diploma quo iſtud ei officium delegat, adſcribere.

Franciſcus de Borgia Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, Chariſſimo in Chriſto Fratri Ignatio de Azevedo Profeſſo eiuſdem Societatis, ſalutem in eo qui eſt vera ſalus. 6 Literę S. Franciſci Borgiæ quibus Braſilię Viſitatorem Azevedium creat.

CUm Viſitationis munus ad profectum & bonam gubernationem Noſtræ Societatis pernece ſſarium, per Nos ipſos obire in Provincia Braſiliæ non poſſimus: cumque de tua integritate, prudentia, & noſtri Inſtituti plena cognitione, multum in Domino confidamus: Te nobis ad prædictum munus ſubſtituẽdum eſſe duximus. In Prædicta ergo Provincia Te Viſitatorem, cum omni ea autoritate quam Nos in præſentia habituri eſſemus, & alioquin iuxta Inſtructionem quam à Nobis habes tam in ipſum Provincialem & Rectores (quos, ſi videbitur, Officijs ſuis liberare & alios ſubſtituere poſſis) quàm in alias quaſvis perſonas, Collegia ac Domos Societatis, conſtituimus; in Nomine Patris & Filij

&

& Spiritus Sancti : & eius bonitatem precamur, ut luce suæ Sapientiæ Te in omnibus dirigere, & gratiæ suæ donis iuvare, ut ad ipsius gloriam & Animarum profectum transigas, dignetur. Romæ 24. Februarij 1566.

Franciscus.

Vnà cum hoc, mandata fusè perscripta, quorum,nomine Instructionis, ibi fit mentio, reddita sunt Azevedio,nec non Generalis Literæ, quæ distinctiùs „ docebant: eò ipsum impensiùs cupe- „ re de Statu Provinciæ Brasiliæ ab ali- „ quo, qui coràm & accuratè inspexe- „ rit, doceri, quòd eam ferè solam è So- „ cietatis Provincijs videat, ex qua nul- „ lus postquam est condita Romam „ venerit,qui de rebus eius optatam du- „ dùm notitiam afferret. Id desiderasse „ Sanctæ memoriæ Patrem Nostrum „ Ignatium: cui eius voto ut satisface- „ rent Brasilienses Patres, quem maxi- „ mè idoneum putarant unum ex ipsis „ Leonardum Nunnium, ab anno iam „ tum huius Sæculi quarto & quinqua- „ gesimo in Lusitaniam remisisse, Ro- „ mam inde profecturum. Verùm isto „ per

7 Naufragium Leonardi Núnij an. 1554.

" per miserabile naufragium in Oceano
" extincto, frustratum spe sua Genera-
" lem eundem, & qui post eum Socie-
" tatis gubernationem excepit, Lainium,
" voti tam iusti eventu caruisse. Ma-
" iorem ergo in modum cupere, ut in-
" cumbat ipse in id opus, explorataque
" Sociorum per Brasiliam, Domicilio-
" rumque ac Stationum Nostri Ordinis,
" conditione, moribus, dotibus, occupa-
" tione, disciplina, fructuque operæ,
" cuncta ritè comperta ad se se referat.
His Azevedius acceptis, citò expeditus ad longum iter, prima quæ se obtulit opportunitate Mare inscendit, quinque secum Socijs assumptis, Amaro Gonzalvio, Antonio de Rocha, Balthasare Fernande, Petro Diasio, & Stephano Fernande; quorum tres priores Sacerdotes erant, ac duobus præterea Tyronibus, Dominico Gonzalvio, & Antonio de Andrada. Haud inoffensus Navi cui se commisit (ut sunt incertæ, Oceani præsertim, transmissiones) cursus tunc contigit. seu vi reflantium ventorum, seu casu alio, declinare Navarchus in unam ex Hespe-

ridibus olim dictis (hodiè Capitis viridis Insulas vocant) necesse habuit: inque illius Portu moram ducere. Per

8 Apud Hesperidas Insulas obiter Azevedius benè rem gerit.

hanc impatiens Azevedius quietis ignavæ, in Oppidum exscendit, veneratusque Loci Episcopum, cum bona eius venia, collectam Plebem excolere docendo cepit. Magni ad eum Christianæ Doctrinæ præcipua capita enarrantem facti concvrsus sunt; tantusque impensæ licet obiter operæ fructus extitit, ut Antistes ægrè illum dimittens, Aura iam vela vocante, Nautisque increpantibus, utique voluerit, exemplum sibi descriptum Catecheticæ Institutionis, quam tam utiliter illic tradiderat, relinqui; ut ex ea deinceps ipse formula Populum erudire sibi creditum pergeret. Prosperè inde navigatum. brevique intervallo ad Vrbem S. Salvatoris, quā Bayam omnium Sanctorum vulgò appellant,

9 Feliciter in Brasiliā pervenit.

Princeps tūc Orę Brasiliæ Emporium, mense Augusto, pervigilio S. Bartholomæi, eodem anno Christi 1566. incolumis, salvis sanisque vectoribus, Navis appulit. Nec multò post eodem

oc-

occurrere duo alij Societatis è Luſitania Sacerdotes, Michaël de Rego, & Antonius de Andrada, quos expectare, feſtinans nequiverat Azevedius.

IV. Quoniam multa nobis deinceps futura eſt Braſiliæ mentio, res videtur ipſa poſcere, ut eius aliquam hic notitiam informem. Quod ex uſu Lectorum facturus videor, ſi quæ de prima detectione Terræ iſtius, de nominibus, ſitu, finibus, qualitate, temperie eiuſdem, deque incolentibus eam Populis, comperta ex idoneis quæque Autoribus brevi compendio collegero. Poſtquam anno Chriſti ſecundo & nonageſimo ſupra quadringenteſimū atque milleſimum, Chriſtophorus Columbus, Ferdinandi Caſtellæ Regis auſpicijs, eas Boreales & Occiduas Quartæ Mundi Continentis veteribus ignotæ Partes detexerat, quæ hodiè Nova Hiſpania dicuntur, Latus eiuſdem Continentis his oppoſitum, Auſtro & Ortui obverſum, ac dorſo ingenti in Mare Atlanticum prominens, deinde Braſiliæ appellatione donatū, Petrus Alvarus Capralis Luſitanus no-

10 Summaria Informatio Rerū Braſilicarum.

1492.

bilis, primus Europæorum hoc casu
11 Primus Capralis Brasiliam detegit, casu.
reperit. Solverat is Vlyssipone Mense Martio anni Æræ Christianæ sesquimillesimi, cum Classe cui præerat magnarum Tredecim Navium, iussu Regis Emanuēlis Indias Orientales petens; iamque prospero dierum tredecim cursu ultrà Canarias processerat Insulas: cum vi subita horribilis procellæ in transversum actus, post longam iactationem ægrè tādem collectas quas vasto mari tempestas disiecerat, Naves duodecim, (nam una ventorum impetu retrò acta Vlyssiponē redierat) dum iuxtà præscriptam à Vasco Gama, viæ istius, ab illo adhuc uno feliciter emensæ, rationem, ad flectendum bonæ spei Promontoriū, latiori occasum versùs evehitur ambitu, post menstruum errorem, denique die VIII. Kal. Maias, Terræ amplæ, & nulli umquam, quod fando esset auditum, Navarcho aditæ, inopinatissimo procul aspectu perculsa universa Classis est. Capralis advocatis, quales ducebat non paucos, Viris experientissimis maritimarum rerum, ex omnium

nium ſententia decrevit, admovendas propiùs Novæ Regioni Naves, legendamque eius Oram quantum neceſſe foret ad diſcernendum, Inſula ne eſſet an Continens. Longo ſic ſpatio proceſſere, nullo uſquam animadverſo Maris eam terram ambientis flexu. Littus ſemper apparebat cõtinuo ductu eminens. niſi quod locum repererunt, ubi, vaſto amne ſe ſe in Oceanũ exonerante, ripa hians brachijs altè hinc atque hinc protenſis, æſtuarium intùs latum obiecta contra ventos naturali rupium mole tegebat. hùc ſubeundum cunctis viſum. Iactis mox intrà id ſeptum anchoris, tutiſſimam experti Stationem ſunt; unde loco Nomen hodieq; ſuperſtes *Securi Portus* indidere. Concurrit ad ſpeciem numquam viſorum talis formæ Navigiorum & hominum, magnus Indigenarum numerus, ætatis omnis ac ſexus, humanitatem geſtu & habitu ſignificantes. quos etiam delinire munuſculis Luſitani ſatagebant; cupidè ſemper admiſſis. Hinc fiducia exſcendendi facta, prodijt Capralis cum præci-

12 Portus quo Luſitani primum excepti ſunt, ſecurus ab eis dictus.

cipua comitum Nobilitate; fixaque sub dio in puro Campo Ara, dum supra eam incruento ritè Sacrificio Sacerdos Litat, Lusitani, pars positis in terra genibus, pars simili veneratione in foris Navium, nudo omnes vertice; iunctis manibus, aut sacros globulos versantibus, modestam precantium speciem edebant; admirantibus, & imitantibus prout poterant, Barbaris: Sub Sacrum ab Henrico, docto & pio Professore Sacri Ordinis Minorum, quem sua deinde merita ad Septæ Vrbis Episcopalem evexerunt Thronũ, è suggestu raptim erecto ad concionẽ peroratum, attentissimis tunc quoque, ac quamquam nihil præter sonum, linguæ utique peregrinæ, perciperent, inhianter audientibus terræ Incolis, densa & iugi semper crescente affluxu multitudine circumfusis. In quorum post statim benevolè obstupescẽtium, & applausu faventium, oculis, Sanctæ Crucis signum, altitudinis longè conspicuæ, defixum in solo magna cerimonia est, die, qui tunc commodùm illucescebat, anniversariæ memo-

13 Primum Sacrum & prima concio in Brasilia habita.

moriæ eius Inventionis Sacro, Maij Mensis tertio, ad sonum explosorum è cunctis Navibus Curulium tuborũ. Eo ritu cõsecrare Christo novam Regionem Capralis studuit, quam *Terram Sanctæ Crucis* appellandam edixit, sed nomen hoc, terræ, posteà ereptum, amni proprium adhæsit. nam is in hunc diem *Flumen Sanctæ Crucis* dicitur. Expeditus, qui hæc Regi nunciaret, in Lusitaniam Gaspar est Lemius, cui unus ex Indigenis, specimen illic futurus ignotæ Gentis, comitem se volens addidit. Sub hæc læta & gratulans Classis, tanta obiter re gesta, cursum intermissum Indiam versùs sublatis anchoris resumpsit.

14 Terra S. Crucis à Caprali Basilia dicta.

V. Periucunda Emanuëli Regi quæ Lemius attulit fuere. quare actis Deo gratijs, ut tam feliciter parta prudenter sibi ac fortiter assereret, omni conandum industria statuit. Eius rei à paranda novæ Regionis pleniori notitia ducendum initium meritò credens, quem tunc habebat in consilio Rerum Maritimarum omnis Cosmographicę rationis longè consultissimũ,

15 Americus Vespucius à Rege Emanuële ad explorandã Brasiliam missus.

Ame-

Americum Vespucium Florentinum; eò quamprimum expedire se iussit. Habemus huius Commentarium a Petro Soderino Reip. Florentinæ Gõfalonerio inscriptum, quo suæ istius navigationis Acta & successum refert. Ex quo discimus: Solvisse illum Vlyssipone Anno Christi 1501, tertio Idus Maias, cum tribus magnis Celocibus è rotunda longiusculæ, sed humilioris; ac per hoc habilioris ad circumactionem & celerem motum formæ, quod genus Naves Inventores Lusitani *Caravelas* nuncupant. Cum his sexto & sexagesimo die, infestissimi continuis imbribus, caligine densa nebularum, Tonitruis, & eiusmodi terriculis ac malis, cursus, attigisse tandem optatũ littus, septimo Idus Mensis Augusti anno modò memorato; inde spatio leucarum trecentarum Ora lustrata, in Terram exscendisse, interioris regionis, Montium, Fluminum; Gentiũ ea loca tenentium explorandarũ gratia, notandis singulorum, situ, forma, natura, qualitate. quæ illi viro ad tantam famæ claritatem opera profecit, ut

a Tom. I Navigationum collectarum à Io. Bapt Ramusio fol. 129.

13. *Maij* 1501.

7. *Aug.* 1501.

ut quartam istam universam Globi Terrestris Partem, ab alijs licet prius detectam, consensus hodiè cunctarũ Gentium ex eius vocabulo, Americã appellet; potiori fortuna celebritatis, quàm quæ olim Africanis & Asiaticis, è duorum Orbis quadrantium quæsita successibus bellicis appellatione contigit. Hi enim subactarum vincendo terrarũ nomina in se traxerunt: Americus Exploratæ à se isti proprium ipse nomen imposuit, quod magnificentius videri queat atque augustius. Reduce Vlyssiponem Americo Emanuël Rex per otium audito, haud contentus, quòd is exploratis diligentissimè permultis, plurima tamẽ adhuc haud satis observata reliquerat, collaudato & remunerato illo pro meritis, Gonsalvum Coëllium, & ipsum in paucis Cosmographiæ peritum, ad absolvendam, quoad posset fieri, Regionis eiusdem descriptionem misit, attributa ad hoc Classe sex optimè instructarũ Navium. Multò hic plura, mora longa, labore ingenti, summisque periculis cognovit, & in Ephemerides accu-

16 Vnde quartæ Mundi Continenti nomen Americæ contigerit.

ratiſſimas retulit. Cum quibus in Luſitaniam reverſus, Regi Ioanni Tertio (nam Emanuël huius Pater eo intervallo deceſſerat) prolixè cuncta expoſuit. Vndè novus Princeps animadverſa talium inveſtigationum utilitate, alios ſubinde atque alios adiecit eòdem Exploratores deſtinare. Quorum Tres potiſſimùm varijs ſubmiſſi temporibus, Chriſtophorus Iaquæus, Petrus Lopez de Souſa, & Martinus Alfonſus item de Souſa, ingens iſtius generis operæ pretium tulere; nec tamen exhaurire potuerunt immenſam, in tam vaſto telluris tractu, rerum cognitu digniſſimarum Sylvam. Nos ex ijs quæ multa magnaque comperta his autoribus ſunt, pauca hic ad præſentem uſum neceſſaria ponemus.

17 Quatuor alij poſt Americũ in Braſiliam Exploratores deſtinati.

VI. Vaſtum illum, de quo dicere inſtituimus, Terrarum Tractum, primus, ut eſt demonſtratum, Inventor, *Terram Sanctæ Crucis* vocaverat; nomine ſanè auſpicato, niſi ductæ à Religione appellationi, alia ex avaritia orta, populari celebritate prævaluiſſet. Quia enim ligni *Braſili* dicti, uſus inſignis

gnis

gnis ad tincturam pannorum, ideòque crebris per Institores à sesquiseculo illinc evectionibus, Europæ officinis notissimi, ea tellus aut sola, aut maximè omnium ferax est, hodiè non alio notiore, quàm *Brasiliæ* vocabulo, nobis ideo quoque usurpando, nuncupatur. 18 Brasiliæ nomẽ unde ortum.
Incipit ex parte Australi Brasilia ab ipso meditullio Zonæ Torridæ, excurrens inde usque ad Tropicum Capricorni, ex quo extenditur in Zonam temperatam versùs Septentrionem ascendens. Ab Ortu Regnis Congi & Angolæ obiacet, medio Oceano Atlantico, Borealis eius Limes ad Ostium est fluminis omnium hactenus notorum longè maximi, *Paræ*, sive *Amazonum* nomine celebris, qui circiter sesquiunum ab æquatore gradum, ostio per spatium milliariũ ferme trecentorum latissimè patente, in septẽtrionalem Oceanum influit. Brachium hic amnis quasi lævum est, ab Occasu interiorem Brasiliam amplectens, cui velut dextrum respõdet flumen aliud, *Rio de la Plata* Hispanis dictum, quod sonat Latinè *Fluvius Argenti*. Hic ef- 19 Situs & fines eius Terræ.

funditur in Mare faucibus in latitudinem milliarum centum viginti largè hiantibus, ad 35. aut 36. ab Æquinoctiali circulo gradum. Ab huius oſtio ad Oſtium Amnis Amazonum iacent mediterranea Braſiliæ, à tergo ultrà illos amnes pro ultimo limite occiduo habentia longiſſimam ſeriem Montium, imperviæ ipſis Avibus altitudinis, per quos à Peruvia dirimuntur. Iſtius mediterranei ſpatij diameter rectiſſima inter iſta duo puncta linea in longitudinem protenditur milliarium facilè ſeptingentorum ſupra mille.

20 Latitudo eiuſdem ac longitudo.

Ab hac velut baſi perductæ hinc inde duę lineæ ad maximè prominens Continentis Braſilicæ in Oceanum caput, cuſpidē trianguli acuminant ultimam, coëuntes in Ora extrema Promontorij à S.Auguſtino nuncupati, cuius ſitus octo cum dimidio gradibus ab æquinoctiali versùs Auſtrum deflectit. Circa iſtas utrimque geminas inæqualis inter ſe ſe longitudinis lineas (nam borealis ab oſtio fluminis Amazonum ducta milliarium eſt ferè mille ducentorum, auſtralis ei adverſa facilè ad mil-

mille ſeptingenta porrigitur) circum ambas, inquam, has lineas varijs errat flexibus Littus Braſilicum, vaſtis paſſim hians fluviorum ingentium oſtijs, ac fermè totidem commodas tutaſq; appulſuris undecumque navibus ſtationes pandens.

VII. Ne pigeat Te, Lector, iſtum Periplum celerrima mecũ circuitione luſtrare, quòd id ad clariùs percipiendum quæ dicenda ſunt, uſui non parvo queat eſſe. A citeriori capite fauciũ Amazonij amnis Ora æquinoctiali obtenditur lineæ, littore ſenſim introrſum verſus Orientem ſe arctante, continuo ambitu milliarium fermè ducentorum ſupra mille, multis univerſa ijſque permagnis, irrigua fluvijs, Horum tres maximi, Mony, Tapocoru, & Meari, ab Indigenis appellati, procul è Mediterraneis delabentes, multiſque nec parvis aucti obiter exceptis alijs, Oſtia iungunt, ſimul in unũ confluentes Sinum, plus quinquaginta milliaribus latum, in quo eſt Inſula dicta Maragnonium, ad tertium æquatoris gradum. Ab hoc ad fauces la-

Maragnorum Inſula.

gua-

guaribæ amnis, & ipſius ampliſſimi, à plus trecētis ex interiori regione milliaribus vaſto alveo fluentis, patet littus flexuoſum & plurimis paſſim minorum amnium oſtijs pervium, in ambitū milliarium trecētorum & triginta. Hinc ad quartum & dimidium à linea æquinoctiali gradum, cuneantis ſenſim ſe ſe Oræ vaſtum circuitu milliarium ferè trecentorum ſpatium pertinet uſque ad fauces fluminis nomine proprio *Magni* appellati, & ſua facilè amplitudine iſtius nomenclationis maieſtatem tuentis. Ab hoc retrò ad Maragnonium quinque & viginti, minores his, ſed Europæis vel maximis pares, mare influunt Amnes. Iſthinc lento ſe ſe paulatim flexu colligens littus, ultimum denique, ut dictum eſt, Terræ Braſilicæ acumen in capite Promontorij à S. Auguſtino nūcupati, Orientali obiectat Atlantico. Extremo hoc intervallo, quod paulò minùs ducentorum & quinquaginta milliarium eſt, cultiſſima & amœniſſima patet Regio, ubi Parayba, & Pernambucum, Recifum, Olinda, multæ

21 Fauces fluminis Magni quā tum à Maragnonio diſtent

22 Hinc quantum interſit ad Promotorium S. Auguſtini.

aliæ

aliæ Vrbes ac Gentes, tredecim magnis Oceano per id ſpatium invectis irrigatæ amnibus, quorum Rex putatur, Vrbi olim Paraybæ ad eius oſtium ſitæ cognominis, recentiùs à S. Dominico nomen nactus amnis, cuius fauces, dum mari ſe miſcet, diduci ad plura milliaria feruntur. A capite S. Auguſtini incipit latus Braſiliæ auſtrale, ripis ſe primùm reſtringentibus introrſum, mox pedetentim obliquo ductu verſus occaſum relaxantibus. Prima res inde iſtam oram legentibus, quæ magnum inſtar habeat, occurrit intervallo milliarium centum & triginta, uberrimus & formoſiſſimus à S. Franciſco nuncupationem habens fluvius. quem antiquioribus Capralis & Veſpucij adventu navigationibus frequentatum fuiſſe ab Armoricis & Normannis, Ligni Braſili copiam inde importare Galliæ ſolitis, ex iſtorum affirmatione Populorum refert Georgius Fornerius Soc. Ieſu *a*. Hic poſtquam largo & alto in mediterraneis Naves alveo tulit, per milliaria viginti ſupra centum, ex altiſ-

23 Paraiyba Vrbs & Amnis nunc à S. Dominico nomen habens

24 Flumen S. Frãciſci antiquioribus Columbo & Caprali Europæorum navigationibus luſtratum.

a In Hydrographia lib. VI. cap. XII.

tiſſimis & abruptiſſimis deorſum ſe ſe præcipitem evolvens rupibus, ſtrepitu latè horribili omnem per vaſtum ambitum Viciniam exurdat. Demiſſus in Campos, rurſum ſe intra ripas cogit, latitudine tamen æquorea; quæ Inſulis trecentis variæ magnitudinis, amœniſſimis cunctis, locum det commodum, tractu continuo milliarium ducentorum ſeptuaginta. Poſt quæ horribili delapſu in cęcam ſe abdit voraginem, non ampliùs apparens, quoad emenſus ſubterraneo meatu ſex & triginta milliaria, iterùm ſe luci pulcrior reddit. Tandemque ad Gradum ab Æquatore undecimum erumpit in Oceanum, hiatu ſex ſeptemve milliaribus patente, tam vivido limpidorum impetu laticum, ut omnem longo prorſum tractu ſubmoveat maris ſalſuginem; & puras adhuc dulceſque illius aquas, quintodecimo à Terra milliario Nautæ adventantes hauriant. Hinc reducens ſe littus, obliquo Auſtrum versùs & occaſum ductu, per milliaria decem ſupra ducenta, deſinit in citeriori Capite Sinus Magni

Eius deſcriptio.

&

& portuosi, quem vocant Bayam omnium Sanctorum; ubi Vrbs nomine S. Salvatoris magna est condita, tertiodecimo ab Æquatore Gradu. Hoc tractu Terrarum viginti magni Amnes in Mare influunt. A Baya omnium Sanctorum ad ostium Amnis S. Crucis & Portum securum, cuius supra meminimus, situm inter sextum & septimumdecimum ab Æquatore Gradũ, Ora tenditur cẽtum & octoginta milliarium. quo spatio se in Oceanum exonerant largis alveis fluvij triginta. E Portu Securo ad Caput frigidum intervallum patet milliarium ferè trecentorum. Ex hoc Capite, seu Promontorio, ad vicesimum quartum ab Æquatore Gradum sito, resupinatur in Occasum littus, sinuoso tamen modicè tractu, ad Portum usque S. Vincentij, quinto & vicesimo ab Æquatore Gradu. A Capite frigido ferè sexaginta milliaribus versùs Austrum, flectendo in Occasum, ad Gradum ab Æquatore vicesimum tertium, situs est Portus naturali rupium munimento tutissimus, in Ostio fluminis Ianua-

25 Ad Bayam Omnium SS. Vrbs S. Salvatoris condita.

S rij:

26 rij: locus meritò delectus in sedem Vrbis Magnæ, cui dum conderetur adfuit Noster, ut dicemus, Azevedius, & in ea perāpli Societatis nostræ Collegij metatus est Sedem. Hinc distat eadem in ora Occasum versùs, fluvius S. Vincentij milliaribus circiter centū triginta. hoc interuallum à Portu Securo ad S. Vincentium irrigant Amnes quinque & quadraginta. Ex hoc sinuat se littus, porrecta rectiùs versùs Austrum linea, cum eo ut in Orientē flectat, usque ad Caput quod vocant S. Mariæ, quod est citimum Promontorium faucium fluminis Argentei, situm, ut est dictum, ad quintum circiter & tricesimum ab Æquatore Gradum. Hoc spatium est milliarium supra sexcenta. Æqua cum modò memoratis proportione respondet huic Oræ desinentis longitudini, numerus influentium per eam in Mare Amniū, quorum duo extremi memorantur Fluvius Lacunæ, & Fluvius Martini Alfonsi Sousæ, quorum ille ab ultimo orę istius termino, Promontorio S. Mariæ, centum quinquaginta milliaribus di-

Ostium fluminis Ianuarij meritò delectum ad Sitū Vrbis.

27 Caput S. Marię citimum Promontorium faucium fluminis Argentei, finis Brasiliæ Austrum & Occasum versùs.

diſtat, hic dumtaxat octoginta. Ille reſpondens trigeſimo tertio ab Æquatore Gradui, hic triceſimo quarto.

VIII. Hiſce clauſum finibus ingens terrarum ſpatium, ſi Montes alicubi aſperitatis arduæ, rupibuſque invios, excipias, mite atque amœnum eſt, præter crebros Amnes, puris uberibuſque riguum fontibus, mira ſalubritate aquarum & aëris, nec minùs benigna Soli feracitate, in herbas paſſim veſcas plantaſque fructiferas luxuriantis. Colles clementer aſſurgentes, Sylvæ ſponte natæ ſpecioſarum & pretioſarum arborum inumbrant, inſigni plerumque proceritate. Greges intùs pabulantur ingentes ferarũ & pecudum, partim noſtratibus ſimilium, partim inviſi nobis generis: nec minor Cœlum pervolat, aut nidificat in ramis, volucrum numerus ac diverſitas, forma plerumque & pennis variè coloratis inſignium, nec Orbi noſtro notarum. Anguium quoque venenis noxiorum, fœcunda hic ſoboles: ſed, notis antidotis, parùm exitioſa: & tota pernicies abit cum ſpiritu, carnes

28 Qualitas Cœli & Soli Braſilici.

occiſorum, ſine noxa in hominum cibos cedunt. Aquæ ſalſæ iuxtà dulceſque Piſcibus ſcatent, peregrinarum, magna ex parte ſpecierum, pulpæ opimæ, ſapidiſſimi ſucci. Gentes hic degunt innumerabiles, incredibili varietate linguarum, illautiſſima ferè omnes barbarie, ſpurciſſimis moribus, nullo more cultuve, aut ſocietate vitæ civilis; ne humanitatis quidem ſenſu vel minimo. Nudi planè incedunt viri pariter & feminæ. Terræ frugibus, pomis arborum, venatu, aucupio, piſcatu quæſitis cibis, in præſenti copia intemperantiſſimè ſe ingurgitant, ſine cura reponendi, aut providendi in poſterum. Liquorum Vini ſimilium multiplicis generis miri ſunt artifices, avidiſſimi helluones. ebrietate in rixas furunt, exardeſcentes odijs ſupra ferinam rabiem immanibus. Nec ſubitis ſolùm incurſibus irritati ſæviunt in cædes: iras coquunt offenſi, & poſt longi temporis ſæpe laborioſiſſimas inſidias, poſtquam Inimicos, nacti tandem opportunitatem, trucidarunt, nondum purgatum iniuriæ dedecus

29 Gentium ibi viventium numerus, varietas, mores.

pu-

putant, niſi carnes cæſi Hoſtis voraverint. Sin is alio caſu aut morbo præmoriatur, ubi ſepultus ſit ſcrutantur; deprehenſi, vel fœtens & ſemiputridum cadaver helluantur ovantes, ac tum demum ſibi ſatisfactum arbitrati. quin & pietatis obtentu infandam carnium humanarum voracitatem velāt. Parentum nati, Genitores filiorum, quovis caſu extinctorum corpora comedunt; genus ſepulturæ perhonorificum rati, carorum artus viſceribus condere. Pro omni religione quaſdam præſtigias Magorum, ſortes & auguria Divinationum habent. nullus alioqui Dei ſenſus, nulla ſuperſtitis corpori animæ, niſi anilibus confuſa figmentis, nec ſuſpicionem excedens inſtabilem, opinio. Sedes haud habent certas. Vagi pro libitu cum Familijs ultrò citroque commeant. ubi hærere placuit, vallis infixis, iniectaque ſupernè fronde tabernacula comparant ad uſum brevem. nonnulli tamen tectis operoſiùs inſtructis multas in unum quaſi Pagum cogere familias, & in commune conſulere aſſueſcunt.

cunt. Sed facili semper emigrandi usu, simul prætesum stationis fuerit. Genus denique hominum est hebetudinis belluinæ ad quemvis humanitatis cultum, indocile omnis civilitatis, insolens regiminis, impatiens disciplinæ: de quo non inscitè quidam lusit, ubi observasset, missis in Literas nostrates sermonis ipsorum sonis, nullū in ijs repertum usum ullius ex hisce tribus elementis F, L, R, aiens ea re significari: funditùs expers genus hoc esse, Fidei, Legis, & Regni. Hæc universim de toto Brasilorum genere in Commentarijs eorum qui primi explorarunt reperio: quibus adiungendas puto recentiotes aliorum Observationes, qui multò sunt altiùs in vastissimæ Regionis intimos Sinus curiosis peregrinationibus ingressi. Hos audivi, Nationes terræ Brasiliæ antiquas Incolas in duo genera dividere, Civilium & Vagarum. Quædam enim, ut aiunt, à principio Domicilijs fixis sub quodam Societatis nexu vivebant. nec ijsdem eas omnes adeò vitijs infames esse docent: sed aliquas hu-

30 Posterioribus Explorationibus quædam de his distinctiùs comperta.

humanioris indolis, quin & Institutorum haud usquequaq; illaudabilium: quæ distinctiùs exequi non huius loci est.

IX. Istiusmodi Gentium Christiana Religione imbuendarum labor, divinæ arbitrio Providentiæ, reservatus est Operarijs nostræ Societatis. Ante illam conditam, frequentes Lusitanorum in Brasiliam appulsus in cura, cunctis alijs prævertenda, consumebantur, explorandæ regionis, Arcium locis opportunis moliendarum; collocandarum, firmandarumque aptis intervallis, tuto situ, iustaque munitione Coloniarum. Agendi per nutus cum Indigenis, primo novitatis & ostensæ comitatis delinimento congressum initio patientibus, tota tunc ratio referebatur, ad vitæ utilitates, commerciorumque paciscenda compendia. mentionem Religionis nec feritas eorum, nec vitæ desultorium genus, nec inveterata morum corruptio admittebat. Vnde si qui raró adventabant è Lusitania cum Classe Sacerdotes, abundè occupati curandis Lusitanis,

31 Ante adventú Sociorum in Brasiliam nihil cum Brasilis de Religione actum.

alijs-

aliisque Europæis plurimis, vel Colonis illarum terrarum, vel illic quæstus causa nundinantibus; ad Indigenas, quod nec linguam illorum norāt, nec ipsos propter incertitudinem Sedium vagamque excurrendi licentiam, nanscisci opportunos poterant, partem suę industriæ derivare ullam omittebant. ac ne primam quidem cogitationem eius rei seriò suscipiendæ cuiquam umquam obortam, fando est auditum. Neque id mirum, cum paucissimi, & casu potiùs quam consilio isthùc ducti, Sacerdotes tum in Brasilia reperirentur. Adeò ut quando Primi nostrorum ad Bayam Omnium Sanctorum pervenere, in illa Primaria Colonia Brasiliæ, & Prætoris Regia, nullum planè Sacerdotem invenerint. Vnde usque ad Adventum Primi Episcopi, qui triennio post contigit, Parochorū vices explere sunt coacti. Anno undequinquagesimo sæculi à Christo 1549. sesquimillesimi, Primus è Societate Emanuël Nobrega pervenit in Bayā Omnium Sanctorum, cum quinque, quibus præerat, Socijs, Mense Aprili, cum

32 Primus Nobrega cū quinque Socijs in Bayam Omnium SS. veniens nullum ibi Sacerdotē reperit.

cum Vlyssipone initio Februarij solvissent. Hi omnes cupidissimi operæ navandæ, tabernaculis statim in littore positis, Barbaros significationibus benevolentiæ ac munusculis conciliatos, ambire quotidiana consuetudine ceperunt, causa parandæ notitiæ atque usus sermonis ipsorum; cuius, intra paucas acerrimæ meditationis hebdomadas, voti utcumque facti compotes, nullam interposuere moram Evangelicæ Brasilis Doctrinæ proponendæ. Id quò posset fieri, necesse erat defigere vagam Gentem in certis sedibus. Partitis igitur operis, alij Nostrorum excolendis qui ad viciniam consederant, instabant; alij, laboriosissimis iuxtà periculosissimisque excursibus, mediterranea penetrātes, Familias per Sylvarum avia & Montium errantes conquirebant, blandisque invitationibus ac promissione præmiorum, persuadere ijs conabantur, ut locis oræ maritimæ propinquis, terræ uberis portionem accipere colendam, coniunctisque tectis cum alijs suorum, vitæ sedentariæ, ac certis laribus defi-

33 Socij linguam Brasilicam addiscunt, & docendis Brasilis operam dant laboriosissimā

xæ,multis è vicinia Lusitanorum adiuvandæ commodis, experiri quietem vellent. Obtemperantibus, Deo pias curas fortunante, plurimis, brevi tempore Vrbs vetus Coloniæ Bayensis, & quæ sub ipsum Nobregæ appulsum nova duobus interiùs milliaribus condi à Prætore Thoma Sousa cepit, à Sancto Salvatore nominata Civitas, multis hinc inde suburbanis circumdatæ Pagis sunt, quos efficiebant coniuncta tuguria statis iam tectis considere sustinentium, prius Nomadum, ac temerè per saltus, fluminumque ripas errantium ætatis omnis ac sexus mortalium. Probatæ aliquo iam successu operæ, ut quàm latissimè propagaretur utilitas, aucti, Sociorum è Lusitania subinde adventantium numero, Nostri, Stationes per totam quam latè patet Oram maritimam sparsere locis opportunis ad varias Indigenarum Nationes civilis quodam convictus nexu devinciendas, quò sic imbui Religionis elementis possent. Eo maximè consilio secundum à primo in Vrbe S. Salvatoris posito Societatis

34 Brasili à Desultoria vita ad sedentariā ægrè translati prope primam Soc. stationem in Vrbe S. Salvatoris.

Do-

Domicilium, hoc ipſo anno Chriſti 1549, menſe Novembri, ad S. Vincentij Præfecturam fixit, plus ſeptingentis milliaribus Auſtrum versùs à Baya diſſitam, miſſus à Nobrega Leonardus Nunnius cum Socio. Anno inſequenti Alfonſus Braſius tertiam Societatis Sedem inſtituit propè Portum nuncupatum à S. Spiritu, media ferè inter S. Vincentium & Bayam diſtan-

35 Secunda Societatis ſtatio in Præfectura S. Vincentij à Leonardo Núnio condita.

1551. tia. Quartam anno primo & quinquageſimo ſupra ſeſquimilleſimum fundavit ipſe Nobrega Pernambuci, milliaribus à Baya verſus Boream fermè trecentis, eique regendæ Antonium, Petrium reliquit. Quintæ biennio poſt dedit initium Ioannes Aſpilcueta Navarrus, ad Oſtium fluminis à Cruce appellati, in Portu ſecuro. Annoque

36 Tertia quarta & quinta Stationes brevi poſt fundatæ.

1553.

1554. inſequenti quarto & quinquageſimo fluentis ſæculi, Nobrega tunc declaratus literis perlatis S. Ignatij Provincialis Braſiliæ, iuſtum Collegium Piratiningæ condidit, collocatis illic tredecim è Noſtris. Vergit is locus ultrà Portum S. Vincentij in Mediterranea milliaribus ſex ferè ſupra triginta, ea

37 Collegium Piratiningæ fundatum.

delectus gratia, quòd videretur commodè ſitus invitandis ad Sedes ſtabiles, atque ita excolendis ad religionẽ, numeroſiſſimis Barbarorum Populis, per illa ſpatia terrarum versùs Occaſum latiſſimè porrecta, errantibus. Anno deniq; poſt hunc decimo, quar- 1564.
to nimirùm & ſexageſimo ſupra ſeſ-
38 Septima Statio ad Portum Ilheorum. quimilleſimum, ſeptimam & ultimã ante appulſum in Braſiliam Azevedium, Societatis Sedem ad Portum Ilheorum, quintodecimo ab Æquatore ſitum Gradu, conſtituit Nobregæ Succeſſor in Provincialatu Ludovicus Grana, collocatis ibi tribus Socijs.

X. Circum has Stationes, ſpatio ſexdecim annorum, quot à primo Societatis in Braſiliam tranſitu, ad eò delatum cum Viſitatoris poteſtate Azevedium, fluxere, congregarunt in Pagos plurimos Noſtri multitudinem planè ingentem varij nominis generiſque Braſilorum, numeroſaſque è
39 Quanta difficultate Eccleſiæ Braſilicæ fundatæ. multis ipſorum Chriſtiana religione imbutis Eccleſias condiderunt. Hoc illi quibus laboribus, quot ærumnis, quantis periculis emerint, haud facilè di-

dictu, ne pronum quidem æstimatu est: nisi si quis ad communes ubivis Gentium promulgandi Evangelij difficultates; proprias è nationis regionisque Brasilicæ peculiari conditione ortas adiecerit. Nusquam Præconibus Gloriæ Christi veriùs quàm hic
Luc.x.3. ab ipso dictum intelligitur: *Mitto vos sicut agnos inter Lupos*: Non enim Græcos aut Persas, Arabas, vel Æthiopas; ac, nec creditos omnium immanissimos, Scythas, legimus, solitos mēbris humanorum corporum cœnas instruere; ut tragicas catastrophas Thyestæarum Epularum qui eos adibant timere debuerint: Brasili non solum nihil iucundiùs carne hominum gustant: sed & in parte gloriæ numerant, quamplurima sibi similium cadavera liguri visse: ideòque ad indicium talis decoris, voratorum ab se se ossa reservant ostentui; tantò inter ipsos illustriori cuiusque claritate, quantò ex maiore istiusmodi reliquiarum acervo, intra eius tabernaculum aggesto, constiterit, plures illum, quàm quemquam aliorum, homines comedisse.

40 Brasili vorare homines non suave solum habent, sed & gloriosum ducunt.

Tri-

Triſti hoc experimento comperit Primus Epiſcopus Braſiliæ Petrus Fernandez Sardina, qui anno huius Sæculi ſecundo & quinquageſimo appulſus ad Bayam, poſt triennium ſapientis & piæ adminiſtrationis Novæ iſtius Ec-
41 cleſiæ, infelici naufragij caſu obiectus iſtis Anthropophagis, tam ipſe quàm eius Comitatus univerſus, centum ferè Capitum, magna ex parte Nobiliũ, nefariè iugulatus, voratuſque ab illis eſt. An quæſo à feris beſtijs quæ in Paſtorem ſuum, eumque optimum ac ſummè venerabilem, adeò ſæviſſent, mitius expectare quidquam ipſarum Venatores poterant? præſertim qui ſoli, feſſi & inermes, in earum ultrò Mandras & ſtabula, Sylvis ac rupibus abſtruſa, occurrerent; cum ille fluctu eiectus in Littoralem ſtationẽ, minus à Luſitanicis præſidijs remotã, etiam non ſine apparatu & ſatellitio Comitum; tam fœdi ac lamentabilis exempli nihilominus exitum tulerit? Quid quod mores inoliti longo uſu, innataque Genti ſic educatæ feritas, Sortilegorum aut Magorum inter eos plu-

Primus Epiſcopus Braſiliæ cũ Comitibus centum comeſtus ab Anthropophagis.

plurimorum præſtigijs in Noſtros irritabatur. Diabolo per hos ſuos Emiſſarios totis viribus certante; quò inviſæ ſibi ac formidatiſſimæ Evangelicæ Doctrinæ initia maturè ipſa ſeminaq; elideret. Horum erant cum Noſtris Evangelij Præconibus quotidiana certamina, tumultu ingenti, nec minùs præſenti diſcrimine nudorum & inopum, armatis rabioſiſque Adverſantium turmis comparatorum, niſi hos tueretur Divina Protectio: plerumq; ipſos non tantùm immunes ab intentata vi præſtare ſolita, ſed etiam miro prodigio, formidabilis licet contrà oppoſitæ potentiæ, victores. Quo in genere anno ipſo primo ingreſſæ Braſiliam Societatis, Sæculi undequinquageſimo, contigit, prædicanti haud ſine ſucceſſu Braſilis Chriſti Religionem Nōbregæ, obturbare inſolentiſſimè Veneficum inſignem, phanaticæ agyrtam ſuperbiæ, qui ſe Deum intolerabili amentia iactaret. Cum hoc congreſſus in frequentiſſimo Conventu Nobrega noſter, ita, Deo iuvante, Nebulonem impudentiſſimum convicit,

42 Magi Braſilos in fidei Chriſtianæ prædicatores præſtigijs concitant.

43 Nobregę congreſſus cū Mago, miro ſucceſſu.

adeò

adeò plausibiliter fraudes eius & mendacia coarguit, ut & ipse, haud dubiè confusus, manus daret; octingentique pariter ipsius Symmistæ, se conversos professi, baptismum petierint; qui & post idoneam institutionem, centum ex ipsis, inter quos Dux horum fuit, ritè collatus est: septingentis reliquis adhuc in Catechumenorum Schola relictis. Etenim summa cavendum consideratione censebant Patres, ne, non usquequaque probatis, &, immu-
44 Baptismus nó nisi benè paratis probatisque dandus.
tabilis perseverantiæ dato pignore idoneo securis, Sacri Baptismi sanctitas committeretur. Quare cum proposita Doctrinæ Christianæ mysteria qui audierant se credere monstrarent, ac longa etiam disciplinæ patientia satisfacerent. *non tamen*, ut est in Ioannis Evangelio, Iesus se credebat illis: *ipse enim sciebat quid esset in homine*. Nimirùm inspirabat ipse Dominus Ministris suis cunctationem in baptizando sapientem: ob proclivem istarum
Ioan. 11 24.
45 Tria Brasilorũ vitia difficilima emendatu.
Gentium relapsum in tria præsertim vitia, Ebrietatis, impudicitiæ, helluationis humanarum carnium. à quibus in

in occaſione ſemper parata, & pellacibus ab aliorum exemplo propriaque aſſuetudine, illecebris, cohibituros ſe illos haud certa ferè umquam fides, ac ne veriſimilis quidem ſpes, eſſet. Iſta noſtros longo tempore ratio coëgit, præcipuam ſpem veræ converſionis Braſilorum, in ætatis teneræ proba inſtitutione ponere. Hinc Domus noſtræ omnes Puerorum à Parentibus impetratorum, contubernijs gravatæ; magno quidem & ſumptu & incommodo Magiſtrorum, alere veſtireque, ac cætera puerilis imbecillitatis tolerantia curare Diſcipulos coactorum; ſed ſummo, prout eſt eventu compertum; ad Dei gloriam, cùm impenſæ fructu, tùm operæ pretio. Erat id tamen eò difficiliùs, quòd uſque ad annum quartū, & ſexageſimum ſæculi ſeſquimilleſimi, quo eſt à Rege Sebaſtiano Vrbis S. Salvatoris ad Bayam Collegio certum attributum vectigal annuū, in cunctis Noſtri per Braſiliam Domicilijs, victu veſtituque, mendicando quæſitis, utebantur; Domos autem habitabant proprijs manibus

46 Seminariorum vtilitas.

1564.

V ſtru-

ſtructas, qualium ſpecimen licet capere ex oculato teſtimonio Viri fide dignißimi Ioſephi Anchietæ: cuius extant latinè ſcriptæ anno 1554. ex Piratiningano recens condito Collegio Literæ, ad S. Ignatium tunc Societatis Generalem Præpoſitum, verbis his totidem. *A Ianuario uſque ad præſens, nonnumquam plus viginti (ſimul enim Pueri & Catechiſtæ nobiſcum degunt) in paupercula Domo luto & lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim paſſus longa, decem lata, manſimus. Ibi Schola, ibi Valetudinarium, ibi Dormitorium, Cænaculum item, & Coquina & penus ſimul ſunt. nec tamen amplarum habitationum quibus alibi Fratres noſtri utuntur, nos movet deſiderium. Siquidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus in arctiori loco poſitus eſt, cum in paupere Præſepi inter duo animalia voluit naſci; multò vero arctiſſimo cum in Cruce pro nobis dignatus eſt mori.* Hæc ille. Tali nuditati, ſummis diù noctuque laborandi contentionibus, additis, Primi noſtri Braſiliæ cultores, largis illam primùm vineam ſudoribus, deinde cruore quoque pro Chriſto fuſo irrigarunt. Anno

47 Paupertas Sociorum in Braſilia.

nam-

namque 1554, menſe Novembri, Petrus Correa & Ioannes Souſa, ambo è Societate, á Nobrega miſſi ad Carigios Barbaros Chriſti religione imbuẽdos, ab ijs, adversùs ipſos à quodam Impoſtore concitatis, interfecti ſunt. Auxit hic eventus, latè ſtatim vulgatus, alacritatem Noſtrorum in adeundis pro Chriſto periculis, ſpe ſimilis fortunæ. Obſervatus etiam poſt hæc uberior in ijs terris ſementis Evangelicæ proventus, fidem adſtruere viſus eſt illi veteri Primorum Chriſtianorum dicto: *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*. Certè annis duodecim, qui à Correæ Souſæque beato fine ad labentis Sæculi ſextum & ſexageſimum, ſuperſunt, ſatis conſtat haud ferè minus centum millibus Braſilorum, ſalutis viam ingreſſos. Nam præter innumeram multitudinem baptizatorum, in extremis, morte mox ſecuta, parvulorum adultorumque, partim conſuetis vitæ mortalis caſibus obeuntiũ, partim extraordinarijs calamitatibus belli aut peſtis abſumptorum (quales multas per illa tempora, ſtragibus uſ-

48 Duo è Societate à Braſilis occiſi odio fidei.

49 Ex ea cæde ſecuta converſio plurimorum ad Chriſtum.

que ad ultimam Pagorum Regionum-
que deſolationem exitialibus, Gentes
50 iſtæ paſſæ ſunt) ſexdecim millia Chri-
ſtum colentium Braſilorum, & fidem
baptiſmo ſuſcepto datam, vita proba
piaque præſtantium, Azevedius anno
modò dicto adveniens reperit;nec mi-
norem fermè aliorum Chriſti lavacro
ablui poſcentium numerum; quibus
ob ſuperiùs indicatas cauſas, ſacræ per
luſtrale Sacramentum regenerationis
gratia differebatur.

Status Eccleſię Braſilicæ in Adventu Azevedij.

CAP. II.

Azevedius Provinciam Braſilicam Societatis luſtrat; Collegium novum ad flumen Ianuarium condit.

I. EXſcendens ad Bayam Azevedius à triginta Socijs Collegium

gium Vrbis S. Salvatoris incolentibus eo exceptus est gaudio, quo beare desiderati diù boni possessio tandem fruentes solet. Audiverant de dotibus Viri huius ac laudibus multa dudùm præclara. Novissimè gratulatione invicem magna compererant, destinatum à Generali Societatis ipsum sibi Præsidem, titulo ac potestate Visitatoris, iam se itineri dedisse, pro cuius felicitate vota fecerant. Ille paternæ caritatis blandissima significatione cunctos amplexus, quotidiè per trimestre spatium congregatis universis, Constitutiones S. Ignatij nondum illic cognitas promulgare, ac, ubi opus fuit, declarare differendo institit. Vt quidque protulerat, statim in usum conferebatur. Hinc in ordine vitæ ac conversationis illic Domi forisque servato antea, haud pauca mutata. totaque in compositissimam brevi redacta formam Religionis Disciplina; mira optimi cuiusque approbatione; qualium voces audiebantur passim fatentium: se tunc primùm, quasi eatenus Tyrones, vere accomodatæ ad finem

51 Azevedius in Brasilia Constitutiones Societatis promulgat & in mores inducit.

Socie-

Societatis, vitæ ac religiosæ institutioni, assuescere cepisse. Rector erat Collegij Bayensis Gregorius Serranus, vir optimus, qui, pro more illorum temporum, omnia Domi unus agebat; nulla adhùc in mores inducta partitione officiorum, & subordinatione Ministrorum. Hunc docuit Azevedius: Rectoris partes esse, invigilare „

52 Officia & ministeria Domi distinguit.

toti Domui, exigereque à singulis „ commissorum cuique munerum rationem: excitare, animare, iuvare „ cunctos, in rebus præsertim ad profectum spiritus spectantibus: exercere „ assignata ipsis opera per se non debere. nam id, & molesta diffidentiæ suspicione, caritatem subiectorum in „ Rectorem refrigerat, &, alienæ operæ fiducia, diligentiam remittit: Rectorem ipsum supra vires onerat, multisque obnoxium reprehensionibus „ reddit; dum singulis, quæ propriam „ perpetuamque attentionem requirunt, ministerijs ex tempore tractandis, necessariò impingit in defectus, „ maximè observabiles tritis usu rerum „ istarum, cum iusta ipsorum offensione,

„ ne, iacturaque gravi autoritatis Præ-
„ positum decentis, ac venerationis illi
„ debitæ. Instituit ergo Vicarium Rectoris, in cura minutiore domesticarum rerum, quotidianæ Disciplinæ; quem *Ministrum* vocavit, huic quoque subordinavit strenuum è Laicis adiutoribus virum, *Subministri* nomine; quem fidum inspectorem explorari debentium, paratumque præsentem operam poscentium Actorem, promptum ad nutus haberet. Rei denique familiari, annonæ, censibus, vestiario, cæterisque id genus providendis, & ex officio curandis, prudentem præposuit Oeconomum, titulo *Procuratoris*, penes quem propriè Temporalium cura resideret: adiuncto & alio Spiritualium Præfecto: qui omnes singula sui muneris peculiari studio administrarent, invigilante supra ipsos Rectore, & rationes commissæ curationis subinde repetente. His Domi constitutis, prodijt ipse Visitator in suburbanos, de quibus dixi, Barbarorum Pagos, utque ij à Patribus curarentur, inspexit præsens. Quæ probè fierent,

53 Missiones explorat & ordinat.

fierent, laudavit; quædam offensioni obnoxia, correxit; multa profutura instituit; cuncta necessarijs cautionibus, adversùs prona incommodorum pericula, munivit. Ante omnia sanxit: ne sine idoneo testium comitatu nostri tuguria Brasilorum, vel errantium in Sylvis, vel in Pagos descriptorum, ingrederentur: quò suspicionibus obtrectationibusque Malevolorum ansa præcideretur omnis; ex nationum licentia illarum, apud quas feminis, ante Christianam institutionem, nullus ferè pudor est: unde contigisset, malè feriatis, & aliunde infensis, materiam præberi criminationum; vanarum licet iniustissimarumque, at noxiarum tamen, & exquisitissima semper cautione prævertendarum. In his fuit Azevedius usque ad labentem Novembrem, quando ad cæteram lustrandam Provinciam discessum parans, ad se vocavit Alfonsum Petrium; Sacerdotem nostrum spectatissimę religionis prudentisque industriæ. Huic dixit: cum necessarium sibi iter instaret, ad reliquas Præfecturæ suæ visendas

Novēb. an. 1566

54 Mandata eius Alfonso Petrio suo Vicario data.

das & ordinandas partes, velle ipsum hic relinquere, vice sua curaturum, ut quæ in isto Primario Provinciæ Collegio rectè iam cepta procederēt, perseveranti observatione, ad usus perpetuitatem stabilirentur. Dare ad hoc se illi Superiorem ipsi Rectori potestatem, quasi Vice-Provincialis (nam Provincialem ipsū iustis de causis decrevisse secum ducere) Mandare Primùm, ut constitutam à se rationem domesticæ disciplinæ teneri ab omnibus curaret; nec relaxari quidquam sineret à quovis in præscriptarum cūctis executione quotidiana Regularū. Deinde ut pari sedulitate invigilaret institutæ per Pagos suburbanos curationi Brasilorum. Patres, quibus est id negotium commissum, ut in eo ex formula præscripta omni diligentia contendant, frequenter adhortetur. nec his contentus, quàm creberrimè Pagos ipsos concurset, functionibus ibi publicis catechisticarum lectionū, concionumque, dum geruntur, intersit. ipse pro parte adiuvet, dicendo ad Populum, confitentes audiendo:

nihilque omittendo induſtriæ, quò & promoveantur in melius, qui iam Chriſti legem amplexi ſunt; & eòdem quàm efficaciſſime invitentur reliqui. cupere enim ſe provectas virtute, auctas etiam numero, iſtas reperire, ubi redierit, Eccleſias; cuius ſpe gaudij optatiſſimi ne ſe fruſtratum velit, etiam atque etiam orare. Ad extremum iniungere, cepta ut ædificia, Collegij & Domus Probationis, quàm fieri poterit diligentiſſimè urgeat: conferatque eò ſedulam operam, ne quid moræ ſibi reverſo Bayam obijciatur, quominus ſtatim queat, iuxta Conſtitutionum ſcita, cum Gymnaſij Operarios atque Alumnos, tum admiſſos, aut mox admittendos in Societatem Novitios, collocare in ſeparatis Septis ac Tectis; ijſque ad accomodatam utriq; generi Diſciplinam aptè comparatis atque inſtructis.

II. Eiuſmodi relictis Alfonſo Petrio mandatis, Navim conſcendit Viſitator è Baya, in Claſſe quam Mendus Sà Prætor Braſiliæ, ad Flumen Ianuarij ducebat, impoſito exercitu ad bel-

lum

lum gerendum adversùs rebellantes
illic Tamuyos Barbaros. Eius Expe-
ditionis comes eſſe voluit Petrus Lei- 55
tonius Epiſcopus Braſiliæ. Sumpſit
porrò ſecum Azevedius Ludovicum
Granam Provincialem, Ioſephum An-
chietam recens à modò nominato An-
tiſtite initiatum Sacerdotio, alioſque
tres è noſtris. quorum omnium in ad-
hortandis ad probos mores, expiandis
à noxis, excitandiſque ad Deum aman-
dum colendumque, opem eius implo-
randam, ſpemque ſucceſſus omnis u-
nicè in ipſius auxilio ponendam, Claſ-
ſiarijs, Militibus, Vectoribuſque uni-
verſis, opera per totam eam naviga-
tionem ferè bimeſtrem ſtrenua & fe-
18. Ian. 1567. lix fuit. xv. Kal. Februarias Anni mil-
leſimi quingenteſimi ſexageſimi ſep-
timi, pervenit Claſſis ad Oſtium Flu-
minis Ianuarij, eodemque die expoſi-
tis in terram copijs, Prætor, habito co-
ràm Epiſcopo, cum Ducibus & Tri-
bunis, de ratione adminiſtrandi Belli
conſilio, ex omnium ſententia decre-
vit, tertio poſt hunc die, duas munitiſ-
ſimas Hoſtium Arces, ſimul oppugna-

Cum Epiſcopo Prætore & Exercitu ad Flumen Ianuarij navigat.

re. causa deligendæ talis diei fuit, quòd sacrata illa est anniversariæ memoriæ S. Martyris Sebastiani, quem iam ante Lusitani suæ istius ad Flumen Ianuarium Coloniæ peculiarem adoptaverant Patronum: & præsens ipsis istius devotionis fructus constiterat, præclarissimis de Hoste multò potentiore victorijs, manifesta illius ope reportatis; quarum recentissima ferebatur quæ mense Iulio superioris anni contigerat. quando Lusitani in quatuor Lembis, à Classe optimè instructa plus centum & octoginta Navium, Sagittarijs Tamuyis onustarum, in alto improvisò deprehensi, dum magnis animis pugnantes desperata humana ope cœlestem Protectorem Sebastianum inclamant, statim, ipso palàm apparente, minanteque ac insiliente in Lembos hostiles; simul ex parte altera orto incendio se per Classem barbaram spargente, territi Brasili, consternatione maxima fugerunt. Hoc reputantes Episcopus & Prætor, assentientibus, quorum etiam exquirere sensum sunt dignati, Visitatore

56 S. Sebastianus peculiaris Lusitanorum Patronus.

1566.

ac

ac Provinciali nostris, haud sine Numine factum interpretabantur, ut ipso lucis Sanctissimo Patrono dicatæ pervigilio, in conspectum Hostilium Præsidiorum Christianus Exercitus esset appulsus: quasi Beato Martyre ad rem suo ductu gerendam adhortante; cui tanto augurio segnes sequendo se præbere, ingratum ignavumque sit. Primo ergo diluculo diei XIII. Kal. Februarij S. Sebastiani Natalis, præparatis pridiè militibus per pias adhortationes & sacramenta, strenuè in id incumbentibus Azevedio cum suis omnibus, imploratáque solemni concepto communiter à cunctis voto, Dei ac S. Patroni Martyris gratia, eductus & bifariàm divisus Exercitus, benè precante prodeuntibus Episcopo, duas validissimas, & numeroso insessas præsidio, Munitiones Rebellium, fortissimè aggressus, cruentissimo multarum horarum certamine tandem expugnavit, & summa vi Hostes adegit, desperato belli successu, Pacis consilia tentare. Gratijs Deo pro Victoria actis, Episcopus cum Patribus ad Vrbem S.Vin-

57 Duę Arces uno die S. Sebastiano sacro expugnatæ.

S. Vincentij ſe contulit. Hic pro ſuo munere, Viſitator accuratiſſimè luſtravit Stationem ibi Noſtrorum, ſatis tunc numeroſam (nam ex Paratininigano pridem excitato in Mediterraneis Collegio, Scholæ cum Magiſtris, propter pericula Bellorum, translatæ in eam Coloniam Mari vicinam, locum ideò tutiorem, paulò ante fuerant). Hoc quoque in loco Conſtitutiones Societatis Noſtris declaravit, & ad earum normam Diſciplinæ Domeſticæ quotidianum ordinem; Miniſteriorumque ad Externos in Scholarum Claſſibus, in Templo, in Noſocomijs, in Concurſationibus per Pagos, rationem omnem ex formula Inſtituti temperavit: inductis ſtatim in uſum ac praxim, ijs quæ præſcribi Sancti Fundatoris legibus oſtenderat. Inde ſpatio milliarium fermè quadraginta per montes enitens aſperrimos, pedibus proceſſit ad Paratininganum, viſendum Societatis Domicilium, in quo paucos è Noſtris reperit, inter bellicos tumultus & diſcrimina maxima, negotio vocandorum ad Fidem il-

58 In Vrbe S. Vincentij res Societatis ordinat.

59 Paratininganu Collegium inviſit, & eius ſitum probat.

illius Tractus Gentium laboriosissimè intentos. Ibi præsens agnovit opportunitatem situs illius ad navandam feliciter operam in conversione plurimarum circum ea loca errantium Nationum. Iamque ob nuperam Victoriam residente paululùm furore bellico, Barbarisque ob id tractabiliores se præbentibus, prodire ipse audebat, excurrereque in circumquaq; sitas Brasilorum, quas vocant, *Aldeas*, mapalia videlicet aut Vicos, admotis invicem multarum familiarum Tugurijs constantes. Gaudebat quin etiam per Interpretes, quos ducebat secum, linguę popularis peritos Patres, ipse agere cum Barbaris, proponendis Mysterijs nostræ Sanctæ Religionis: nec dissimulabat, quantò libētiùs privati Operarij personam sustinens, totum se impenderet annunciandæ Christi gloriæ infelicibus illis Barbaris, quàm imposito sibi regendi Socios officio serviret. Hic multa exquisivit, sciscitando curiosè, de numero, moribus, situ Nationum plurimarum, partim Mediterranea Occasum versùs, partim Oram

Ma-

Maritimam uſque ad Oſtium Fluminis Argenti, paululùm in meridiem deflexam, incolentium. Tum loca deſignabat collocandis apta Stationibus Noſtrorum, ſi quando idoneam eorum copiam poſſet adipiſci, qui ſcilicet per crebras excurſiones quoquoverſum, nullam vaſtæ illius Continentis Partem, nullos è vagis Incolis Camporum, Montium, Saltuum iſthic immenſorum, relinquerent Chriſtianæ inſtitutionis expertes. Colliqueſcebat animo in dulcedine talium deſtinationum ac votorum; diutiuſque in gratiſſima illa ſibi ſede moraretur: niſi certis admonitus nuncijs, de matura opportunitate componendarum ad Flumen Ianuarium Societatis rerum, ut eò quamprimùm tenderet, ad Stationem S. Vincentij, unde venerat regredi feſtinatò cogeretur.

III. Erat ibi adhuc D. Petrus Leitonius Epiſcopus Braſiliæ; qui & ipſe ad ſui functionem Pontificalis muneris, cuius omnes exactiſſimè numeros explebat, ad novam quæ illic condebatur, ritè auſpicandam Civitatem,

ne-

necessariam sibi profectionem in Castra Prætoris propè ostia Fluvij Ianuarij sita, iudicabat. Communiter igitur ambo Navem conscendunt, ad sinus traiectionem lati, qui Amnium Ianuarij & S. Vincentij fauces interiacet. Iam milliaria emensi ferè octoginta, dimidium eius viæ confecerant, cum vento, quo ferebantur, cessante, iacere anchoram Nautæ coacti sunt è regione cuiusdam Portus, vulgò nuncupati
24. *Iul.* *Britioga*. Dies erat IX. Kal. Augusti, pridiè anniversarij natalis S. Iacobi Maioris Apostoli; hora matutina, tempus serenum, mareque tranquillum etiam nimis, utique incommoda festinantibus malacia. Accedens Episcopum Azevedius: *Longiusculam*, ait, *Domine, si Gubernatori creditur, hic ducturi moram sumus: utar, si concedis, isto otio ad Sacrum in vicino littore celebrandum*. Annuente prolixè optimo Præsule, Visitator cũ tribus Socijs in scapham remigibus instructam è navigio descendit, transmissurus facilè, ut putabat, & statim, in propinquam ripam. Sed brevi sensit, non à Ventis solùm, & fluctibus

 peri-

quies æquoris, desedisse in ima gurgitum, aut aliò quàm longissimè cessisse placatam iam bestiam, fidem fecit. Scio tantum specimen divinæ in suis protegendis benevolentiæ, alijs quoque præter Azevedium paris periculi consortibus, haud immeritò imputari potuisse. Nimirùm erant vnà cum illo Emanuël Nobrega, Ludovicus Grana, & Iosephus Anchieta, Athletæ omnes palmarum plurimarũ, quorum, ut acta heroica permulta, ita non pauciora, proni Numinis ad quidvis ipsis gratificandum experimẽta, memorantur. Tamen precum Azevedij potissimùm tunc rationem habitam, illa saltem suadet ratio, quòd cunctis is reliquis præesset, officioque Magistratus autoraretur ad impetrandam à Deo defensionem eorum, quos ipse illi servandos curandosque commiserat. Quamquam istam prærogativam abundantibus Azevedij meritis, & præclaræ Sanctitati, ex suo aliorumque sensu haud dubiè videtur assignare, ultimus quem nominavi eius comitum Iosephus, ille Thaumaturgus

Bra-

Brasiliæ dum scripto hodieque superstite, hunc casum referens hæc ipsa ponit verba: *Spectabat è Navi nos omnes sub tanti pendentes acie periculi Dominus Episcopus cum suis universis; confidens tamen non perituros, qui nobiscum haberemus tam carum Deo Virum P. Ignatium Azevedium*. Sic Anchieta.

62 Iudicium P. Anchietæ de Azevedio.

IV. Ego circa hunc eventum audebo proponere speculationẽ meã quandam, eò confidentiùs, quòd eius explicatione, nodum velut ipsum indicatum iri autumo huius quasi tragœdiæ totius, quæ in nece Azevedij ac Sociorum ultimam habuit Catastrophen. Res est accersenda paulò altiùs. Destinatam sibi Azevedius Brasiliæ Christo subiungendę Provinciam toto illo suo caritate apostolica flagrãte complectẽs animo, antequam illuc è Lusitania solveret, scriptas Literas à Nostris inde Patribus, Nobrega præsertim omnium primo maximoque, cupidè perlegit. Ex his cum intelligeret: in universa ora Brasiliæ locum esse unum opportunissimum operæ navandæ in conversione Barbarorum;

eum

S. Vincentij se contulit. Hic pro suo munere, Visitator accuratissimè lustravit Stationem ibi Nostrorum, satis tunc numerosam (nam ex Paratininigano pridem excitato in Mediterraneis Collegio, Scholæ cum Magistris, propter pericula Bellorum, translatæ in eam Coloniam Mari vicinam, locum ideò tutiorem, paulò ante fuerant). Hoc quoque in loco Constitutiones Societatis Nostris declaravit, & ad earum normam Disciplinæ Domesticæ quotidianum ordinem, Ministeriorumque ad Externos in Scholarum Classibus, in Templo, in Nosocomijs, in Concursationibus per Pagos, rationem omnem ex formula Instituti temperavit: inductis statim in usum ac praxim, ijs quæ præscribi Sancti Fundatoris legibus ostenderat. Inde spatio milliarium fermè quadraginta per montes enitens asperrimos, pedibus processit ad Paratininganum, visendum Societatis Domicilium, in quo paucos è Nostris reperit, inter bellicos tumultus & discrimina maxima, negotio vocandorum ad Fidem il-

58 In Vrbe S. Vincentij res Societatis ordinat.

59 Paratininganu Collegium invisit, & eius situm probat.

illius Tractus Gentium laboriosissimè intentos. Ibi præsens agnovit opportunitatem situs illius ad navandam feliciter operam in conversione plurimarum circum ea loca errantium Nationum. Iamque ob nuperam Victoriam residente paululùm furore bellico, Barbarisque ob id tractabiliores se præbentibus, prodire ipse audebat, excurrereque in circumquaq; sitas Brasilorum, quas vocant, *Aldeas*, mapalia videlicet aut Vicos, admotis invicem multarum familiarum Tugurijs constantes. Gaudebat quin etiam per Interpretes, quos ducebat secum, linguę popularis peritos Patres, ipse agere cum Barbaris, proponendis Mysterijs nostræ Sanctæ Religionis: nec dissimulabat, quantò libertiùs privati Operarij personam sustinens, totum se impenderet annunciandæ Christi gloriæ infelicibus illis Barbaris, quàm imposito sibi regendi Socios officio serviret. Hic multa exquisivit, sciscitando curiosè, de numero, moribus, situ Nationum plurimarum, partim Mediterranea Occasum versùs, partim Oram

Ma-

Maritimam uſque ad Oſtium Fluminis Argenti, paululùm in meridiem deflexam, incolentium. Tum loca deſignabat collocandis apta Stationibus Noſtrorum, ſi quando idoneam eorum copiam poſſet adipiſci, qui ſcilicet per crebras excurſiones quoquoverſum, nullam vaſtæ illius Continentis Partem, nullos è vagis Incolis Camporum, Montium, Saltuum iſthic immenſorum, relinquerent Chriſtianæ inſtitutionis expertes. Colliqueſcebat animo in dulcedine talium deſtinationum ac votorum; diutiuſque in gratiſſima illa ſibi ſede moraretur: niſi certis admonitus nuncijs, de matura opportunitate componendarum ad Flumen Ianuarium Societatis rerum, ut eò quamprimùm tenderet, ad Stationem S. Vincentij, unde venerat regredi feſtinatò cogeretur.

III. Erat ibi adhuc D. Petrus Leitonius Epiſcopus Braſiliæ; qui & ipſe ad ſui functionem Pontificalis muneris, cuius omnes exactiſſimè numeros explebat, ad novam quæ illic condebatur, ritè auſpicandam Civitatem, ne-

necessariam sibi profectionem in Castra Prætoris propè ostia Fluvij Ianuarij sita, iudicabat. Communiter igitur ambo Navem conscendunt, ad sinus traiectionem lati, qui Amnium Ianuarij & S. Vincentij fauces interiacet. Iam milliaria emensi ferè octoginta, dimidium eius viæ confecerant, cum vento, quo ferebantur, cessante, iacere anchoram Nautæ coacti sunt è regione cuiusdam Portus, vulgò nuncupati
24. Iul. *Britioga*. Dies erat IX. Kal. Augusti, pridie anniversarij natalis S. Iacobi Maioris Apostoli, hora matutina, tempus serenum, mareque tranquillum etiam nimis, utique incommoda festinantibus malacia. Accedens Episcopum Azevedius: *Longiusculam, ait, Domine, si Gubernatori creditur, hic ducturi moram sumus: utar, si concedis, isto otio ad Sacrum in vicino littore celebrandum.* Annuente prolixè optimo Præsule, Visitator cũ tribus Socijs in scapham remigibus instructam è navigio descendit, transmissurus facilè, ut putabat, & statim, in propinquam ripam. Sed brevi sensit, non à Ventis solùm, & fluctibus

periclitari navigantes in Brasilico Mari; cuius etiam littorales tractus, ipsique Portus, belluis scatent, & iras & vires Navibus totis confringendis pares habentibus. Fortè per illam tunc Oram quidam Brasili, suo more piscātes, aliquem è tuta scopuli specula conspicati telo contiguum cetum ingentem, qua mira valent arte, certò vibrandarum sub ipsas aquas in Pisces sagittarum, iaculi adacti mucrone, perstrinxerant. Irritata ferri sensu bestia, vulneris autores quærens, erupit impetu vehementissimo, & super aquas altè capite sublato, ubi circūspectando nihil cui posset nocere comperit, præter Lintrem quo Azevedius ripam petebat, cursum eò rapidissimū intendit, fluctus ciens magnos, & multam præ se aquam tubis frontis prægrandibus eiaculans. Sic brevi tempore, anterioribus vasti corporis à pectore inter undarum cumulos arrectis, visu ac strepitu terrifico, ad Naviculam pervenit, ac statim sub eam caput deprimens, supra eius puppim, in qua Ignatius cum suis stabat, Caudam,

60 Casus inopinatus Monstri Marini Navem oppugnantis.

dam; qualem Belluæ aquatili, Behemoth dictæ, quam esse Hippopotamum Viri docti *a* contendunt, Sacer Autor Historiæ Iobi tribuit, instar cedri crassam erexit retorsitque, imminens in ictum. Hæc spectans è Navi maiori Episcopus, miserebatur, cum alijs multis; actum de Patrum vita, non sine causa credentibus. Ipse Ignatius perfusus aquis, quas Cetus adventans evomuerat, oculis & manibus in Cœlum erectis, Dei opem, sereno tamen vultu, &, sub tanti licet articulo discriminis, secura fiducia, implorabat. Nec defuit expectatus Dei favor. In ipso, mirum, impetu demittendæ ad feriendum lintrem à Monstro immani lethalis caudæ, quod si fecisset, certissimè velut impacta fortiter in vas Luteum clava ferrea, Lembum Vectoresque contrivisset: elanguit repente subsidens furor, delinitaque occulto suasu feræ animæ rabies, in ipso nocendi flagrantissimo conatu inhibuit inopinatissimè vim sævam. Retrò aversa innoxiè cauda pōto redditur. Summa mox, & longa inde

Iob. xl. 12.

a Vide Buchardum de animal. script.

61 Mirabiliter Azevedius cum Socijs præsentissimo periculo eximitur.

quies æquoris, desedisse in ima gurgitum, aut aliò quàm longissimè cessisse placatam iam bestiam, fidem fecit. Scio tantum specimen divinæ in suis protegendis benevolentiæ, alijs quoque præter Azevedium paris periculi consortibus, haud immeritò imputari potuisse. Nimirùm erant unà cum illo Emanuël Nobrega, Ludovicus Grana, & Iosephus Anchieta, Athletæ omnes palmarum plurimarũ, quorum, ut acta heroica permulta, ita non pauciora, proni Numinis ad quidvis ipsis gratificandum experimẽta, memorantur. Tamen precum Azevedij potissimùm tunc rationem habitam, illa saltem suadet ratio, quòd cunctis is reliquis præesset, officioque Magistratus autoraretur ad impetrandam à Deo defensionem eorum, quos ipse illi servandos curandosque commiserat. Quamquam istam prærogativam abundantibus Azevedij meritis, & præclaræ Sanctitati, ex suo aliorumque sensu haud dubiè videtur assignare, ultimus quem nominavi eius comitum Iosephus, ille Thaumaturgus

Bra-

Brasiliæ dum scripto hodieque super- 63
stite, hunc casum referens hæc ipsa Iudicium P. Anchietæ de Azevedio.
ponit verba: *Spectabat è Navi nos omnes sub tanti pendentes acie periculi Dominus Episcopus cum suis universis, confidens tamen non perituros, qui nobiscum haberemus tam carum Deo Virum P. Ignatium Azevedium.* Sic Anchieta.

IV. Ego circa hunc eventum audebo proponere speculationē meā quandam, eò confidentiùs, quòd eius explicatione, nodum velut ipsum indicatum iri autumo huius quasi tragœdiæ totius, quæ in nece Azevedij ac Sociorum ultimam habuit Catastrophen. Res est accersenda paulò altiùs. Destinatam sibi Azevedius Brasiliæ Christo subiungendę Provinciam toto illo suo caritate apostolica flagrāte complectēs animo, antequam illuc è Lusitania solveret, scriptas Literas à Nostris inde Patribus, Nobrega præsertim omnium primo maximoque, cupidè perlegit. Ex his cum intelligeret; in universa ora Brasiliæ locum esse unum opportunissimum operæ navandæ in conversione Barbarorum;

eum quem vocant Capitaniam seu Præfecturam S. Vincentij, cuius pars tum adhuc ab Hostibus possessa, Portus est Fluminis Ianuarij: cum hac notitia convenit Sebastianum Regem, ad quem ipsi erat (prout suo post loco, documentis haud vulgò notis ostẽdemus) peculiaris aditus gratiæ: facileque ab illo impetravit efficaces Literas, quibus Collegiũ Societatis Iesu in loco quem ipse præsens delegisset, exstrui instruique annuis censibus, impensa regia, iubebat. Ostenderat iam, dum Bayæ moraretur, Azevedius istas Episcopo Leitoni, Mendo Prætori, cæterisque Ministris regijs Literas: cunctis agnoscere se fassis, & nihil penes ipsos moræ futurum in eius mandati executione pollicentibus. solus expectabatur loci delectus Azevedij arbitrio permissus: quo ut ille prudentiùs defungeretur, post primum de quo diximus ad Ianuarij Flumen exscensum, inde ad S. Vincentij Flumen se contulerat; ex eoque loco in Mediterranea procedens, diù Piratiningæ, ut dictum est, explorandi exactè cuncta

stu-

ſtudio perſtiterat. Tandem conſideratis ſatis omnibus, auditiſque ac probatis ſententijs Granę Provincialis, Exprovincialis Nobregę, aliorumque diù verſatorum in illis Partibus Patrum; decrevit: non aliam fore Sedem aptiorem cõdendo novo Collegio, quàm Vrbem ædificari ceptam prope oſtiũ amnis Ianuarij. Iſtius inchoandi ac conſtituendi Domicilij cauſa Flumen Ianuarij modò Azevedius petebat; cuius non ignarus Conſilij malus Dæmõ, videtur hanc belluam comparaſſe, ut inviſum ſibi negotium maturè diſijceret, eius Autore inter ipſum illius aggrediendi apparatum opprimendo. At cum prævertiſſet perniciem vis maior divinæ protectionis, præſenti, ut vidimus, ope ſuos ſervans: haud fractus animo Infernus Hoſtis, qui Monſtrum marinum nequidquam adhibuiſſet impediendæ ſtructuræ murorum Ianuarienſis Collegij, ne id certè frequentaretur, cęſis in via deſignatis eius Incolis impedire ſtuduit, inania tunc quoque meditatus. Cum & non defuerint, qui vice cæſorum id Domi-

63 Deſtinatio Collegij Societatis ad Flumen Ianuarium Diabolo exoſa.

64 Socij cũ Azevedio ab Hæreticis occiſi ad frequentandum Flum. Ianuarij Collegiũ tendebant.

ci-

cilium complerent; & ipsi illi qui interempti sunt; prout è Duce ipsorum Ignatio sub ipsum cædis articulũ audierunt, pro terreno quem formare in Brasilia moliebãtur mortaliũ Christo servientium convictu; sorte incõparabiliter feliciori, Beatorum in Cœlo Martyrum Collegium condiderint. Isti porrò iuxtà humanam æstimationem tristi ac tragico successui; hoc quasi quodam augurio, nunc prælusit furor Ceti, non ultrà terrorem nocens: simulacrum videlicet præsagum, incassum exarsuræ posteà crudelitatis Sanguinarij Piratæ. Sic enim plerumque solet Dei sapientissima Providentia, præmittere futuris momenti maioris eventibus quasdam indicationes obscuras, ambagibus Symbolorum admonendi usum aliquem habẽtibus; & præparandi animos ad constantiùs ferendas non iam planè improvisas clades: quippe quarum adumbratæ ostentorum minis significationes non prorsus inintelligibiles præcesserint. Atque hæc minus incredibilia videbuntur, si argumentum totius huius

65 Magnorũ Evẽtum solet Deus signa præmittere.

Hi-

Historiæ causamque Martyrij ex ista Societati destinata ad Flumen Ianuarij Statione processisse constiterit. De quo vix dubitabit qui cogitaverit: sūmum penè operæpretium suæ in Brasiliam primæ transmissionis constitutum ab Azevedio in hac ad quam modò tendebat Collegij Ianuariensis inchoatione fuisse. Procuratum ab eo illius Operis progressum, diligentissimè mox scriptis ad Regem Sebastianum Literis, quibus diploma fundationis impetravit. Ædificio iam satis provecto, redijsse ipsum in Europam ad conquirendos eius Habitatores. Adde hùc, Sedem eandem Fluminis Ianuarij à Gallis Hæreticis anteà fuisse occupatam, missa ex Vrbe Rupella, Colonia, positaque ibidem Pestilentiæ Cathedra, per submissum Geneva Ministellum Ioannem Bolæum, qui manifestò deprehensus, dum Lusitanis quoque ipsis, simulatione tranfugij se se insinuans, propinat Hæresim, iussu Episcopi Leitonij ante hoc biennium captus, hoc anno scelus capite luit, ut distinctiùs memorabimus, quando

66 Collegium Ianuariense primarium Azevedij opus.

67 In eodem loco Calvinistę Hęretici receptū suæ Sectæ destinaverant.

causæ peculiaris odij, quo Iacobus Soria in Societatem Iesu inflammatus efferebatur, declarandæ nobis erunt.

V. Appulsus ad Flumen Ianuarij Episcopus Leitonius cum Azevedio, Mendum Prætorem repererunt occupatum in condenda Vrbe Sebastianopoli (sic enim à S. Martyre Loci Protectore, & à Rege cuius iussu & auspicijs fundabatur, appellare novum Oppidum placuit) Prætori cum Azevedius significasset, illam ipsam se optare decreto à Rege Collegio Sedem, statim is in soli ad Civitatis situm designati meditullio, amplam illi descripsit areã, ubi Ædes arbitratu suo posset attollere. Sic inita ritè possessio est, ædificatioque cepta Collegij, cuius fundationis Regias Tabulas anno sequenti Vlyssipone allatas, hic describere abs re non fuerit. Sic ergo habent.

68 Initia Collegij Ianuariensis & eius fundationis Diploma.

Sebastianus Lusitaniæ Rex.

Cum nobis constet de fructu ac profectu quem Christiana Respublica percipit ex Collegio Bayensi Patrum Societatis Iesu, quos illic audimus, adiuvante Dei gratia, strenuè

se-

feliciterque laborare, non solùm in pellendis infidelitatis tenebris, illata Gentilium mentibus Evangelica Luce, sed etiam in promovendis ad bonos mores doctrina & exemplo Christianis: & quia considerato istius Religionis Instituto, formaque vivendi, speramus fore, ut tantò uberiores divinæ gloriæ, atque utilitatum Reipublicæ Christianæ proventus existant, quantò multiplicabuntur magis istius Ordinis Professores, quantòque plura talium Collegia instituentur; cuiusmodi Domuum idoneo numero condendarum studium ac voluntatem fuisse propensam scimus in Rege Avo Domino & Decessore nostro, cuius Deus animam æterna felicitate beet: Placet Nobis construi Collegium aliud in Præfectura S. Vincentij, in quo degere valeant quinquaginta Religiosi eiusdem Societatis, qui per totam illam Præfecturam aliasque vicinas, ad quas qui habitant in Collegio Bayensi non possunt facilè excurrere, occupentur in tradenda Fidelibus Doctrina Christiana, Infidelibus autem ad Sanctam Fidem nostram convertendis. ut se in hunc modum mutuò iuvantes, quasi collatis humeris, sufficiant gravi ac vasto oneri ferendo, Prædicationis Evangelicæ intrà omnes, quàm

latè patent, Ditionis Nostræ in Brasilia terminos serendæ. Volumus autẽ unicuiq; dictorum Religiosorum tantum suppeditari ex nostro Fisco annui census, ad alimenta, vestes, cæterosque vitæ usus, quantum dari solet in singulos eorum qui Bayense Collegium incolunt. Datum Vlyssipone die sexta Februarij Anno Christi 1568.

69 Nobrega & Anchieta ad Flumen Ianuarij relicti.

Positis iam fundamentis Ædis Sacræ, huicque adiunctæ Domus ad habitationem quinquaginta Sociorum, vocatus Azevedius officio Magistratus sui ad reliquas per Oram Brasilicam Societatis Stationes visendas ordinandasque, Emanuëlem Nobregam, cui ex omnibus fidebat plurimum, hærere in loco iussit, adiuncto ipsi adiutore Iosepho Anchieta, urgẽdæ substructioni; cum eo ut identidem alter illorum excurreret ad S. Vincentij, necnon Piratiningam, Aldeasque circum ea Loca sitas Brasilorum sedulò lustraret, studiosè curans, ut ex præscripta nuper à se formula, Ministeria Prædicationis ad Gentiles, Elementaris Institutionis ad Catechumenos, & necessariæ iam Baptizatorum culturæ, per

No-

Noſtros exercerentur; cæteraque Domi foriſque Diſciplinæ noſtri Ordinis propriæ ratio, iuxtà normam in Conſtitutionibus oſtenſam, ſanctè ab omnibus teneretur.

VI. Sub hæc Navim Azevedius conſcendit, Portum à Sancto Spiritu nominatum petens; ubi erat Domicilium Societatis. Fuit illi comes eius viæ Gaſpar Diaz, natus è Luſitanis Parentibus in Colonia Portus ſecuri. Huius habemus, non prætermittendũ hoc loco, teſtimonium virtutum ac Sanctitatis Azevedij, authẽticis Tabulis exceptum anno 1632. à Iudicibus ritè delegatis auctoritate S.D.N. Vrbani VIII. fel. mem. ad quorum Tribunal legitimã de Vita & Martyrio Azevedij quæſtionem exercentium in Civitate S. Salvatoris apud Bayam Braſilicæ Provinciæ, citatus ille tum octogenario maior adſtitit: iuratuſque affirmavit: miraculo fuiſſe in iſta navigatione Nautis Vectoribuſq; omnis generis, Humilitatem præſertim & Caritatem Azevedij, cuius cum eſſet perſpecta omnibus Nobilitas & Dignitas,

70 Teſtimonium de Humilitate & Caritate Azevedij.

ea-

earum ille oblitus, ad infima se passim quorumvis egētium obsequia demittebat; maximè Infirmorum. E quorum numero ibi fuit Cognatus ipsius testis Gasparis Diazij, nomine Balthassar Rodericius, cui Pater toto illo sexcentorum circiter milliarium cursu maritimo, diù noctuque constantem & perattētam, etiā in his quę ad morbi levamen & curam corporis spectabant, servitutem exhibuit, ministeria laboriosissima, simul & stomachosissima, per se se obiens, alacritate ac fervore, quem satis admirari non poterant qui videbant. Videbant autem quotquot in ea Navi versabātur: quos, ait, omnes his exemplis, adiuncto specimine præclaro insignis Religionis, zelique animarum, fuisse permotos ad Deum laudandum; seque beatos prædicasse, quibus tam inusitatæ sanctimoniæ speciem usurpare præsenti sensu contingeret. Nec dissimulat Testis, se isto experimento motum, petijsse impetrasseque ab Azevedio ingressum in Societatem Iesu, ex qua deinde legitimè dimissus, transierat

in

„ in Ordinem S. Benedicti, cuius tunc habitum gerebat. In Colonia S. Spiritus repertũ Azevedius P. Antonium de Rocha, ad ultima Vota, in gradu Coadiutoris formati, ritè admisit; idẽque, aliquot post mensibus, in Bayensi Collegio præstitit Patribus Iacobo Freitas, & Ioanni de Mello. Hæ primæ fuerunt in Brasilia visæ cooptationes Nostrorum Sacerdotum in istum à Professis secundum Sociorum Ordinem, eiusmodi Classium distinctione parùm isthic cognita ante vulgatas Constitutiones, quarum primam illùc notitiam Azevedius intulit. Hinc versus ad propriam sui muneris explorationem, Nostros singillatim universos, & omnia eorum Domi forisque Acta, perattentè inspexit; ad Disciplinæ Constitutionibus præscriptæ rationem cuncta exigens. Ordinem in Excursionibus circumquaque Apostolicis servatum, experiri primùm ipse laboriosissimis istiusmodi vagorum Populorum conquisitionibus vacando, voluit; tum eum, detractis additisve quæ iudicavit expedire, perfecit stabilivitque.

71 Stationem Sociorum in Colonia S. Spiritus lustrat Azevedius.

que. Super omnia probavit usum Seminariorum, in quibus aut derelicti à suis, aut oblati impetrative à Parentibus Indigenis Pueri, communi contubernio sub cura Nostrorum educabãtur; cuius totius generis certam Methodum prudentissimis ordinationibus informavit. Maximè omnium elaboravit in optima prædicationis Evangelicæ, Catecheticæ institutionis, administrationis Sacramentorum, potissimùm Baptismi, forma & praxi cõstituenda. Præter cætera discedens, hæc scripta Nostris monita reliquit.

72 Modum prædicandi Brasilis Evangelij Sacrorumque ministrãdorũ, præscribit.

1. *Infantes, quorum Parentes fixas in vicinis Aldeis Sedes habent, & crebrò à Nostris visuntur, baptizari, etiam extra mortis periculum, cum per ipsos licebit, poterunt. non item filij eorum qui vagi per Mediterranea errant: ibi plerumque diversantes quò penetrare Ministri Evangelici nequeunt. Haud enim expedit hos Ecclesiæ aggregare, qui ubi adoleverint, nullam nancisci Ecclesiasticam institutionem possunt. Quod si à Nostris peregrinantibus, fortè conventi Nomades istiusmodi, se filios-ve ad Baptismum offerrent, neutri admittantur, nisi fortè periclitantes ex mor-*

morbo: sed invitentur ad figendum in aliquo Pago Domicilium, ubi per otium impertiri necessaria notitia rerum divinarum queant.

2. *Ex Aldeis, seu Pagis, in quibus Nostri resident, si qui Adulti cœlibes Sacro regenerari lavacro poposcerint, non admittantur, nisi eodem tempore unam legitimo ritu Coniugem ducant. Interdum tamen, si quo impedimento insuperabili connubium in longum differri necesse esset; & tam perspecta esset virtus illorum, ut sperari non temerè posset, continenter victuros, indulgeri flagitantibus Baptismus poterit.*

3. *In Pagis ubi nulli Nostrorum habent Domicilium; sed subinde itantes libenter audiuntur, dum sacram Doctrinam tradunt, hæc cautio, in Baptismo Adultis administrando, teneatur, ut is concedatur nemini, quin simul sacro Christiani Matrimonij vinculo illigetur: nisi aut morbo laboret, aut ætatis sit vel adeò provectæ, vel tam teneræ, ut præsens periculum lapsus in impudicitiam abesse videatur.*

4. *Si qui è Mediterraneis, studio pleniùs cognoscendi Doctrinam sacram, de qua aliquid inaudierint, ad Nostros se conferant: ijs, quantumvis, audito plenè Catechismo,*

ſatis oſtendant, ſe cuncta percipere ac credere, non eſt tamen concedenda gratia Baptiſmi, ſi perſtent in propoſito redeundi ad vagum illud ſuum prius, & ſemper in migrationes imminens, inſtitutum vivendi.

5. *Noſtri ad unum omnes, diligenter ediſcant populares harum Gentium linguas, & aptè per illas explicandis Sacræ Doctrinæ Myſterijs quotidiana exercitatione ſe comparent.*

VII. Tranſijt Azevedius, è Portu Spiritus Sancti ad Coloniam quam vocant, Ilheorum, indeque ad Portum Securum eſt progreſſus; ſimilia utrobique in noſtris ibi Domibus, Pagiſque Barbarorum, ijs quæ alibi egerat, gerens. Sed non tacenda eſt præcipua quædam lætitia, quam ex luſtratione Stationis Noſtrorum ad Portum Securum hauſit. Habet illa nomen Divæ Mariæ *de Adiutorio*, ſita in colle, mille paſſibus ab Oppido, diſtante. Habitare in illa Colonia Noſtri, ut dictum eſt, cœperant anno tertio & quinquageſimo labentis Sæculi, miſſis illuc à Nobrega Provinciali, quadriēnio poſtquam in Braſiliam Societas venerat, 1553.

73 Origines Tēpli Divæ Mariæ de Adiutorio per Braſiliam celebris.

Pa-

Patribus, Ambrosio Petrio & Gregorio Serrano, quibus diù versatis utilissimè in istius vineæ cultura, successit anno undesexagesimo supra sesquimillesimum Franciscus Petrius, zeli Apostolici, & devotionis in Deiparam tenerrimæ, Sacerdos. Is conspicatus locum, uno ab Vrbe milliari, aptum excipiendis, & ad Religionem informandis, ultrò citroque commeantibus Barbaris, illic Oratorium, sub invocatione Mariæ Dei Matris cognomento *Adiutricis*, cepit ædificare. Collis erat salubris, amœno situ, campos circum habens multorum Mapalium capaces: ubi si qui Barbarorum errantium ad vitam quietam traduci possent, suos commodè Pagos conderent: quam illis mentem, & docilitatem audiendæ Christianæ Doctrinæ, concessuram Divam Virginem, sperabat. Construebant pauci è Nostris sacram illam Ædem, pro paupertate temporum illorum, suis ipsi manibus, eo graviori labore, quòd aquam temperando cæmento necessariam, ex quadam lacuna, in ima valle sita, petere ac portare

ſuis humeris per acclive cogebantur;
cum non eſſet ſcaturigo ulla vicinior.
74 Aſſidua contentione tantum iam in cœpto proceſſerant, ut Apſidis quãdam formam ſupernè tectæ perfeciſſent, ſub qua ſatis decenter Ara erigi, & in ea celebrari Sacrum ritè poſſet. Pronaũm inde, reliquaſque Templi partes, irremiſſa ſedulitate urgentibus, importunè obſtrepebant querelæ cuiuſpiam è Civibus vicinæ Vrbis, per cuius agrum, neceſſarium erat Noſtris iter, aquam è ſubiecta lacuna petentibus. Quiritabatur ille; crebra commeatione onuſtorum hydrijs hominũ, labefactari fundum ſuum, & ſata conculcari: expoſtulanſque impotentiùs iniuriam, obtrectationibus & murmurationibus in Noſtros viciniam implebat. Amariſſima Patribus accidebat ea offenſio; cui quid adhiberent remedij, cum Opus tam feliciter promotum intermitti non debere iudicarent, planè ignorabant. In illo æſtu, cum fortè adeſſet, annuæ luſtrationi dans operam, Provincialis Nobrega, audita vox eſt cuiuſpiam è Noſtris:

Structores Tẽpli Deiparæ aquam longè petitam humeris portantes, querelis Vicini turbantur.

O Cœli Regina, exclamantis, *quàm Tibi eßet facile, si velles, explicare Nos ex hisce angustijs, aqua tui Templi structoribus alicunde suppeditanda*. excepit id verbum tamquam faustum omen Nobrega; & *Enimvero*, inquit, *Patres, mihi videmini homines modicæ fidei, qui hactenus distuleritis, tam neceßarium subsidium ab Autore bonorum omnium, interventu gratiosissimæ apud ipsum Dei Genitricis Virginis, poscere. Age, iam nunc offeratur in huius spem voti Sacrosanctum Mißæ Sacrificium, in Ara modò posita, circum provolutis in genua, & cœlestem opem simul enixè implorantibus nobis cunctis*. Nulla intercedit mora. Convocatis Domesticis, admovet se Sacerdos Altari. Res mira! Sub tempus mutati in Christi corpus ac sanguinem per verba solemnia panis ac calicis, perculit cunctorum aures sonorum murmur quasi Lymphæ saliẽtis in loco Ædiculæ contiguo. perstiterunt tamen immoti omnes ad finem usque Mysterij: quando egressi aspiciunt magnum aquæ caput, ad latus areæ Templi vergens in declive, terra erumpere, sic ut ibi non nasci appare-

75 Aquam mirabiliter impetrant fonte sub Ara nato.

re-

reret, at aliunde vena ſubterranea manare. Placuit ſcrutari rem penitùs: aperto raſtris ſolo deprehendunt, ſub ipſa, in qua erat litatum, Ara, originem novi fontis reſidere. Vulgatur momento inopinatiſſimi ſucceſſus fama, concurritur ex Oppido. inter primos parùm officioſus Vicinus adfuit, non dubio ſuæ incivilitatis pudore confuſus. Palàm fatebatur: malè à ſe ac calumniosè culpatos Patres, quorum innocentiam tam rarus in ipſos Dei favor declararet. quare, ſibi ut ignoſcerent, orabat. Certatim inter hæc Populus perlimpidam & potu dulciſſimam aquam guſtabat. portabantque pro ſe quiſque Domum oſtentui; adhuc ignari maximæ partis virtutum liquoris illius. compertum uſu poſtmodum eſt, ineſſe illi vim medicam

76 Aqua novi fōtis mirifica plures morbos curat:

abigendi genus omne morborum: febres, capitis dolor aut lateris, ſtomachi, alvi, renum, pedum, primo ſtatim illius uſu, interdum & tactu, adiuncta præſertim Dei Genitricis invocatione, ſanari. Per hæc celebre factum tota latè ora Divæ Virginis *Adiutricis*

no-

nomen, longinquas etiam Nationes ad ſui notitia ſalutariter excivit. Nam confluentes cauſa viſendi, nati ſubitò vi precum ex Altari Fontis, è remotiſſimis etiam Tractibus Barbaros, admiratio rei talis coràm repertæ, qualem audierant, in æſtimationem ac venerationem Sacrorum Chriſtianæ Legis excitabat, facilioreſque feros animos reddebat, credendis quæ audiebant; Noſtris ad omnes conventus ſubinde adventantiũ, indefeſſa ſedulitate prædicantibus Sacram Chriſti Doctrinã; & pleroſque moventibus ad deligendas in vicinia, ſibi ſuiſque Familijs, fixas ſedes; ubi commodè imbuerentur elementis Religionis veræ; & ad vitam homine dignam, cum ſpe ſalutis æternæ, in pace ac quiete tranſigendam, per otium formarentur. Cernebat hæc inenarrabili perfuſus gaudio Azevedius, & Templum, hoc, quod à Fontis ortu excurrit, octennio perfectum, ut illis locis magnificum intuẽs, donaria & Tabellas votivas tholo appenſas, concurſus quotidianos referẽtium gratias pro beneficijs acceptis,

Ma-

Magnamq; Dei Matrem expultricem pestium, largitricem gratiarum, sospitatricem mirificam prædicantium, in lacrymas præ animi dulcedine solvebatur; quippe vetus à puero Cliens Deiparæ, cui quotidianæ, ut dictum in loco est, servitutis promissum tributum fidelissimè reddebat, honore hoc tanto suæ dulcissimæ Patronæ nō intimè delectari, exultanterq; triumphare, non poterat. Nec vana fides est, huic, iam tum habito Augustissimo Sacrario Brasiliæ totius destinasse illum quam Roma, ut post dicemus, extulit Effigiem Sanctissimæ Mariæ Matris Dei, è Tabula S. Lucæ archetypa expressam; prætereaque partem non exiguam sacrarum Reliquiarum & Ecclesiasticæ, quam multam congesserat, supellectilis, ornandis instruendisque Sanctuarijs, accomodatæ.

77 Azevedius Tēplo S. Mariæ Adiutricis ornamenta Roma portat.

CAP.

CAP. III.

Azevedius Criminationes Malevolorum falsò in Socios ſparſas diluit: Cõventum Provinciæ celebrat. A Patribus Procurator Braſiliæ Romam deſtinatus, verſus Europam ſolvit.

I. LVſtratis, quo dictum eſt modo, Viſitator Azevedius Domicilijs Societatis per Auſtralem Braſiliæ Oram ſparſis, Bayenſi Collegio ſe reddidit, menſe Martio Anni octavi
1568. & ſexageſimi ſupra ſeſquimilleſimũ: Reticere hoc loco nõ debeo teſtimonium, quod, poſt acrem exploratione͂, Viſitator, compertiſſimæ ſibi Sociorũ

Brasiliensium Innocentiæ reddidit, idoneum confutandis calumniosissimis Criminationibus, contra eos, per quosdam malevolos obtrectatores, in vulgus sparsis, quarum Nostri dudùm editi Annales his verbis meminerunt.

78 Calumniæ in Socios Brasiliæ Cultores temerè sparsæ ab Azevedio convictæ falsitatis.

Existebant ex Europæis non rarò Criminatores, qui cum dolerent flagitia sua, in primisque iniurias redargui, per quas iniquissima servitute imbecillos populos premebant; ex Gentis intemperantia & Sociorum solitudine, materia fabularum sumpta, effundebant venenum cordium maledicis linguis, eorum obtrectantes simplicitati, quorum pigebat caritatis. Sacch. P. 2. lib. 2. n. 132 Hæc ibi. quæ cum adventu primo cognovisset Azevedius, in omnibus Præfecturis ubi erant Contubernia Nostrorum, sedulò interrogatis & Domesticis & Exteris; nihil planè reperit à quoquam Sociorum, Sacerdote vel Laico, uspiam commissum, quod labem vel minimam immaculatæ in eo genere Societatis Sanctimoniæ posset inurere; multa contrà quæ huic Ordini assererent, prorsùs heroicam inter pellacissimas illecebras, invictæ admirandæque continentiæ laudem.

Quæ

Quæ ut ſatis intelligatur, neceſſariò indicanda eſt profligatiſſima nationum iſtarum inverecundia. apud quas ita inveterato nequitiæ uſu pudoris omnis ſenſus extinctus eſt, ut (quod mētione ipſa nefandum eſt) à Patribus Filias, à Fratribus Sorores, offerri Hoſpitibus ad libidinem, in comitatis & elegantiæ parte numeretur. adversùs quę tentamenta Diabolica, Dei peculiari gratia iuvante, adeò ſemper ſe ſe incorruptos Socij omnes præbuere, ut eò potiſſimùm nomine admirationi & venerationi, ubique Barbaris eſſent, velut homines cœleſtes, & divinæ cuiuſdam indolis. Vnum eius rei ſpecimen referam. Anno fluentis Sæculi tertio & ſexageſimo, ante hunc quo Azevedius è Braſilia in Luſitaniam redijt, quinto, cum Luſitani ad Flumen Ianuarium à fera Tamuyorum Gente, numero illic & apparatu armorum præpollente, bello petiti, clades non parvas paſſi eſſent, peioraque à malè paratis timerentur, rogatus ire ad placandos Hoſtes, perſuadendamq; ijs Pacem, Emanuēl Nobrega, Caput

79 Nobrega & Anchieta ad Tamuyios Barbaros pacis cōciliandæ cauſa eunt.

ſuum pro ſalute publica manifeſto periculo libens obiecit, penitùs in intimas Tamuyorum terras, iniuſſu ipſorum, cum uno Socio Ioſepho Anchieta, penetrare non dubitans. Exceptus illic hoſpitio eſt à Gentis Principe, apud quem cum, ea quæ ſuperiùs indicata eſt, impudicitiæ licentia viveretur, & Noſtri provocationes ad flagitia quotidianas conſtantiſſima intaminatæ caſtimoniæ ſanctitate reijcerent, Pindobucus (id Hoſpiti Regulo nomen erat) admirabundus Nobregæ dixit: *quodnam verò eſtis vos Hominum genus, quos tam expetita cunctis naturæ oblectamenta non moveant?* Huic Emanuël, è reſignato, quem circũferebat, ſacculo flagella promens æneis hamata muricibus, zonas & tunicas ferro ductili textas, intro verſis ad cutem aculeis horridas, cilicinos ſetis hiſpidos pungentibus thoraces, cæteramque cruentam inſtrumentorum uſitatæ ſui carnificinæ ſupellectilem, *En, hoſpes*, inquit, *amuleta quibus noſtri à nobis præmuniti artus, nefarias iſtas illecebras vetitarum à Deo voluptatũ, quaſi nec ſentiant, reſpuunt.*

80 Admirantibus eorum caſtimoniam Barbaris, quid reſponderint.

qui-

quibus magis ille verbis ſtupefactus, atque in tam inuſitatæ virtutis favorẽ inflexus, non ſolùm plenam hoſpitij fidem, etiam inter graves mox ſubortas eius violandi cauſas, inopibus & alieni ſceleris invidia exoſis Obſidibus ad extremum præſtitit; verùm & Religionis, quæ tam mira efficeret, ſalubri ſenſim eſt amore captus.

II, Haud contentus porrò Azevedius, re ſic ad liquidum exploranda, purgaſſe omni ſuſpicione memoriam famam-ve ſingulorum, quotquot autorati nomine ac profeſſione Societatis Ieſu, quocumque gradu aut miniſterio, uſpiam locorum per Braſiliam, ante id tempus extitiſſent: extendit præterea inquiſitionem ad Externos inquilinos noſtrarum Domuum, rectè arbitratus, potuiſſe fieri, ut labes in Alumno Seminarij, aut famulo quopiam domeſtico deprehenſa, in Magiſtros Rectoreſque ipſorum, Vulgi errore, aut Infenſorum malignitate, conferretur. De his ergo dum ubiq; interrogat, offenſum ſemel in eo genere quidpiam à Braſilo Adoleſcente

Do-

Domi noſtræ educato comperit: ſed culpa tam citò tamq; luculenter vindicata, ut auctam, exemplo, Chriſtianæ Sanctitatis opinionem potiùs, quàm ulla ex parte imminutam conſentaneum eſſet credere. Anno huius Sęculi ſupra quinquageſimum, tertio, appellens ad Portum S. Vincentij, luſtrãdæ cauſa Stationis illic poſitæ Noſtrorum, Emanuël Nobrega Provincialis, rumore ferri ſparſo in vulgus reperit: Catechiſtas Patrum Indigenas, dum è Domicilio eorum ad vicinas Barbarorum Aldeas, ſeu Pagos, cauſa declarandæ populari lingua, perceptæ priùs ſibi Chriſtianæ Doctrinæ, crebrò commeant, haud ſeveriori, quàm Ethnicos, continentiæ lege vivere. Hoc audito acrem de ſingulis eorum quæſtionem exercet. teſtibuſque ſolicitè rogatis, expenſis comparatiſque teſtimonijs, omnes, præter unum, Iuvenes ex incorruptorum concordi ſentẽtia Iudicum, declarat eius planè criminis expertes: unicum flagitij convictum, & cum lacrymis fatentem fragilitatem ſuam, capitali ſe ſe ſimulat

81 Lapſus Adoleſcentis Braſili ſalubriter caſtigatus.

vel-

velle ſupplicio afficere; ignoratione rudis populi, ius vitæ ac necis Patrifamilias in ſuos Domeſticos ineſſe opinantis, hactenus utẽdum ratus, quoad teneris ſenſibus miſeræ iſtius Iuventutis,natæ in Sordibus inquinatiſſimæ licentiæ, metu incuſſo vehementi,horrorem impuritatis ingeneraret quàm poſſet maximum. Hoc an facere potuerit, video eſſe qui dubitent: aut etiam negent: eum qui ſe ſciat iure vitæ ac necis in alium carere, tali iure ſimulando horribilem ipſi licite poſſe mortis timorem incutere:prætereaque celebrationem Sacri funebris, & Euchariſtię in viaticum miniſtrationem, ad eiuſdem fucum ſimulationis adiungere. Peto tamen ut mihi pro Hiſtorici officio liceat factum,uti monumentis authenticis cõſignatum reperio, referre: iudicium de iure integrum reſervando legentibus: quos,ut cumque de re cenſeant, facilè tamen exiſtimaturos ſpero, Noſtros illos Braſilienſes, vel aliquid in re præſenti vidiſſe, quod modò nos latet, unde honeſtari quod egerunt queat: vel ſi ut

ho-

homines erraverint, non maligno tamen animo, ſed benè operari ſe credentes, erraſſe. Edicit igitur Nobrega Reo: ſe ſe ad necem poſtridiè ſubeundam comparet. Expedire ipſi quoque ſempiternum incendium Tartari, quod ſcelere adeò fœdo ac pudendo commeruiſſet, brevi dolore facilis obitus redimere. Daret interim operam purgando Sacramentali confeſſione animo, culpæque, intimis pœnitentiæ ex Dei offenſi dolore conceptis affectibus, piaculiſque cæteris, vel ſibi notis, vel ab Arbitro conſcientiæ ſuggerendis, expiandæ. His feriò Adoleſcenti denunciatis, eum inſtruendum ad patienter luendam meritiſſimam pœnam duobus Patribus, Manuëli Paivæ & Franciſco petrio commendat, cunctis Noſtrorum anteà præmonitis, ut pro ſe quiſque fabulæ ſerviret. Vbi dies poſterus illuxit, aperta Æde Sacra, in eius medio foſſa humani corporis capax excavata recenter apparuit. percontãtibus quid rei eſſet? Neophytis, dictum: Alumno paratam flagitij cõvicto, quem in eius expiatio-

nem

„ nem P. Provincialis vivũ ſepeliri præcepiſſet. Ad eam momento diditam famam, fit concurſus è ſuburbanis Aldeis: completur Templum. Hora dein conſtituta, admovet ſe Aræ Sacerdos atratus, & ſacrum funebre inchoat, Reo è regione, poſitis humi genibus, locato: cui adſtabat unus Patrũ, ei conſolando confortandoque quædam in aurem ſubinde inſuſurrans; circumfuſis undique Alumnis Seminarij reliquis. Peracto Sacrificio, perceptaque à morituro velut ad viaticũ Sacra Euchariſtia, poſt multas mœſto cãtu recitatas mortuales preces, Idem Reus à Veſpillonibus correptus, demittitur in foſſam, in eaque componitur, cunctis flentibus, Sodalibus præſertim Cognatiſque ipſius. Tum in iacentem, terra ſupernè cepta inijci. Hic primus omnium Petrus Correa (is qui anno ſequenti mortem Chriſti cauſa à Barbaris Carigijs pertulit) ex compoſito ad pedes Nobregæ procidit, gratiam necis fieri lapſo ſemel imprudenter, & certo non peccare umquam ampliùs, Adoleſcenti rogans.

eodem se reliqui adiungunt Patres, mox universa quoque adstantium Corona. Provincialis ægrè se flecti simulans, annuit tamen deníque, ac vivum semisepultum sinens educi tumulo, ad eum totamque Concionem attentissimam, adijcit orationem ardentem, de fœditate incontinentiæ, deq; acerbissimis irrogari ei solitis, hic est in futurum, à Divina Iustitia supplicijs. Sicque salutari terrore perfusos, & Legis Christianę Sanctitatem sine fine prædicantes, Auditores dimisit.

III. Fructus huius spectaculi constitit magnus, perspecta deinceps in Alumnis Seminariorum modestia & verecundia, eius non dispari, quæ in rectissima gubernatis Disciplina Europæorum Gymnasijs Puerorum cernitur. cuius rei iucundissimum sibi experimentum Visitator capiebat tũc cum maximè, Bayensi Neophytorum Contubernio numerosissimo atque ordinatissimo visendo. Impendit deinde perattentam operam pręscribendæ, iuxta Constitutionum scita, Institutioni Novitiorum Societatis, quorũ ali-

aliquos recens allegerat, & cunctos, proprio imposito Magistro, segregato à Senioribus convictu, summa cura edoceri exercerique mandabat. Pari sedulitate prospiciebat studijs eductorum è Tyrocinio, formam atque ordinem accommodatæ horum statui, profectuique simul in Spiritu & Literis, disciplinæ constituens, cuncta quę præscripserat statim ut executioni mandarentur satagens; quin & pleraque exequens per se se. Super his Scholas multiplicavit Auditorum Externorum, aptis cuique Ludimagistris attributis, discretis Facultatibus, Exercitationibus varijs ad Lusitanicarum Academiarum modum iniunctis, totaque docendi ratione certis illigata legibus. Hæ Visitatoris apud Bayam occupationes erant, operientis indictę à se illic in Mensem Iunium Congregationis diem. Iamque à Flumine Ianuarij Nobrega, à Portu Securo, Ilheorum, & Spiritus Sancti, Præpositi Domuum, præcipuique totius Provinciæ Patres advenerant. Cunctis in
" commune consulentibus visum est:

82 Bayense Collegium lustrat & ordinat Azevedius.

Capitale malum Provinciæ, ac cuius „
prævertenda negotijs omnibus cura- „
tio ſit, abſque dubio eſſe Operariorũ „
paucitatem. Patere undique oſtia E- „
vangelio ingentia, albas ad meſſem la- „
tè apparere regiones. Deeſſe qui pa- „
nem petentibus frangant, qui ſitien- „
tibus Doctrinæ ſalutaris, miniſtrare „
optatam myſteriorum explicationem „
poſſint. Iret ergo, & afferre perſpe- „
cta coràm hæc, Vlyſſiponem & Ro- „
mam; autor idoneus Viſitator ipſe ne „
gravaretur. Scriptis miſſiſque Lite- „
ris parùm efficaciter res geri. Ocula- „
to teſti creditum iri faciliùs & certiùs.
Victus illo conſenſu Azevedius, haud
93 Idem à Congregatione Provinciali legatur Romam.
ſe recuſare laborem oſtendit. Cauſabatur tantùm iniunctam ſibi à Patre Generali Braſilicæ Provinciæ luſtrationem nondum abſolutam. quippe ſupereſſe haud à ſe adhuc aditam Sedem Pernambucenſem. cui exceptioni occurrebatur, negando tanti eam rem eſſe, ut huius gratia omitti occaſio deberet navigãdi hoc anno in Luſitaniam, quò cauſæ tam urgentes & neceſſariæ vocarent. Acquieſcens Viſita-

ſitator Patrum unanimi ſententiæ, P. Ludovicum Granam, circa finem Iunij, Pernambucum vice ſua legat, ad eam viſendam reſtituendamque Stationem. Ipſe ſolventem in Europam Navem, poſtridiè Iduum Auguſti, pervigilio Aſſumptæ in Cœlum Deiparę Virginis, conſcendit, biennio non uſquequaque pleno, deficientibus videlicet diebus decem, in Braſilia moratus. Id ſpatium incredibile dictu eſt quàm integrè totum virtuti ac religioni operatum habuerit. Referebant intimorum eius, familiaritate aſſiduiſſima, conſcij, coniunctionem ipſi cum Deo ſic fuiſſe continuam, ut nec diurnarum varietate actionum, nec quiete noctium abrumpi videretur. idcirco quòd, quantumvis multiplex occupatio dierum, ab illo exercebatur, mente ſemper in cœleſtibus defixa; ſatis tamen adhuc ſui potente ad negotia congreſſuſque cum hominibus, ea, quæ opus eſſet ac deceret, attentione, tranſigenda. Nec deerat vultus ſerenitas, amabili blandæ urbanitatis tractu devinciens obvios. At per noctes

14. Aug. 1568. Appulerat Bayam. 24. Aug. 1566.

84 Biennium in Braſilia quàm ſanctè & utiliter tranſegerit.

ctes liber ab Arbitris effundebat totas habenas incitatæ ad contemplationem divinorum menti, damno ingenti corporeæ quietis, cui ſpatia perangusta, ad meræ neceſſitatis arctiſſimam mēſuram, appendebat. Viatoria ipſius

85 Supellex viatoria Azevedij cōſtans Inſtrumentis mortificationis aut caritatis.

ſuppellex univerſa duobus è vili corio ſacculis continebatur, quorum erat confertus alter inſtrumentis excruciādi corporis variæ formæ, flagellorum, moleſtarum tunicarum, ſertorum è ſtellulis ex ære aut ferro per acutos radios pungentium, apprimendorum, capiti ad participādos dolores ſpineæ Chriſti Coronæ. Aliam peram complebāt utenſilia mechanicarum artiū, Sutrinæ, Sartoriæ, Fabrilignariæ, Chirurgices; ſubulæ, acus, tudites, forfices, ferramēta phlebotomica, vel uſus ſimilis, qualium exercendorum paratā olim, ut dixi, *a* peritiam, ſtudio ſui ſimul deprimendi, ſimul adiuvandorū qui egerent, quavis obvia occaſione in uſum cōferebat. Suum de illo ſenſum eiuſdemque deſiderium Noſtri fere declarabant Evangelicis verbis parodicè deflexis: *Nonne cor noſtrum ardens*

a Lib.1. cap.2.

erat

erat in nobis cum aperiret Nobis Constitutiones? Nam harum Brasiliæ ab illo invectarum, præconio, & declaratione, perorandis ad concionem domesticã, cœlesti quadam ubertate religiosæ facundiæ usum ipsum meminerant; eiusdemque prudentiæ in sancienda disciplina; suavitatis in consolando; gravitatis in adhortando, benignitate dulcissima conditæ, prædicandarum nullum faciebant finem. Erant qui adderent: Legum omnium compendium in eius moribus exemplisque probatissimis collectum. nec fuisse tali Visitatori, efficacissimè trahendis ad laudem omnem Subditis, necessaria præcepta ulla vel Regulas; utique qui abundè factis monstraret, quid agendum aut vitandum; & ad imitationem sui quadam vi amoris ineluctabili raperet. His iudicijs Nostrorum concordes Exterorum acclamationes respondebant; dum observata in Azevedio nobilitatis, auctoritatis, doctrinæque insignis, cum humilitate, paupertate, mansuetudine summa, coniunctione mira, sanctiorem umquam

86 Iudicia Nostrorum & Exterorum de Azevedio.

quam

quam vulgò negabant à se hominem visum. Præterea sitim eius nusquam non ostensam Christo lucrandarum animarum, industriamque passim in id adhibitam perseverantia & contentione indefessa, reputantes, non facilè alium repertum iri affirmabant, Spiritu Apostolico & sacri zeli Seraphico ardore pleniorem.

CAP. IV.

Azevedius frequẽtãdæ Colonis & Socijs Brasiliæ Vlyssipone apud Sebastianum Regem, Romæ apud Pium V. Põt. Max. & Franciscum Borgiam Soc. Iesu Præpositum, utilissimè negotiatur. Septuaginta in id Socios

per

per Hiſpanias congre-
gat.

I. TAlibus Azevedius ſui veſtigijs per Braſiliam impreſſis, in Luſitaniam redux appellens ſub ini-
1569. tium anni undeſeptuageſimi fluentis ſæculi, ſtudia illic exſcenſu primo iuvandæ ornandęque Regionis illius Barbaræ, paſſim ingentia ſuccendit. Excepit venientem benigniſſimè Sebaſtianus Rex optimus: cui prolixè actis gratijs pro dotatis cenſu regio Collegijs duobus Bayenſi & Sebaſtianopolitano, quorum prius Avus eius felicis memoriæ Rex Ioannes inchoaſſet; al- 86
" terum ipſe condidiſſet, expoſuit: fre-
" quentiam Colonorum, uberi alioqui
" & merenti culturam terræ, deeſſe.
" Quare, ſi qua cogi per Luſitaniam
" multitudo poſſet Proletariorum ino-
" pum, eam magna & ipſorum & Rei-
" publicæ utilitate, eò videri deſtinan-
" dam. Cum id conſilium Rex probaſſet, didita brevi fama permulti Opi-

Novis Colonis Braſiliam frequentare Azevedius ſtudet.

fices variarum Artium, Alijque etiam honestiores Cives, ad istùc cum Coniugibus navigandum, figendasque ibi familiarum Sedes, se se certatim offerebant. Præcipua erat Azevedij molitio supplendæ solitudinis Brasiliensium Sociorum; cuius negotij duplex erat difficultas. Prior quod magno ipsa indigens numero Lusitana Provincia; non ita multos ab se posset amittere: Altera quod plurimis (si quo casu ad manum forent) illùc transmittendis, sumptus immanes requirerentur. Vtriusque obstaculi amoliendi has inibat rationes. Ostentandis opportunitatibus præcipuis, Dei

87 Sociorum magnum numerũ cò ducẽdorũ parat.

gloriæ illic propriæque perfectionis luculenter promovendæ, non modò nostros Iuvenes magnis incendebat desiderijs ad eam exorandam à Præpositis Missionem: sed etiam Externos Adolescentes non paucos permovebat, ad petendum in Societatem ingressum, ea peculiari conditione transmigrandi statim in Brasiliam, & ibi posito Tyrocinio, vitæ reliquum transigendi. Impensas tot navigantium viati-

viaticis haud ita difficulter expediri rebatur posse, addendis corrogationibus Magnatum ad summas Regis liberalitate conferendas in eum propriè usum. Ita substratis negotij fundamentis Romam advolans, pervenit sub Maium desinentem in amplexum Sancti sui Præpositi Generalis Francisci Borgiæ. Quod ait quidam Veterum. *Deum semper similem ad similem ducere*, hoc nunc certè fecisse cernimus; Viris hisce præstantissimis duobus, ex tāto Marium & Terrarum intervallo, in mutuum congressum adducendis: quos uti dum viverent, claritate Natalium, despicientia opum, rerumque humanarum, prudentia, religione, Amore Christi Iesu, atque omni virtutum illustrium splendore, simillimos effecerat; ita post obitum quoque *similes eos fecisse in gloria Sanctorum*, ambos in cœlo coronando, non temerè augurari possumus: vel ex eo quod alterum ipsorum Borgiam S. D. N. Clemens X. Romæ cum hæc scriberemus solemni cerimonia Aris admovit: De Azevedio & Socijs pari hono-

Homerus Odyss. Rho v. 358.

Eccli. XLV. 2.

re decorandis, serió per idem tempus, nec sine spe successus prosperi, deliberabatur à Patribus Sacræ Rituum Congregationis iussu eiusdem Sãctissimi Pontificis; cui iuvandæ Inquisitioni hunc nos Commentarium è veteri memoria collectum imus. Tunc igitur Azevedius postquam exposùit Borgiæ Statum præsentem Christianæ Religionis in Brasilia: quantæ illic spes & opportunitates se offerrent proferendorum Ecclesiæ finium, Deique Regni propagandi, facilè impetravit facultatem ducendi eò secum quamplurimos è Socijs per Hispaniã & Lusitaniam degentibus, qui navigare illùc vellent, ac cum bona suorũ Præsidum venia possent; prætereaque adsciscendi ex Externis, allegendique in Societatem, istiusque Expeditionis consortium, quotquot divinitùs ad id vocatos, satisque idoneos nancisceretur. Adiecit his Azevedius; dudùm se in totius huiusce negotij Patronam adoptasse Cœli Reginam Deiparam Virginem: Illius auspicijs, & auxilij fiducia, tantam rem movere ausum,

88 Congressus Azevedij cum S. Frãc. Borgia.

non

non nisi ductu ipsius quasi præsentis constituisse iter illud ingredi. Cupere igitur Imaginem Dei-Matris ex Archetypo à Divo Luca picto, Romæ servato, expressam, veluti pro signo suæ Militiæ, gestare. Non ignorare quàm id esset impetratu difficile, cum expingendæ sacræ illius Iconis nulli adhuc concessa sit copia. Sperare tamen, si Borgia suam in hoc conferre gratiam vellet, impetrari à Sancto Pontifice nunc Ecclesiam regente Pio V. id beneficium posse.

II. Benignè huic quoque voto annuit S. Franciscus Borgia, introductoque ad S.D. pedum osculum Azevedio, coram ipse suis infimis precibus ad illius humillimas supplicationes adiungendis, Optimum tandem Pontificem perpulit, ad imperandum curantibus Basilicam Divæ Mariæ Maioris, ut permitterent Pictoribus à Præposito Generali Societatis Iesu ad hoc eò mittendis, inspectare propiùs, imitarique penicillo, venerandum illud S. Evangelistæ Pictoris Archetypum. Ita multa sunt uno tempore Sacræ

89 Impetratur à B. Pio V. facultas expingendi Sacrã Deiparæ à S. Luca pictam Imaginem.

istius

istius Tabulæ Ectypa formata, quorum aliquot secum Azevedius auferens, unum, ut mox dicemus, in Lusitania donavit; in alterius ipse complexu est mortuus. Alia Brasiliensibus Templis, præsertim augusto illi, de quo diximus, & sibi dilectissimo, Divæ Mariæ *Adiutricis* ad Portum securum, exornandis destinabat. Audivit eundem posteà, lætitia sua magna, Sanctissimus Pater Pius V. plurima referentem de bono Statu Ecclesiæ in Brasilia nascentis, deque spe optima successuum Evangelicæ prædicationis illic ingentium, si ubertati segetum, iam albentium & quasi vocantium falcem, par Messorum responderet copia; cuius ideò parandæ gratia hùc se potissimùm venisse, adiungebat; implorareque in idipsum paternæ ipsius benevolentiæ patrocinium ac benedictionem. Indulsit pro-

90 B. Pij V. favor & liberalitas in Azevedium

lixè, ultrà etiam quàm rogabatur, Optimus Pater: Laudatoque impensè consilio cogendi ducendique ad culturam Brasilicæ Domini vineæ quamplurimos quamque strenuissimos conquiren-

quirendo colligere Colonos posset, ipsi ac singulis eorum bene precari ex animo se se, nec non è sibi commissis Ecclesiæ thesauris, plenissimam peccatorum Indulgentiam elargiri, dixit. Adiecit Sacra dona non pauca è Reliquijs Sanctorum Corporum, in quibus Caput fuit unius ex Vndecim millibus Martyrum Vrsulę Sociarum Virginis, è Cereis Agni cœlestis simulacris, cum sacrarum Iconum, piaculariumque globulorum, numero permagno. Cum his Azevedius, ut erat expediti dextrique in multiplicibus etiam intricatisque tractationibus ingenij, omni sua celeriter Romæ negotiatione transacta, in Hispanias, suis delectibus habendis assignatam Regionem, adulta iam æstate se contulit. Eoque appulsus sub Autumnum, & per præcipua Provinciarum Seminaria, Tyronumque Domicilia vagatus, multorum è nostra Iuventute votis occurrit in Expeditionem Brasiliensem nomina certatim dantium. Tali occasione dum transit Ebora, aliquid obiter gessit minimè silendum. Per-

solve-

ſolvebat in Odeo Templi Societatis penſum Deiparæ quotidianum, percurrendo globulorum Mariano ſerto, & ad ſingulos ſalutatione Angelica iteranda. ſed ne id qua optaſſet tranquillitate faceret, obſtrepebant Energumeni voces inſanæ, Sacrorumque

91 Ministrorum Exorciſmi, cum fremitu circumſtantis, ſtrepitu tumultuosè cõcurrentis ad ſpectaculum turbæ. Ægrè inter hæc pertexto quindecim decadum orbe, quid rei eſſet deſpectans, vidit ante Aram ſtolatum Sacerdotem dudùm fruſtrà molientem, præſcriptis adhibendis ritibus, & ſacris ex Eccleſiaſtico codice carminibus pronunciandis, exturbare invaſorem malum Genium è miſeri hominis corpore dirè vexato. Incidit ad eam ſpeciem immiſſa divinitùs, haud dubiè, cogitatio, immiſcendi ſe negotio, à quo ſua eum alioqui notiſſima modeſtia, in loco præſertim, ubi Hoſpes quaſi precariò degeret, prohibuiſſet. Deſcendit ergo, ut erat, roſarium manu tenens, perque denſam multitudinem aditu non facilè perrupto,

Eboræ Azevedius Energumenum mirabiliter liberat.

ad

ad crepidinem Altaris, ubi res gerebatur, penetravit. Conversis omnium in unum oculis, silentioq; facto: ipse, *haud tanto*, inquit, *molimine opus est.* Simul hæc loquens exolutũ zona Rosarium collo infessi à Dæmone iniecit. incredibile dictu: nisi tot oculata fides testium indubitabile affirmatu redderet. cõquievere statim intẽperiæ furentis omnes, nec momẽtanea pax laborantis fuit. ut levatus malo respiravit in pręsens, hactenus infelix Homo; ita in posterum perseveravit, molesta infestatione Dæmonis liber; nec ipso umquam posteà, nec quoquam qui nosset, ambigente, quin illo serti virginei attactu, funditùs eiectus ex Arce invasa Stygius Hostis, inde, sine spe regressus, aufugisset.

III. Fuit porrò Azevedio Eboræ diutiùs hærendi causa, quòd tunc in ea Vrbe Rex cum universo Procerũ Regni comitatu morabatur. Ibi ergo, Regis Aviæ Reginæ Catherinæ à S. Francisco Borgia missam effigiem Dei Matris è Prototypa Divi Lucæ Tabula expressam, obtulit. Excepit munus tantum Princeps illa Matrona,

pro ſua præſtanti religione, cum illuſtribus ſignificationibus piæ lætitiæ sũmæque venerationis: prolixè declarans, multum eo ſe nomine & mittenti & reddenti debere. Ipſe Rex Sebaſtianus iampridem ſibi notam cum uſu tum fama Azevedij virtutem, pluribus nunc luculentioribuſque, quàm umquam antea æſtimationis ſummæ, ac præcipui favoris demonſtrationibus honoravit. Eius rei oculatum habeo teſtimonium in Literis Ebora latinè ſcriptis ad S. Franciſcum Borgiam Kal. Ianuarij anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi à P. Hieronymo Ludovico, quarum autographum penes nos eſt: Hæc ibi leguntur verbis totidem: *Is eſt Regis* (Sebaſtiani) *animus erga Societatem cuius lacte nutritus eſt, ut beneficia quæ in Nos confert, & honores quibus Nos afficit, non ſit facile commemorare. Nam præter quam quod quotidiè ad Nos ſoleat venire (habitat enim iuxta Nos) Patri etiam Ignatio Azevedio in Braſilicas Regiones redituro, nibil eorum quæ petiit negat, concedit omnia.* Ita ille quæ altero tertiove ante menſe geri viderat Eboræ re-

1. Ian. 1570.

92 Sebaſtiani Regis Luſitaniæ in Azevedium veneratio & benignitas.

referens. Cæterùm, ut ferè omnia, usus ancipitis humana bona sunt, parùm abfuit, quin excellens hæc apud Sebastianum Regem gratia, qua nihil omnes opportuniùs Azevedio ad fortunanda sua Expeditionis Brasilicæ consilia contingere potuisse iudicabant, perniciosam ijsdem obiectaret moram; atque adeò capitalem securim infligeret. Rei ex arcanis erutæ literis, a & plus una de causa scitu dignæ, breviter hìc prodendæ locus est. Excesserat pubertatem Sebastianus Rex; annum utique sextum decimum ingressus. Quoniam verò supererat ille unicus regnantis familiæ surculus, magna multos urebat solicitudo, propter incertos vitæ mortalis casus, quòd tamdiù fortuna Domus antiquæ, spesque omnis, in flore suo tanto conservandi Regni amplissimi, uni penderet capiti commissa. Ante omnes Pius V. Pontifex Maximus, pro paterna sua Regnorum Catholicorum in pace ac tranquillitate continendorum cura, providens imminentes gravissimas Lusitaniæ perturbationes, si

a. Epist. Cõsalvij ad S. Fr Borgiã scripta Cintræ 17. Sept. 1570.

(quod Deus omen averteret) Regi aliquid accidiſſet humanitùs, antequam prole ſuſcepta certam conſtituiſſet ſucceſſionem hæreditarij Principatus; iampridem omni ope nitebatur Sebaſtiani conciliare nuptias cum Margarita Valeſia Sorore Caroli IX. Francorum Regis, quæ una tunc virgo erat, inter Principes imperantium Europæ Domuum fœminas, eiuſmodi coniugio non impar. Præerat formandæ bonis moribus & literis Regis Sebaſtiani Adoleſcientiæ Sacerdos Societatis Ludovicus Conſalvius, magnæ vir religionis atque prudentiæ, quem cum iam ab anno ante hunc decimo ad hoc munus Catherina Auſtriaca; Pueri Principis Avia, & Tutrix, Roma, ubi Aſſiſtens res Societatis Luſitanicæ curabat, urgentiſſimis mandatis invitiſſimum abſtraheret, is quantum citrà contumaciam potuit, honorem, quo ſe indignum ſolus ipſe rebatur, deprecatus: poſtquam iuſſu Lainij Generalis coactus acquievit, clarè prædixerat, quod eventu deinde comprobatum eſt: fore ut ea res ad ſui & Socie-

95 Magiſter formandæ Pueritiæ Sebaſtiani Regis à Matre Catherina præpoſitus Ludovicus Gonſalvius, invitus & fruſtrà repugnans.

tatis

tatis traductionem verteretur: propterea quod quicumque quidpiam gerendorum deinceps ea in Aula improbarent, ſuis id forent imputaturi conſilijs. Huic nunc, ut putabatur, autoritate gratiaque apud Alumnum Regem præ omnibus pollenti, ſcriptis B. Pius Pontifex accuratiſſimis literis, & allegato Viro illuſtri Ludovico Turriano, quàm efficaciſſimè mandaverat, ut memoratum Matrimonium omni conatu promoveret; mirabaturque, poſt longam inde moram, nondum id factum; quin & malevolis delationibus quorumdam, Gonſalvium neglecti obſequij accuſantium, nonnihil videbatur tribuere fidei. Admonitus de his à S. Franciſco Borgia Gonſalvius, literis ab Vrbe hoc anno datis, ſui Societatiſque purgandę hanc optimam ſe reperiſſe putavit rationem. Animadverſo quanti faceret Azevedium Sebaſtianus Rex, egit cum hoc, ut illum ad Pontificem Legare vellet, inſtructum literis quæ affirmarent: venire ipſum plenè conſcium intimarum cogitationum Regis, à

94 Gonſalvio à B. Pio V. enixè mandatur procurandum Matrimonium Sebaſtiani Regis cum Margarita Valeſia Caroli IX. Regis Galliæ ſorore.

Coniu-

Coniugio proposito non abhorren- »
tium, cui proinde fidem haberi eas »
exponenti, Rex cuperet. Probatum »
Sebastiano consilium est, scriptæque iam literæ; nec Azevedius audebat recusare: ne pretiosæ occasioni consulendi saluti Patriæ, ac famæ Societatis, ignavè defuisse posset argui. Tantum, uti consueverat in occursu impedimentorum susceptis à se negotijs obstantium, Divinum instantiùs Numen propitiare, multiplicatis afflictationibus corporis, ieiunijs, & Sacrificijs institit, enixè orans, ut quod magis expediret ad Dei gloriam ea in re decerneretur. Vtcumque Principem Adolescentem ad obsequendum Pontifici Gonsalvius, ut est significatum, inflexerat: haud tamen procedebat exoptati ab eo tractatio connubij; clàm iniectis remoris per nonnullos illic dignitate opibusque præpollentes, quorum ad familiares rationes parùm accomodata censebatur affinitas Gallica. Hi sicut multas alias Gonsalvij Pontifici obsequentis machinationes, occultis artibus eluserant: ita & hanc quo-

95 Destinata Azevedij Romam legatio, disijcitur.

quoque novissimam ipsius propositionem disiecere. Libertasque ac securitas gratulanti est Azevedio reddita, totum se unicè in curam ac meditationem Brasilicæ transmissionis addendi.

IV. Huic ergo in solidum intentus, cum haberet relata in album nomina circiter septuaginta Sociorum, solvere secum paratorum in Brasiliam: qui etiam moniti, ut mense Decembri sibi Vlyssipone præstò essent, eò confluere iam ceperant: illùc ipse quoque profectus, primùm exploravit: ecquæ opportunitas instructæ Brasilicum in cursum Navis isto in Portu se offerret. Reperit tunc ibi apparari regiam Classem trium solummodò Navium, qua Novus designatus Brasiliæ Prætor Ludovicus Vasconcellius profecturus in Provinciam erat. Eas alio numero & onere satis plenas, parùm capaces vidit fore tantæ quam duceret multitudinis. Displicebat etiã quòd serò soluturæ viderentur. Statuit ergo per alios Lusitaniæ Portus aliam commodiorem expeditioremque vecturam

ɛturam quærere. Commodùm audit in ſtatione Portuenſis Vrbis, ſuæ Patriæ, ſtare in anchoris vacuam Onerariam conductores prę ſtolantem. accurrit, inſpicit, probat. Convenit de naulo traiectionis in Braſiliam, eiuſque dimidium ſe rectè numeraturum confirmat; arrha in anteceſſum data: alteram enim duntaxat è duabus Navigij partem ſibi ſuiſque ſuffecturam locabat. In aliam explendam ſenſim confluebant Vectores Mercatoreſque varij: qui ſimul univerſi conveniſſent, ſuaſque cunctas intuliſſent ſarcinas, Navis dicebatur ſtatim Vlyſſiponem deducenda; ut inde primo vento in Braſiliam ferenti vela panderet. Eam operiturus Vlyſſiponenſi Vrbi ſe Azevedius reddidit, & non paucos Sociorum eò iam appulſos ad condictum, ſub anni finem reperit. Reſpirare incipiebat regia illa Civitas à metu peſtilentis morbi, contagione vulgari ſoliti, qui magnis ibi antea editis ſtragibus, tunc fermè reſederat; reliquijs tantùm eius quibuſdam per Pagos adhuç finitimos & ſuburbia durantibus:

96 Peſtis graſſantis periculum & anguſtiæ Domuum Societatis cogunt Azevedium alibi ſibi & ſuis Hoſpitium quærere.

non

non sine timore, ne rursùs è scintillis maius exardesceret incendium. Istiusmodi nondum plenè purgatæ suspiciones, difficiliorem cum in Vrbe redderent Hospitum admissionem: cumque præterea nostrarum illìc Domuū angustiæ excipiendis tot Socijs ab Azevedio expectatis non sufficerent, consultandum illi fuit, ubi eos collocaret, spatio aliquot dierum, forsitan & hebdomadarum, quo esset expectanda Portuensis Oneraria. Solicitò de hoc, & circumspectanti cuncta, obtulit Collegij Vlyssiponensis Rector suburbanam sui iuris villam. Nondum eam viderat Azevedius, etsi Rector, uti est dictum, Vlyssiponensis Collegij fuisset: quia longè posteriùs liberali dono Sebastiani Regis ille fundus adiectus S. Antonij Gymnasio fuerat. Igitur ad explorandum, an aptus foret locus hospitio Suorum, eò se cōtulit. Trans Tagum versus Ostium Fluminis, vasta patet planities Pinetis consita, soli plerumque arentis, nec nisi thymi, roris marini, similiumque infrugiferarum stirpium feracis. Huius

97 Villæ Valrosanæ situs.

ius ſub medium,depreſſiori paululùm ſitu, ſubſidit aliquantò lætior, & prono humoris affluxu pinguior fundus, Vallem roſarum vocant. In eo ruſtica viſebatur ædificata Domus, centũ, ſi ſe cõſtiparent, Habitatorum capax, ad ſextum omninò ab Vrbe milliare. Placuit ſolitudo & ſilentium loci: ſtationemque illam exiſtimavit opportunam,non tam reficiendis præparandiſque littorali requie ad maritimos labores corporibus Comitum, quàm animis eorumdem explorandis, erudiendis, præformandis; ne quem deinde ipſorum in ipſo diſcrimine certaminis, ſero experimento inemendabilis ignaviæ,deprehenderet,aut ſacræ militiæ imparem, dotium defectu requiſitarum; aut ſi præditum quidem idonea indole, tamen omiſſi vitio Tyrocinij, artium bellandi Chriſto Duce legitimarum rudem.

CAP.

Cap. V.

Azevedius in Seceſſu Valroſanæ Villæ, ſe ſuoſque Aſceticis Meditationibus, per quinque Menſes, exercet.

1570. I. INitio Ianuarij anni ſeptuageſimi ſupra ſeſquimilleſimum, congregatam iam plenè Cohortem ſuam præ ſe duxit Azevedius in Vallem Roſarum. Septuaginta numerabantur. Hos ſecrevit in duas velut claſſes. Novitios, omnino quadraginta, in ſuperiori Ædium contignatione ſecum habuit: inferiora Veteranis aſſignavit; ſecretos invicem ambos volens Ordines, interdicta colloquiorum & uſus promiſcui licentia. Convictus ſolummodo communis, cunctis uno ſimul Triclinio veſcentibus. relaxando ſermonibus ſub refectionis horas

98 Septuaginta Azevedij Socij duas in Claſſes Novitiorum & Veteranorũ diſcreti.

animo, ſeparata Conclavia ſignata. Sua cuique generi diurnorum operũ, omniſque regularis obſervantiæ, propriè deſcripta diſciplina. Poſt primum ſtatim experimentum, ferventiores quique Veteranorum Azevedium orant, ſe ſe ut in communionem Exercitationum obitarum à Tyronibus admittat. Aliquamdiù negavit: inſtantibus perſeverantiùs, conceſſit. tum alijs atque alijs urgentiſſimo idem ambitu precatis, tandemque auditis, brevi omnes in Tyronum formulam redacti, ſolo invicem habitationis ſitu diſiungebantur. Poſt datum ſurgendi ſignum, manè à cunctis hora ſolida, poſitis humi genibus, detecto capite, contemplationi divinorum myſteriorum tribuebatur. ſub veſperam idem iterabatur, pari horæ ſpatio. Signum inchoandi & deſinendi, Nolæ tinnitus dabat: Ante prandium & ſub horam decumbendi, Excutiendæ conſcientię omnes vacabant, pariter ad campanæ pulſum. Antemeridiana tempora religioni tota ſacrabantur. Principio Azevedius, Tyronũ Magiſtrum agens, qui-

99 Veterani ſe ultrò in Noviciorum formulam redigunt.

100 Ordo illic Diſciplinæ Domeſticæ.

quibus iam ſe provectiores, ut eſt dictum, aggregaverant, ad congregatos ſimul univerſos, horæ fermè ſpatio dicebat. Hinc Sacellum ſua quiſque hora domeſticum adibat, ſacris ibi operaturus aut miniſtraturus. Purgandi confeſſione animi uſus cunctis ferè quotidianus; Euchariſtici Epuli, expertibus Sacerdotij fames ſumma: ſtudiumque ardens impetrandę venię, illius, profeſtis etiam per hebdomadam diebus, participandi. quibus ea gratia contigerat, ſe felices ducentibus; alijs parem ſortem emereri, multiplicanda corporum afflictatione, ſatagentibus. Ante aut poſt Sacrum prodibant combinati omnes pari diſtantia in longam altrinſecus ſeriem; ſumma modeſtia, collectis animis, Sacras Litanias, Davidis Pſalmos, aut pia id genus carmina cantantes. Hoc modo procedebant uſque ad Oratorium quodpiam, vel ad Crucem conſpicuo loco fixam: cuiuſmodi ad idipſum aliquas delecto à ſe ſitu Azevedius collocaverat.

II. Domum reverſi certatim humili-

101 Magiſter Diſcipulis exemplo præit.

milibus Domeſtici Servitij officijs ſedabant. Primus Azevedius (nam nihil pręcipiebat quin exequeretur ipſe) ſuccinctus linteo ad Coqui arbitrium culinæ miniſtrabat. verrebat pavimenta, ollas tergebat, purgabat lances, aquam è puteo, ligna è ſtrue portabat. In Sylvam quin-etiam cum ſecuri profectus, faſce onuſtus redibat ramorum à ſe cæſorum. Coibatur ſub meridiem in commune Cœnaculum, cibi gratia ſumendi. Diceres non Tabernam eſſe illam paſcendorum, ſed Palæſtram ſubigendorum exercitamẽtis triſtibus corporum. ita paſſim illic alij culpas ſuas palàm fatebantur, moxque in earum pœnam nudatos ſuos humeros flagellis cædebant; alij ſtantes, aut flexis genibus, aut ſedentes humi, cibo potuque per menſas emendicato perincommodè veſcebantur:

102 Inter veſcendum & relaxãdum ſermone animum variæ affligendi & deprimendi ſe ſe rationes frequentatæ.

alij oſculabantur pedes ſedentium: alij modis alijs voluptatem guſtandi, amaritie immiſta mortificationis, vel ulciſci, vel temperare nitebantur: præeunte in his omnibus Azevedio. Acta interim Sanctorum, & ex Libris Aſceticis

ricis ſelectiſſima quæque, voce clara è pulpito legebantur, attentiſſimis cũctis, ſummo ſilentio. In Aulam deinde conveniebant colloquijs deſtinatam; ibi vel diſcreti per turmas ſua quique ſenſa de rebus ſacris ſermone familiari proferebant, præſtanti invicem caritate, ſerenæque indicio lætitiæ: vel à Magiſtro in circulum collecti, propoſitum ab ipſo argumentum de aliqua virtute, de ſententia quapiã Evangelij, Pſalmorum, aut Libri ſimilis Canonici, quid cuique videretur interrogati, ſimpliciter ingenuèque profitebantur. Ne hìc quidem non condiebatur relaxationis hilaritas ſale quodam auſteræ ſeveritatis. Erant qui iuſſi, vel petita ultrò facultate, procumbebant in oſculum Soli, & in eo ſitu laborioſo, buccis pavimento appreſſis, longo tempore durabant. quidam velatis oculis, privati videndi voluptate, nonnulli forcipe lignea compreſſis labris, diù in medio conſiſtebant muti. Nec deerant qui ſpontè implicitis compede cruribus, ærumnas damnatorum ad triremes aut vinctorum in

Ergastulis experirentur. Denique alij flexis genibus, à circumsedentibus cũctis, præside Magistro, suos sibi exprobrari defectus audiebant, sive hoc ipsi popoſciſſent, ignominiæ ac deiectionis suæ desiderio; sive inopinantibus, illam Præses, probandi eos aut promovendi gratia, tolerantiæ ac demissionis occasionem ultrò censuisset offerendam.

103 Pomeridianæ exercitationes.

III. Pomeridianas inde horas in sua digressi cubicula, partim Lectione piorum Librorum, partim pronunciandis è Sacro Codice precibus, sertove Mariano salutationum Angelicarum iteratione percurrendo, transigebant. His defuncti manuum labori se se dabant. Quibusdam Calligraphiæ, nonnullis Picturæ operam dantibus: Alijs rudimenta ponentibus mechanicorum opificiorum diversi generis, quæ usui olim, degentibus inter Barbaros, futura viderentur: Eiusmodi artificiorum, ut ipse Azevedius primo Societatis Tyrocinio Elementa præceperat; sic expertus rei utilitatem, Discipulis autor erat, ijs se facul-

tati-

" tatibus exercendarum Humilitatis & 104 Artes Mechanicas addiscēdi Azevedius suis autor & exemplum est.
" Caritatis instruendi. Etiam Paulum
" Apostolum inter instrumenta Prædi-
" cationis Evangelicæ, vilis artis Sceno-
" factoriæ humile ministerium habuis-
" se. Ne igitur gravarentur, etiam Cle-
" rici ac Sacerdotes, addiscere modum
" sarriendi hortulum, sarciendi vestem,
" suendi calceum, scalpro, malleo, ser-
" ra utendi, tundendi ægroto venam,
" & miscendi pharmacum. Profuturum
" id ad quandam relaxationem conten-
" tionum mentis, ad sui despicientiam,
" ad egentium adiumentum, ad exem-
" plum religiosæ paupertatis, ad com-
" pressionem humani fastus, malæque
" ac superbiam foventis verecundiæ, per
" quam homines hominibus apparere
" humiles pudet. Adiutoribus præser-
" tim Laicis istam multiplicis peritiæ re-
" rum ad vitam utilium efficiendarum
" parandæ diligentiam suadebat. Ire
" ipsos aiebat in Orbem novum, ubi tel-
" lus inculta, rudes inertesque Incolæ, 105 Adiutores Laici sublevando Sacerdotes eorum meritis participant.
" nulla opificij disciplina, nihil ad vi-
" ctum cultumque aliunde quàm ab in-
" dustria, subsidij: Posse illic eos larga

ditari participatione meritorũ, quæ Li- „
terati & Sacerdotes, erudiendis ad fidẽ „
Barbaris, ſibi cõgerunt apud Deũ plu- „
rima, ſi corporeis illorũ neceſſitatibus „
interim ipſi ſubveniant. Tabernaculis „
quo ſe recipiant ſtruendis, grabatis ubi „
quieſcant, ſternendis, conquirendis ali- „
mentis, medicamẽtis tẽperandis, & ſci- „
tè adhibendis, indumentis, tegumẽtis, „
fomentis fatigatorum artuum, utcũq; „
alia deſit copia, manus artificis inge- „
nio, ac ſolertis excogitatione diligẽtiæ, „
quaſi creatis è nihilo, ſubminiſtrandis. „
Hoc, ut exemplo etiam probaret, edu-
xit per initia ſeceſſus iſtius quoſdam
ſecum in campos, paſſim conſitos ca-
rice, myrica, filice, geniſta, plantiſq; id
genus humilibus; materia illic vix aliũ,
quàm flammæ paſcendæ, uſum ac ca-
lefaciendorum Clibanorum habere
credita. Iam anteà notaverat multam
inter has copiam certi fruticis, quem
ibi popularis hodiè lingua *Carquegiam*
nominat, Doctis eſſe creditur ſecun-
da ſpecies Anthyllidis à Plinio *a* de- *a. Plin. l.*
ſcripta. Eam ramoſi cæſpitis ſtirpem, XXVI. c.
etſi duriuſculis virgultis, ac non hebe- VIII.

ti-

tibus aculeis, asperam tactu, ne farciendis tamen ineptam grabatis duceret, faciebat vis ei quædam, ut ferunt, insita fovẽdis hominum propitia corporibus, unde salubritate scabritiem compensante, tutò illam ad cubilis usum adhiberi posse statuit. Ergo ad eiusmodi occursum plantæ, conversus ad comites: *quid si Fratres*, inquit, *vobis monstravero lectulorum speciem quandam parabilem, & nostræ congruentiorem paupertati ex hisce posse straminibus confici.* Sub hæc dicta ipse demessuit, pariterque ut pro se quisque congereret, Socijs annuit, magnam anthyllidos istius vim. Delatos Domum fasces arefactos ad Solem, digessit in storeas longitudinis & latitudinis accomodatæ ad mensuram humani corporis, constipatas intus stipulas textu quodam adstringens assuensque. Sic effectum tegetem, primus ipse, lanea culcitra reiecta, pro cubili habuit, corticem pro cervicali. Nec mora plures statim petiere, per eum ut ipsis liceat simile stratum parare. concessum est. paucis diebus, probata iam re multo-

106
Grabatos sibi ex Anthyllide asperos Socij Valrosani parant.

rum experientia, laudatoque exemplo,nemo in Valle Roſarum fuit,quin ſpretis tomentis & lodicibus, ſtratum ſua ſibi manu formatum frondeum è ſubactis iſta Methodo Anthyllidis faſcibus, addito pulvillo è trunci ſubere, concinnaret. Nec deinde, quandiù illic eſt morata Ignatij cohors, laneis quiſquam, plumeiſve ſtragulis, aut fulcris capitis, niſi æger, incubuit.

IV. Has inter occupationes, ſuos Azevedius Diſcipulos etiam atque etiam monebat: crebrò ad Deum
mentem attollerent, iaculandis rap- »
tim affectibus, amoris, gratiarum a- »
ctionis, doloris de peccatis, implora- »
tionis auxilij, aliorumque ſimilium. »
quin & ſuadebat interpellare ſubinde opus profectiunculis in Domeſticum Sacellum, in quo ad illos uſus ſacram
107 Religionis exercitia diurnis occupationibus inſerta.
continuò ſervari Euchariſtiam cura- »
bat; dictitare Novitijs ſolitus: Se pro- »
legitimo Societatis Ieſu Tyrone illum »
non habere, qui coràm Altari in quo »
ſtat præſens Chriſti Ieſu Domini No- »
ſtri Sanctiſſimum Corpus, non ſaltem »
novies quotidiè ſe ſiſteret, venerabun- »
duſ-

„ duſque procideret. Erat iam tum in uſu, hodieque vigente, Societatis, menſtrua ſortitio Sanctorum. Hæc ne perfunctoriè tranſmitteretur, tum commendatione accurata, tum exemplo aſſequebatur. multis rationibus, autoritatibus, experimentis copioſè allegandis, ſæpè diſſerens de utilitate ingenti adſciſcendorum in Præſidium 108
animæ ac corporis cœleſtium Patronorum: tum horum colendorum & propitiandorum ritum ſua ipſe informans praxi. Nam quemcumque ipſi conſecratorum Eccleſiæ veneratione cœlitum, in Conuentu Domeſtico ad hoc pridie Kal. cogi ſolito, in Menſis imminentis præſtitem Sors edita donaſſet, ei ſtatim honorando certum ſibi penſum quotidianorum officiorũ indicebat; ſtudioque adhibito, peculiarem notitiam captabat Actorum eius, è monumentis & memoria librorum. Ad anniverſarium deinde Natalis ipſius diem exquiſita devotione celebrandum, pridiano ſe comparabat ieiunio & flagellatione publicè ſuſcepta, ſub veſperam. Ipſo die, productis

Sancti Patroni menſtrua ſortitione cuique obtingentes peculiari cultu honorati.

ctis ultrà solitum orandi spatijs, Sacro solemniori religione celebrato, gaudebat narrare vitam eius, certamina, virtutes, miracula. Eadem quisque illic cum imitaretur, nulla Lux transibat, quam non aliquis Inquilinorum Vallis Rosarum festam peculiariter haberet, usurpatione Sacræ communionis, & multa Meditatione ac prædicatione laudum meritorumq; Sancti cuiuspiam. Hic tenor erat communis universis isthic Vitæ domesticæ. ultra quem, exquisitiorem religionis formulam paucis eximiè delectis segregatam habebat Azevedius. Partem

109 Secessus asceticus sæpe iteratus.

Ædium secluserat à cōtubernio promiscuo. In ea cupidiores sui perficiendi, ac propterea diligentiori animi cultu promoveri se poscentes, asceticis ipse Sancti Patris Ignatij meditationibus exercebat. Sex ibi septemve semper erant. Post dies fermè decem, his convictui familiari redditis, pari numero & studio succedebant alij. Nocturnis illic diurnisque contemplationibus horarum plurimarū, ieiunijs, verberationibus, asperitati vesti-

ſtitus intimi, per tunicarum moleſtarum appreſſionem ad nudam cutem, liberaliùs indulgebatur.

V. Quamquam eius generis aſperitatum Valroſani æquè omnes Azevedij Socij ſe ſe percupidos probabāt; nec parvus erat Patris labor in attrahendo ruenti ultra modum, fervori fræno,ne, non retentus, excideret in præceps. quibus tamen negabat poſtulatam licentiam vexationum ſui, pro ætatis & valetudinis ratione, ni-
a.Sūmarÿ xII. miarum, hos conſolando admonebat:
„ ſuppetere ipſis quo abuudè compen- 110 Afflictationes corporis dum ijs uti non licet quomodo ſupplendæ.
„ ſarent extraordinarios rigores, prę́ſcri-
„ ptum Regula *a* exercitium continuæ
„ mortificationis in rebus omnibus.
„ Fraudando videlicet, in fruendi occa-
„ ſione, deſideria naturæ, non tantùm
„ ubi vitioſis inhiat, ſed quando etiam
„ appetit licita. imperando renuenti ge-
„ nio ea ipſa à quibus maximè abhorret
„ ſenſus; traducendo ultrò ſe ſe ac pro-
„ pinando riſui ludibrijſque hominum,
„ vel prodendis defectibus occultis, vel
„ ſupprimendis benefactis unde laus ſe-
„ queretur, vel arceſſendo ſponte dede-

co-

core. Esse hoc quippe, tantoperè in „
Evangelio commendatum illud salu- „
tare sui odium: in eo sitam quam „
Christus perennem suis iniungit ge- „
stationem Crucis. Idipsum suadere „
Paulum Apostolum dum Christianos Cor. IV. 10.
admonet, *ut semper mortificationem Christi*
circumferant in suo corpore. Hoc eundem Ad Coloss. I. 24
exemplo proprio monstrasse, ubi scri- „
bit: *adimplere se quæ desunt Passionum Chri-* „
sti in suo corpore. Post quæ subiungebat: „
Sic certò habete Fratres mei. fecisse vos ia-
cturam maximam, & detrimentum subiisse
amarissimis deflendum lacrymis, quoties in-
dulgendo cupidini cuipiam obortæ, gustando
suavitatem oblatam, obsequendo curiositati
oculorum spectacula iucunda captantium,
aviditati aurium sitientium novitates, decli-
nando ignominias vel asperitates occurrentes,
occasionem neglexeritis vos ipsos splendidè
vincendi. Id enim fuerit, vim ignavè re-
misisse illam qua sola expugnatur Cælorum
Regnum, & quasi retraxisse inertissimè ma-
num à tollendis, iniussu se ingerentibus, illu-
strium trophæorum palmis. Nec dissimi-
lis erant generis argumenta cætera
vel privatarum eius allocutionum ad
sin-

„ ſingulos, vel publicorum ad congre- 111
„ gatos univerſos quotidiè ſermonum:
„ Æterna duntaxat in pretio haberent:
„ fluxas mundi res ne obtutu quidem,
„ nedum cura & æſtimatione ducerent
„ dignas. Expectarent aſſiduè vigiles,
„ ſuccincti lumbos, inextinctis parati
„ Lampadibus, venturum, qua minus
„ hora crederent, Sponſum; cui non oc-
„ curriſſe in tempore, crimen eſt, irre-
„ vocabilis excluſionis ab omni ſpe gau-
„ dij, pœna mulctandum. Parvuli fieri
„ contenderent: non aliter in magnos
„ evaſuri. per arctas, & latera radentes,
„ nitendo, æſtuandoque, ſe truderent
„ ſemitas; quibus unis ad lata ſpatia
„ plenæ felicitatis aditus patet. Præci-
„ perent animo dura ſemper, fortiaque
„ adverſis opponerent pectora. cogita-
„ rent in Mari naufragia, in Terra ſup-
„ plicia: famem, ſitim, æſtus, frigora, im-
„ pugnationes, morbos, ærumnas, angu-
„ ſtias; diſcrimina atque incommoda
„ generis omnis, ubique occurſura, non
„ expectarent modò, ſed etiam optarēt;
„ ita Chriſti, cuius tota vita Crux fuit,
„ quadam ex parte futuri ſimiles. Huius

Sermonum privatorum & publicorum Azevedij ſancta argumenta.

Hh enim,

enim, nisi qui dolores & ignominias „
participarent, consortes se futuros „
gloriæ ac gaudij, nequidquam & stul- „
tè confiderent. Hæc & huiusmodi alia plurima perorabat Azevedius eo vultus ardore, vocis contentione, motu animi, quæ non dicam fidem facerent, sed flammam inijcerent, cunctosque incenderent heroicis desiderijs tolerandi acerbissima quæque Dei causa; & spiritum quinetiam ac sanguinem, vitam, famam, quæcumque cara vel dulcia, Christi Iesu, sic de se meriti, amori gloriæque impendendi: pervadente simul intimè hæc versantes singulos arcana, divinæ adfuturæ protectionis atque auxilij, fiducia: haud enim Optimum & Omnipotentem Dominum, qui audendi talia imbecillis Servulis animos faceret, non pariter & vires suffecturum, ferendi superandique infesta quælibet: sicque ad extremum usque halitum, in eius gratia, & fideli obsequio perseverandi.

VI. Neque tamen non intelligebat inter hæc, Prudens tam ferventiũ

Ma-

Magiſter Diſcipulorum, inſeri debere contentioni longæ ac magnæ, quædam intervalla laxamentorum, viceſque tempeſtivas ſuccedentis laſſitudini quietis; cuius ni ſubſidio reparentur exhauſtæ conando vires, elangueat ad reliquum certamen, & vigore defecta omni fatiſcat humana debilitas. Igitur præter infirmitatem toti mortalitati communem, teneras etiam ętates plerorumque ſuorum ſublevandas ducens, præ ſe cunctos interdum agebat expatiatum in campos. Et eſt illinc proſpectus recreandis in primis oculis commodus, qualem vix uſpiam offerri amœniorem, ij quoque affirmant, qui diù ac latè peregrinando vagati, comparare conditiones locorum variorum, ex memori notitia reputantes, valent. Verſis in Mediterranea totus ſe aperit ambitus immenſæ Vallis, ſpeciosè diſtinctæ Sylvis, Collibus, Caſtellis, cuius diameter plus viginti milliaribus tenditur, à Iugo Palmelæ, ad Deiparæ Sacram Ædem, extremo, unde cognomentum trahit, in Promontorij ſtructam capi-

112 Relaxationes animorum ab Azevedio ſuis conceſſæ.

113 Amœnitas Cāporum & proſpectuum circa vallem Roſarū

te. Ibi ſe oſtentat Mons *Rabida*, famoſa Sanctiſſimorum Eremitarum Sedes. Renidet procul conſpicuus ſylvis virentibus Sintræ vertex, altè ſurgit S. Ludovici Mons inclytus; vagè tenditur ſquallida ſeries calvorum *Area* culminum, quorum candens ſiccitas in uberrimum & latiſſimè fuſum Alboferiæ lacum pulchrè; deſinere conſpicitur. Reſpectantibus arridet regia ſpecies Vlyſſiponenſis Vrbis, fumum eius & opes, moles ac coronides Turrium, faſtigia Templorum, privatorum & principalium tectorũ variè ſpectabilem elegantiam, grata unici pluriformis obtutus confuſione repræſentans. Alio prorsùm intuentes, excipit immenſum æquor Oceani Atlantici, riparumq; obiectantis ipſi ſe ſe, interimque, quaſi brachijs protentis, curvatorum in laxos ſinus litorum, velut ad amplexum occurrentis, Oræ maritimæ, quanta inde ſub oculis, inter duo Promontoria, hinc, *Traſaria*, illinc, *Eſpicelij* procurrit. His tam iucundæ varietatis ſcenis non magis exhauſtus rigore diætæ reparabatur vigor

gor corporum; quàm assuetæ religioni mentes, ad agnoscendum venerandumque Dei conditoris in cunctis suis operibus præsens Numen, quasi tot erumpentibus foras radijs intus absconsæ Maiestatis, excitabantur. Hinc dulcis manabat in linguas materia sermonum. Videres vagantes agro manipulos Iuvenum, prodeunte in vultum arcano spiritus ardore, sanctis se mutuò incendere colloquijs, divinam prædicare magnificentiam; ex pulcritudine inferioris Mundi, cœlestis Aulæ splendorem augurari. æstimare magnitudinem speratarum in Patria voluptatum, è tam suavibus tristis exilij solatijs. Talia inter ambulandum fabulatos, in consessum ad auram sub umbra Ductor colligens, iucundis cunctos sacræ veteris memoriæ narratiunculis delectabat. Modò Martyris cuius festum ageretur, certamen referens, modò cuiuspiam Ascetarum antiquæ Thebaidis, aut Nitriæ, vitam memorans; modò Patritiorum Iuvenum, & Regiarum Virginum, è Palatijs & thalamis, in cœnobia, vel eremi

114 Ambulationes sanctis colloquijs fructuosè traductæ.

mi antra, fugas exequens. Erant in comitatu benè vocales, quique musicen callerent (nam inter artes Brasilis iuvandis utiles, meditari sonos quoque modulandi peritiam, suos Azevedius volebat) his, pium aliquem hymnum harmonicè concinentibus, aures dabantur. Domum redibatur composito in supplicationis modum agmine, cum cantu alterno Encomiorum Christi Regis, Deiparæ Virginis, Cœlitumque reliquorum: Statiunculis obiter interpositis, brevis orationis gratia, ad Sacella vel Cruces per agros obvias.

115 Peregrinationes Apostolicę

Præter has ambulationes, iustis interdum dierum aliquot peregrinationibus Socios Azevedius exercebat, singula eorum paria Evangelizatum per Pagos mittens; suis cuique finibus, & regionum, & temporum præscriptis. Ibant pedibus, mendicatò victitantes, non alio uspiam quàm Xenodochiorum utebantur Diversorio. Pueros & rusticos, ubi fortè repererant, etiam in ipso agresti opere, de cura salutis, & Christianæ Legis non negligendis officijs, admonebant. Plebi, vel in

Tem-

Templis congregatæ, vel in Trivia collectæ, Christianæ religionis elementa tradebant; aut suadebant probos mores, deterrentes à peccatis, & in ea lapsos ad remedia pœnitentiæ vocantes.

VII. His tam laudabilibus Valrosensium Eremitarum exercitationibus quasi delectatus Deus, producere de industria continuandis ijs spatium studuisse videri potuit. Nam quæ trium ad summum hebdomadarum mora isthic initio futura putabatur, in quintum iam mensem excesserat; alijs super alia, divino permissu, enascentibus obstaculis, quæ Navem S.Iacobi, ne Portuensi è statione solveret, ineluctabili cuivis humano conatui tarditate detinerent. Habuisset anxiè solicitum Azevedium hæc tam inopinata spei frustratio, præsertim cum tanto detrimēto negotij exambitissimi coniuncta, nisi omnem ab eo exclusisset inquietudinem mentis, exundans illapsus consolationum divinarum; quales liquidiores uberioresque quàm umquam antea, toto isto tempore, illius ani-

116 Secessus Valrosanus quibus causis in morā quinque mensium productus

animum perfudiſſe, ſæpè ipſe teſtatus eſt. Auditæ videlicet frequenter voces eius ſunt, diſertè, profitentis: cum à tot annis ſpiritum duceret, hoc tamen ſolo quadrimeſtri ſpatio, ſe vixiſſe reputare. Nuſquam omninò ſibi ſuaviùs, numquam fuiſſe beatius: in Valle Roſarum terreſtrem ſibi planè obtigiſſe Paradiſum. Idipſum ſignificabant quas ex hoc ſeceſſu ſcripſit, ad multos olim Familiarium, Literas, ita confertas apoſtolicis ſenſibus; adeò penitùs imbutas cœleſti quodam ſucco Seraphicæ caritatis; ut qui eas, audito poſtea felici eius fine, relegerent, omen in illis, & præſa-

117 gium inſtantis Martyrij, affirmarent non dubium agnoſcere. Nimirùm hoc habuere, hic nunc noſter Ignatius, & ille quondam alius Antiochiæ Antiſtes Sanctiſſimus, commune: ut producendo maturandoque mox heroicè ſubeundæ pro Chriſto Necis, conſummatiſſimo velut fructui, Epiſtolas uterque ardore flagrantes divini amoris, tamquam flores indices præmitteret. Quia tamen idem noſter,

Epiſtolę ab Azevedio ſcriptę S. Martyris Ignatij exẽplo.

æmula-

æmulatus Ignatium alterum, Societatis Iesu Conditorem, nulla dulcedine deliciarum contemplationis, ab agendis, & strenuè curandis, quæ officij sui duceret, avocari se sinebat: haudquaquam interim omisit cuncta prudenter providere, administrare, sedulò moliri, quæ ad suam ac Comitum adornandam expediendamque profectionem quoquo posse pacto conducere iudicaret. Extant Literæ P. Michaëlis Aragonij *a*, quibus testatur: se se ab Azevedio iam à Mense Ianuario huius anni missum in Civitatem Portuensem, & subinde quosdam alios Nostrorum destinatos eòdem, ad urgendum inde discessum Navis S. Iacobi, frustrà in ea re, ob alia ex alijs enata obstacula, laborasse per menses ferè tres. Nec dubium quin ij crebris, illo intervallo, Literis Azevedium edocuerint, quam vana esset sua ipsorum omnis contentio in lento illo negotio moliendo. Vnde cum sub principium Maij, Vasconceliana Classis proximè iam ad cursum expedita, nunciaretur, arbitror novum Azevedio consilium

a. Script. in Materia Insula 19. Augu. 1570

obortum, desperato usu privatæ Navis, æternis hactenus se ac suos ludificationibus frustratæ, quærendi loci sibi
118 Reditus Azevedij, & Sociorum Vlyssiponem. suisque Socijs in aliqua regiarum Navium; idque ut impetraret præsens faciliùs, cum ipsum in Vrbem revertisse, tum suam universam è Villa Valrosana eò transtulisse Familiam. quod inito iam Maio factum constat.

VIII. Sic reversus cum suis Vlyssiponem, pro sua summa, cum apud Regem, tum apud Prætorem gratia, statim obtinuit admissionem sui Comitumque cunctorum in proximè soluturam Regiam Classem. De reliquo intentus cæteris cunctis, quæ in rem essent, expediendis, ante omnia manum ultimam delectui ducendorum imposuit. Acri observatione deprehenderat, quosdam è versatis secum in Valrosensi secessu, minus idoneos operæ in Brasilia navandæ, defectu Virtutis, aut Dotium ad id requisitarum. Septem hos invenio fuisse: omnes in Domos, aut Collegia unde acceperat, remisit. Pari iudicio discrevit Candidatos Societatis Adolescentes,

tes, in iter Brasilicum paratos, si spes ostenderetur, compotes illic voti futuros; quales multos secedens in Vallem Rosarum, Vlyssipone Amicis commendatos reliquerat. Habito istorum quoque severo examine, tum inspectione propria, tum inquisitis, serioque pensatis, testimonijs eorum, quos ipsis explorandis & custodiendis præposuerat: quibusdam clarè dixit: „ cogitationes aliò suas verterent: se se, „ id quod ambirent Vitæ Institutum, „ genio ipsorum atque indoli parùm „ accomodatum arbitrari. Cæteris con„ firmavit: si quam hactenus in benè „ ceptis constantiam tenuissent, eam na„ vigando quoque secum, perseveranti „ usque ad exscensum in Bayam teno„ re innocentiæ, perferrent, à se statim „ omnes, in ibi sita Probationis Domo, „ Tyronibus Societatis accensendos. „ Talibus Patre intento, reliqui Socij, ex agresti secessu in urbana Nostrorum Domicilia translati, per paucas hebdomadas, quæ à reditu ipsorum ad ingressum in Naves fluxere, diù inde memorabilia religiosi fervoris exem-

119 Quidam explorationibus probati minus apti Brasilicæ Navigationi, remissi unde venerant.

120 Fervor & sancta exempla translatorum in Vrbem è Villa comitum Azevedij.

pla Domesticis Exterisq; præbuerunt. Domi, vilissima & laboriosissima quæque servitij familiaris ministeria, non fratribus solùm, sed famulis etiam mancipijsque præripiebant; humilitate in spectaculum quoque Civitatis redundante; multis quotidiè mirantibus, onustos eos, vel hydrijs, aqua è flumine petita, vel pane, olere, opsoniove, quà mendicato, quà empto, refertis cistis aut manticis, per frequentissimas incedere plateas, ea vultus Angelici modestia, quæ pro ludibrio ipsis per hæc quæsito, venerationem ac laudes conciliarent occurrentium. Ex ijs alios horis omnibus per cuncta Vrbis Nosocomia & Xenodochia sparsos cerneres, amabili sedulitate languentibus Hospitibusq; ministrare, lectos sternere, pavimenta scopis verrere, vasa sordida purgare, peregrè adventantium pedes abluere. Ægrorum mundata ulcera emplastris & fascijs fovere. Nauseantibus corrogata munuscula cupediarum, aut pomorum, levando fastidio utilium, offerre. Consolari eosdem verbis, ad patien-

tiam,

tiam, ad pœnitentiam hortari. Vinctos præterea in publicis Custodijs visere, alloquijs recreare, conquisitis eleemosynis pascere. Pueris ad hæc, & rudi Plebi, sacræ Doctrinæ elementa tradere. His illi Deo gratis operibus viaticum sibi quoddam cœlestis protectionis in casus incertos longinquæ Navigationis parare contendebant: feliciores in eo quàm putabant: quibus utique pro viæ maritimæ prosperitate, appulsuque optato in terras Barbaras, triumphalem in supernam Patriam, per Martyrium, ingressum emereri talibus officijs contigit.

CAP. VI.

Azevedius cum Socijs Vlyssipone solvens, in Insulam Materiam pervenit.

I. TAlia per se suosque Azevedio agenti, repente nunciatur, 8. Maij. postridiè Nonas Maij Mensis, ingres-

sam

ſani tandem oſtium Tagi amnis, tamdiù expectatam, denique deſperatam, Onerariam. Tertio Nonas è Portuensi Statione ſolverat, ſævis ſtatim excepta turbinibus ventorum, qui eam in præſentiſſimum adduxere Naufragij diſcrimen; caſu, in tam brevi ac facili littoris prætervectione, rarò ac miro; quique neſcio quid fortunæ triſtioris eius curſui minari videretur, per iſtam, ominoſam vulgò habitam, quaſi offenſionem ad Limen. Comparuit mox tamen in Vlyſſiponenſi Portu, è qua, ſimul iecit anchoram, exſcendens Navarchus, ut ſe primum ſtitit Azevedio; Prior ille: *Heus vos*, inquit, *tardos: nempe dudùm Braſiliam tenuiße debueramus. En hæc eſt pactorum fides.* Ad hæc excuſantem multa hominem, & cauſas morarum non ab ſe profectas, ſingillatim inceptantem exequi: abrumpens Pater: *Omitte*, ait, *iſta: ne cunctationem, undecumque orta ſit, perincommodam, eius originem otiosè ſcrutando augeamus.* His dictis Scapha cum Navarcho conſcenſa, Navem adit, locum explorat: ſepoſitum ſibi, iuxtà

121 Oneraria Portuenſis Vlyſſiponem appellit gravi periculo defuncta.

con-

conventa, reperit, dimidium ſpatium. Reliqua repleverant Vectores plures, cum ſuis quique Sarcinis, ac mercibus. Illicò, Fabris adhibitis, dirimi ſepto tabularum ſuam ab alia partem imperat. Mox Vaſconcelium conveniens, oblatæ benignè tranſmiſſionis omniũ ſuorum gratias agit: gaudere ſe, adiungens, quòd, pridem à ſe conductæ ſero tandem adventu Onerariæ, partem nunc maximam poſſet iſtius beneficij remittere. tres tantum & viginti Socios ſibi opus eſſe in Claſſe regia locari: ſe ſe cum undequadraginta reliquis, in S. Iacobi Nave futurum. Probans ea Prætor, Patrem rogavit, ut ex iſto Sociorum Claſſi regiæ committendorum numero, tres ſeponere, ne gravaretur, natu maiores, ea viros gravitate ac ſapientia, quibus rectè commendaretur Orphanarum cura. Nimirùm admonitus ab Azevedio è Braſilia reduce, prout eſt indicatum ſuperiùs, Sebaſtianus Rex, de neceſſitate ſupplendarum illic Coloniarum, conquiri toto Regno curaverat otioſam plebem. Reperti ad hoc apti col-

122 Orphanarum, quæ in Braſiliã mittebantur, cura tribus è Societate cõmiſſa

lecti-

lectique fuerant Iuvenes non pauci, periti variarum artium: quos Vasconceliana hæc ipsa vehebat Classis. His, ubi attigissent Brasiliam Patres illic familias futuri, ne forte in illa paucitate Lusitanorum, sui generis Coniuges deforent, Virginum item inopum eòdem simul invehendarum haberi delectum Rex idem mandaverat. Et commodùm talium Parentibus orbarum, maiorem, quàm optari fas fuisset, copiam nupera calamitas pestilentiæ toto Regno grassantis effecerat; aliquot millibus Patrum Matrumque familias absumptis. Istiusmodi sortis Puellarum aliquot centuriæ unam Classis regiæ Navem compleverant. His custodiendis, erudiendis, & Sacrorum administratione iuvandis, Azevedius, Prætoris, ut dictum est, rogatu, optimum & prudentem nostræ Societatis Sacerdotem Franciscum Castrium, prætereaque duos paris religionis & maturitatis imposuit. Viginti alij, præfecto reliquis regendis, uno ex ipsis, P. Petro Diazio, Navem prætoriam conscenderunt. Cui mox, sequentibus

123 Viginti Socij Navem Prætoriam conscendunt.

bus

bus ſeptem alijs, vento proſpero ſolventi, octavam ſe adiunxit S. Iacobi Oneraria, vehens vnà cum Socijs novem & triginta, ipſum quadrageſimum Azevedium.

II. In hac ille iuſti Societatis Collegij quandam velut formam, cunctis recti ordinis ac diſciplinę perfectam numeris, inſtituit. Clauſi prorſus & ſeiuncti ab Externis, impervio ſepto, univerſi degebant: deſcriptis intùs, pro loci anguſtia, humilibus & arctis cuique cellulis. Has extrà, Triclinio communi ſpatium patebat quoddam exceptum. Stata intra id ſeptum tempora, Orationi, Lectioni, Pſalmodiæ, operi manuum, cibo ſimul ſumendo, ex uſu religioſæ conſuetudinis ad ſignum nola editum, dabantur. Suis horis, mane ac veſperi, per oſtium à Ianitore cuſtoditum, ad pietatis aut miſericordiæ opera prodibant. Focus eſſe unicus in Navi ſolet. Eius cuſtodiam, curamque, cum onere adminiſtrandi rem coquinariam in uſum Navigij totius, ſuæ Ignatius Cohorti exceperat, materiam captans exercen-

124 Azevedius cũ 39. Socijs in S. Iacobi Oneraria formam religioſæ Domus inſtituit.

darum humilitatis ac caritatis. Ibi, ſuis ille ac ſuorum manibus, cibos univerſo Comitatui coquebat, condiebatque ad cuiuſque præſcriptum. Temperatos paratoſq; Vectoribus ac Nautis inferebant Noſtri, ſtatuto tempore. Ægrorum omnem item providentiã ſibi aſſumpſerant: ijs levandis, alendis, medicandis nullam ſedulæ induſtriæ diù noctuq; partem omittentes. Quotidiè, antemeridianis horis, progreſſus in foros Navis Azevedius ad congregatos univerſos, quos opus non diſtineret neceſſarium, à ſupremo Navarcho uſque ad infimum Calonem, Lectionem catecheticam habebat: tanta ſimplicitate à cunctis auditam, ut ipſi Præfecti ac grandes natu, viri nobiles, interrogari gauderent, & oſtentata reſpondentibus appoſitè, præmiola icuncularum, aut globulorum, avidè captarent. Addebat exhortationem ad virtutum praxim, præſertim mutuæ caritatis; increpationemque vitiorum, Ebrietatis maximèq; Blaſphemiæ, maledicentiæ, ſcurrilitatis, obſcœnitatiſque verborum. Sub veſperam, in pa-

125 Nautas & Vectores ad virtutem excitat, à vitijs deterret.

pari omniũ Conventu Litaniæ B. Virginis & omnium Sanctorum à Noſtris Symphoniacis, adhibita Pneumaticæ machinæ, quam in Braſiliam portabãt, organica conſonantia, cantabantur. Feſtis ac Dominicis diebus, quia tunc nondum inventa, prout nunc eſt, ratio fuerat ſacri Miſſæ Sacrificij, citra periculum irreverentiæ, in Navi celebrandi; ſimulacrum certè tam ſalutaris Myſterij Azevedius, cerimonia pompaque quàm ſpecioſiſſima, repræſentabat. Summo primùm manè Aram erigi à Fratribus curabat, in ſupremo Navigij tabulato, ad Mali primoris pedem. Ei mundiſſimis inſtratæ linteis, frontali prætentæ textus auri & blattæ, opera phrygionica, decoro (cuius generis ſacræ veſtis pretioſam ſupellectilem ornandis Braſilicis Templis, è Regis ac Procerum Liberalitate corrogaverat) Candelabra nitida, cum cereis ardentibus, medio Chriſti in Cruce morientis ſigno, impoſita proſtabant. Stata hinc hora, congregatis ad æris campani ſonum univerſis, admovebat ſe Altari ſic ornato, non mi-

nùs ipse splendide insignis Liturgica Penula Sacerdos, Sacrumque solemni ritu, famulantibus pari cultu, Diacono & Subdiacono, interposito legitimis intervallis concentu Chori musico, peragebat, citrà consecrationem Panis ac Calicis. Perpetrata umbratili, sed utili ad pietatem excitandam functione, Idem exutus extima Chlamide, linteatus Expositionem perorabat paulò ante pronunciati ex Evangelio commatis; sumpta semper inde occasione incitandi Auditores ad puritatem morum, fugam expiationemque peccatorum.

126 Pari modo in alijs Navibus Exteri à Patribus iuvãtur, fructu inde secuto maximo.

III. Hæc eadem in alijs duabus, ubi erant, Navibus, sic iussi ab Azevedio Socij Cæteri, pro loci & Comitatus opportunitate, sedulò curabant: miro ubique successu. Satis constat, supradicare deinde solitos, qui diù superfuerunt, eius cursus comites; Asceticì magis Cœnobij severam speciem, quàm mixti ex Nautis, Militibus, Institoribus, & promiscuo Populo Contubernij, vulgarem licentiam, in illis tunc maritimę commeationis Societatibus

tibus obſervatam. Negant oculati horum teſtes, quemquam in Nave Azevedij, iurare, iurgari, obtrectare, laſcivè loqui, auditum. Nemo illic Aleator viſus, nemo Lector peccare docentium Fabularum; qualibus tædij delinimentis ſe plerumque oblectare Navigantes ſolent. Senſerant enim omnes iſtarum perniciem remiſſionum, non ex concionibus modò quotidianis, ſed & è familiari ſermone Azevedij: qui blandè ſe inſinuãs in circulos confabulantium, pijs omnes narratiunculis mulcebat, artes relaxandi citrà Dei offenſam animi varias monſtrans. Singulos etiam interdum privatis detinebat alloquijs ſalutaria ſuadens. Et erant eius iſtiuſmodi congreſſus tam amabili conditi comitate, ut facilè omnes quò vellet traheret. Itaque ultrò ad eum teſſeras, luſoria folia, impuros codices, amatorias nugas ſigmentis inſidiosè dulcibus facinorum heroicorum, maleſuadæ lenocinio facundiæ, intexentes; quales vulgò *Romanzios* appellant; impudicos item verſus, & tabulis expreſſas nudita-

127
Libri noxij & inſtrumenta nequitiæ ultrò abiecta.

ditates, ſimiliaque inſtrumenta vel irritamenta nequitiæ, multi reſipiſcentes detulere, arbitrio ipſius abolenda. Nec ſemel is eſt conſpectus, faſces totos quiſquiliarum iſtiuſmodi, flammis abſumere, cineremque in fluctus ſpargere. Vice horum diſpertiebat ex parata copia, ſalubres lectu libellos, horariarumque precum pia volumina eleganter compacta. Quoſdam etiam ſalutaris Lectionis Libros, quorum minus multa exempla ſuppeterent, in quibus fuit, opus noſtri Ribadineiræ, inſcriptus: *Flores Sanctorum*, expoſitos relinquebat in loco publico, ad uſum obvium fortè vacantium opere Vectorum. Eò quinetiã proceſſit parta ipſi apud ſummos æquè infimoſque cuiuſvis ſortis atq; ordinis Comitum, gratia & autoritas, ut ea fretus non dubitaverit, Milites quoque ac Mercatores, ad vulgò inuſitata, quæ ſuis Novitijs ac Fratribus eximiè tradebat, Exercitia religionis invitare. Quo in genere reperio: congregatis ipſum aliquando univerſis eadem ſecum vectis Navi, ſorte diſtribuiſſe ſchedulas ſcri-

128 Lectio piorum Librorum & religioſa Exercitia in uſũ ſæcularium inducta

ptum

ptum habentes nomen cuiuſpiã Cœlitum publicè ab Eccleſia cultorum; quem is cui obtigiſſet, cum in rectè operandi exemplar ſibi proponeret, tum in vitę Patronum,& Protectorem adoptaret: certis, quos docebat, quotidianæ venerationis & invocationis eum ſibi propitians ritibus. ne quos porrò, quæ comitari infamareque apud ſæculares Aſceſim ſolet, triſtitia offenderet, procurabat ſimul cunctis interdum innoxia oblectamenta: quorum unius participes fuere Naves etiam cæteræ, curſum eundem modica inter ſe diſtantia tenentes. Primis horis ſerenarum Noctium, iubebat Azevedius Franciſcum Magallanem, Alvarum Mendem, Franciſcum Perem Godoium, tres è Noſtris Iuvenes voce canora præditos, & artis Muſicæ peritos, conſcendere in Editiſſimum Puppis ſuggeſtum, ibique ſub dio pia cantica modulari ad ſonum Citharæ (nam erant ijdem fidicines optimi) latè differebatur, ſudo & tranquillo aëre, per nocturnum ſilentium, gratiſſimus concentus: tanta Claſſis univer-

129 Pia cantica utiliter adhibita.

ſæ

ſæ voluptate, ut ſe Iacobææ certatim Navi aliæ admoverent quàm poſſent proximè: omneſque faterentur, liquefieri ſibi animos blanda dulcedine: cœleſteſque affectus divini amoris, verbis inditos carminum, per iſtam Sirenicam harmoniam, altiſſimè in ſenſus intimos illabi.

IV. Nonis ipſis Iunij Vlyſſipone ſolverant. octiduo poſt, Idibus Menſis eiuſdem, Materiam Inſulam incolumes univerſi tenuere. Excepti Noſtri ſunt in Collegium Societatis, quod nuperrimè Sebaſtianus Rex in primaria Inſulæ Civitate condi mandaverat: quam ad rem curandam ante duos fermè Menſes, Patres Emanuël de Siqueria; Melchior de Oliveria, & Petrus Coreſma ex Valroſano Sociorum Azevedij convictu, delecti à Moderatoribus Provinciæ, præmiſſique illuc, advenerant. Hi longè ultrà illas initiorum anguſtias dilatato caritatis ſinu, Fratres dulciſſimos amplexi recrearũt, cumulata clariſſimis indicijs religioſæ benevolentiæ hoſpitalitate. Et fuit opportunus tot Operariorum zelo apoſtoli-

5. Iun.

13. Iun.

130 In Inſula Materia Azevedius cũ Socijs Apoſtolicè laborãt,

ſtolico flagrantium in locum iſtum occurſus, qua commodùm tempeſtate, ad participandam Iubilæi à B. Pio V. Summo Pontifice conceſſi, tunc fortè ibi primùm promulgati, gratiam, magni undique fiebant illorum Inſularium concurſus. Horum audiendis confeſſionibus Azevedius, & qui ex eius comitatu Sacerdotes erant, multam & valdè probatam operam dederunt. Cæteri concionibus ad congregatas multis locis Multitudines habẽdis, excolendaque catecheticis Lectionibus rudi ætate ac Plebe, non minùs ſtrenuè fructuosèque inſudarunt: eò ſe dociliorem novis Advenis populo præbente: quòd nullos, niſi ferè quæſtus avidos, & lucris commerciorum inhiantes, dudùm aſſuetus è Continenti excipere Hoſpites, hos tanto numero, tam florenti iuventute, mirabatur, adeò non cupidos parandarum opum, ut patrias ultrò hereditates abdicaſſe pleroſque ſatis ſciret, ſpretiſque Dei cauſa Patrimonijs, & Matrimonijs, per aſpera incommoda vitæ inopis ac duræ, occaſiones fundendi pro Chri-

ſto ſanguinis trans Maria, inter infeſtas Oras ferarum Gentium, ire captatum. Incendebat prætereà, ut fit, ſtudia religionis in Plebe, ingruens timor: ex multis tunc undique nuncijs rumore increbreſcente vagantis per finitimas Canarias Piraticę Claſſis Gallorum Hæreticorum; à quibus, exſcenſione uſpiam facta, captos abductoſque Indigenas aliquos, ſubinde docebant allatæ notorum nominum ex Inſulis Teneriffa, Forteventura, Gomera, alijſque finitimis Literæ. Solicitudinem ea res meritò incuſſit, tum Vaſconcelio Prætori, cui officium incumbebat providendi ne quid ijs locis tali occaſione Reſpublica Luſitanica detrimenti caperet: tum privatim Azevedio, quem ſua ſatis prudentia monebat: quanta cura ſervari oporteret, tot generoſos Societatis Alumnos, ſuo ductui ac gubernationi creditos, in tantam ſpem Braſilicæ Provinciæ, talis ſubſidij egentiſſimæ. Antequam refero quid uterque in tali caſu conſilij ceperit, operæ pretium fore video, de Gallis iſtis Piratis, quinam fue-

131 Claſſis Piratica Materiæ Incolas terret.

fuerint, unde processerint, quo studio instincti, quid secuti, hæc præ cæteris Maria latrociniis infestanda delegerint, prout inquisitione longa & acri, ex idoneis comperi Autoribus, ordine hic deinceps ac breviter dicere.



DE VITA ET MORTE IGNATII AZEVEDII ET SOCIORVM

LIBER III.

CAP. I.

Rupellensium Hæreticorũ peculiares Odij causæ in Iesuitas, præsertim Brasiliæ Cultores.

I. IAcobus Soria (quem alij *a* Ioannem Soram nominant) Gente Normannus, Patria Augensis, quas pestes è Schola Calvini adolescens hauserat, phanaticum odium Religionis, & protervum legitimi omnis Imperij contemptum, Iuvenis iam & Vir ad Ecclesiæ Catholicæ & Regni Fran-cici

a. Thuanus Mezeræus.

1 Iacobus Soria educatus in Calviniana Hæresi Regi rebellis, præficitur à Colinio rei maritimæ.

cici exitium contulit, præferoci audacia factis immanibus ostensa, per primam & alteram Rebellionem Hugonotticæ Factionis adversùs Christianissimos Reges, Franciscum Secundum, & Fratrem successoremque huius nonum istius nominis Carolum. Hinc fama celebrem, & per eam gratiæ Perduellium admotum, Amiralis Colinius, Signifer Partium illarum, idoneum censuit quem pro se præficeret Classibus ductandis; quippe, super dotes cæteras, assuetum Militiæ navali, cuius in natali solo, maritima Provincia, usum à puero peritiamque adeptus haud vulgarem ferebatur. Gesserat similem inter Rupellenses maritimę rei Prçfecturam Turrius Castellerius, usque ad principium anni
1569. undeseptuagesimi sæculi huius: quando is, unà cum Principe Condæo, Duce Factionis, occubuit Iarnacensi prælio. Successit in Sectæ Principatum Condæo Puer Henricus Rex Navarræ, cuius Mater Ioanna, filij per ætatem administrationi rerum inhabilis, partes occupans, ad commendatio-

nem

nem Colinij, amplo Diplomate Iacobum Soriam, loco nuper defuncti Turrij, suum toto Mari Thalassiarchum declaravit. Et festinavit ille suæ in novo munere industriæ specimen edere, Rupella statim egressus cum Classe armata, qua primùm occurrentes, in conspectu Oræ Armoricæ, è regione Bresti Vrbis, Lusitanas Naves aliquot aggressus expugnavit, captasque Rupellam duxit, gloria sua ingenti, nec quæstu minori, cum communi Rebellium illorum, tum suo proprio. Captos inde interrogans, Vlyssipone recentes, cum Vasconcelium illic nominatum Brasiliæ Prætorem, comperisset Classem armare, qua proximo vere in suam se Provinciam conferret, magnumque secum illuc Iesuitarum numerum duceret, consilium cepit Canarias Insulas petendi, quà iter illi esse necessarium sciebat: non desperans rei benè gerendæ aliquam indè sibi nasci occasionem posse. Erexitque ferum animum ad fiduciam operępretij maioris, præda obiter facta duarum Venetarum Navium; pretiosis onustarum

Thuanus lib. 43. pag. 905.

2 Duas Lusitanas, totidē Venetas Naves capit.

Thuan. lib. 45. pag. 939 rum ex Anglia mercibus, quas pace publica ſecuras, fraude indeptus, traxit intra Portum Rupellenſem: ubi miſeros illos fruſtrà implorantes ius Gentium, de ſibi ſimilis Conſilij illic publici ſententia, crudeliſſimè deprædatus eſt; Onerarijs ambabus cum omni complemento & armatura, Fiſco addictis.

II. Hæc illi auſpicia fuere Canarienſis curſus, ad quem Rupella ſolvit
1570. ſub Menſem Aprilem anni huius. Roſtrata vehens ipſe ingenti, trecentis inſeſſa bellatoribus optimeque inſtructa; quatuor alijs, paulò minoris formæ, peræque armatis, inſequentibus. Scio, fore non paucos qui in veſtigatione cauſarum huius Expeditionis piraticæ, ultrà ſacram auri famem, & immanem prædandi dulcedinem, procedendum negent. Tamen Ego ſi dixero: væſanum inſuper ſtudium promovendi Calviniani Dogmatis, & ſanguinariam libidinem ulciſcendorũ qui ei adverſarentur, proprijs quoque ad id conſilium momentis inclinaſſe Colinium & Soriam, non verebor ne

3 Cum quinque Navibus versùs Canarias Inſulas Rupella ſolvit.

re-

reprehendar, ut temerè locutus, à prudenti æstimatore rerum, qui æqua iudicij lance modò referenda perpenderit. Affirmat Iacobus Augustus Thuanus, *a* nobilis Historicus istorum temporũ, Nicolaum Durandum Villagagnonem, cum anno huius sæculi quinto supra quinquagesimum à Rege Christianissimo Carolo IX. facultatẽ impetrasset Coloniæ Gallicæ fundandæ in aliquo nondum à quoquam occupato Americę Littore; ad Ostium Fluminis Brasilici Gẽnabari dicti (Lusitani Ianuarium appellant) navigare decrevisse, animo Sedium sibi suisque illic figendarum. Ad hoc & inchoandum & promovendum, cum plurimum egere se videret propitio favore Gasparis Colinij, per ea tempora Franciæ Amiralij; hoc est, supremi sub Rege Moderatoris Navalium omniũ Expeditionum, hanc eius suo isti cepto conciliandæ gratiæ rationem inivisse. Sciebat Colinium occultè favere Calvinistis, quales iam tum erant per Galliam plurimi. Ei ergo secretò adito, promisit: si eius ope ac præsidio

a. Lib. 16 pag. 342

4 Villagagno Colinio promittit stationem securam Caluinianæ Hæresi in Brasilia.

con-

consilium sibi Gallicæ Coloniæ in ista, quam ad eam rem opportunissimam certis autoribus cognorat, regione Brasilica condendæ, secundùm vota procederet, daturum se operam, ut nova Calvini circa Christianum Dogma sententia, & consentaneè ad illam ab eodem instituta Disciplina, in illis Partibus propagaretur. Lætus gratissima sibi propositione Colinius, prolixè pollicetur quæ petebantur. Propenso igitur Amiralij favore armatis Villagagno duabus Navibus, & una Oneraria, cum numeroso Nobilium & Fortium comitatu virorum, Francis-
14. *Aug.* scopoli solvit XIX. Kal. Septembres
1555. anni modò memorati; & satis felici trimestri navigatione ad Ostium Fluminis Ianuarij pervenit Idibus Novẽbris. Ibi exscensione facta, conciliatis sibi animis Indigenarum, promissione auxiliorum adversùs Lusitanos, cum quibus illi bellabant, occupavit præsidio, munivitque operibus quandam tribus inde passuum millibus distantem Insulam, cuius à se structæ Arci à Colinio Patrono, Colinij Munimenti

5 Occupat Insulam ad fauces fluminis Ianuarij, & Arcem ibi construit.

nomen fecit: ipſa Inſula Villagagnonia eſt appellata. Statim ab his ita geſtis, expedit ad Colinium Villagagno Mioparonem cum Literis accuratè deſcribentibus Situs feliciter occupati opportunitates ad deſtinati effectũ Operis; & ut eius ad ſubmittenda ſibi ſupplementa & adiumenta neceſſaria ſtudium incenderet, ſpem coràm factam ſcriptò iterùm firmavit, Purioris Religionis (ita Calvinianam appellabant Hæreſim) in iſtis proſperè Regionibus ſerendæ ac colendæ; petijtque, ut ſibi per eum liceret, Theologos Sectæ Novæ, Magiſtros illic futuros, Geneva evocare. Annuente perfacilè Colinio, dedit anno ſequenti 1556.
Villagagno ex ſua Inſula Braſilienſi ad Ioannem Galvinum Hæreſiarcham, Genevæ tum degentem, Literas, Novæ ſuæ Doctores Diſciplinæ ad ſe mittere ne gravaretur, orans, adiunctis eo-
6 dem Colinij precibus; Calvinus re cum Symmiſtis communicata, volentes eò delegat Petrum Richerium, & Gulielmum Quadrigarium; quibus ſe comites addidere complures, & in ijs Ioan-

6 Calvinus Geneva, quoſdam è ſuis mittit ad Villagagnonē in Braſiliam.

Ioannes Lerius Heduus, omnibus Ducem ſe præbuit Philippus Corquillerius Pontius, qui ſe profitendæ liberè Calvini Hæreſis cauſa, Genevam contulerat; homo Colinio notus, ob idque à Colinio ipſo, ut huius negotij curam ſuſciperet, per literas rogatus. Cum ij Caſtellionem ad Loniam Colinium in Gallia conveniſſent, acceptis ab eo literis Honflorium profecti ſunt; ubi à Boſio Villagagnonis Sororis filio, in eam rem ab Avunculo miſſo, humaniter excepti, cum tribus
19. Nov 1556. Navigijs egregiè inſtructis XIII. Kal. Decembris ſolverunt: & pridie No-
6. Mart. 1557. nas Martias inſequentis anni Colinium Munimentum incolumes tenuere. Statim poſt horum appulſum, Villagagnone præeunte, Eccleſiæ illic forma conſtituta eſt ritu Genevæ recepto, & celebrata etiam Calviniſtica Cœna, cui Villagagno ipſe interfuit XII. Kal. Aprilis. Sed cum poſteà controverſia ſuper ea re inter eos incidiſſet, remiſſus in Galliam eſt Quadrigarius qui Calvini ſententiam exquireret. interea ex controverſia illa ortis

7 Hæreſis Calviniana in Inſula Villagagnonis recipitur. ſed pauló poſt eijcitur.

ſimultatibus, Villagagno à Cardinali Lotaringo, uti creditur, per literas monitus, Genevenſes Miniſtros malè à ſe habitos dimiſit. Hæc innuens Noſter Gaulterius in Chronico ad annum 1555. ſic ex Genebrardo ſcribit: *Miniſtri Calviniani ſe ſe Catholicis in itinere Americano Nicolai Villagagnoni immiſcentes, nihil inde niſi ignominiam & confuſionem reportarunt.*

III. Hæc verbis fermè totidem Thuanus: quibus quæ Annales Luſitanici conſentanea memorant, ad pleniorem rei notitiam utile fuerit adiungere. Quæ igitur de Gallorum adventu in Fluvium Ianuarij, deque geſtis illic rebus, ſparſim in Luſitanorum Monumentis leguntur, hæc ferè ſunt, ſub unum aſpectum breviter collecta. Venit Claſſis Gallica, & exſcenſu facto locum occupavit ac munivit ad Oſtium Fluminis Ianuarij, fœdere cũ Thamuis Luſitanorum Hoſtibus inito, anno Chriſti 1555. Triennio poſt appulit eòdem alius Exercitus Gallorum Duce Nicolao Villagagnone. Atqui venerat iam hic anno 1555, ut ex Thua-

Simon Vaſconcelius in Chronic Braſ. l. 2 pag. 183 Idem pag. 204

8 Villagagnonis in Braſiliam adventus ſerius Luſitanis cognitus.

Thuano retulimus, cui Gallo de Gallis ſcribenti tutiùs, opinor, creditur. Exiſtimo ignoraſſe Luſitanos Ducis illius adventum, toto triennio, quo ille maniendæ ſuæ intentus Arci, multum extrà non prodijt: & tunc demùm illius præſentiam ſenſiſſe, quando Boſius ejus ex Sorore Nepos, ſecundum illi commeatum, tribus magnis Navigijs, pertulit. Anno inde ſæculi quinquageſimo octavo Luſitani referunt transfugium Ioannis Bolæi ex Caſtris Villagagnonis in Coloniam Luſitanam S. Vincentij, cuius occaſionem fuiſſe aiunt zelum Villagagnonis Catholici Ducis, (quem valdè laudant iuſtitiæ, honeſtatis, & continentiæ nomine) adversùs hunc Hæreticum deprehenſum, ad quem malè mulctandum cum ſe accingeret, ille ſibi metuens fugit, treſque ſimul alij pariter Hæretici, qui diſſimulantes ſuam Hæreſim, à Luſitanis, uti transfugæ, ſunt recepti. Congruunt hæc cum relatis ex Thuano ſuperiùs, ubi eſt indicatum: Villagagnonem, Cardinalis Lotaringij literis increpitum, quòd homo Catholicus, & Eques

9 Villagagno à Cardinali Lotharingo correctus reſipiſcit.

Eques Hieroſolymitanus, palàm Hæreticos foveret, Pſeudotheologos Geneva miſſos abegiſſe. quando, cum alij Nave conſcenſa versùs Galliam ſolverunt, Bolæus è grege illorum unus, hærere in Braſilia decrevit, & experiri, ecquid inter ipſos Luſitanos poſſet Genevenſe Dogma ſpargere: quæ ſpes ipſi non planè in irritum abijt. Nam, quod narrare pergunt ijdem Annales, cum eſſet Bolæus Lati- *Pag. 221 & ſeq.*

10 Bolæus ſerere inter Luſitanos Calviniſmum conatur.

nè, Græcè, & Hebraicè doctus, Libroſque Canonicos utriuſque Teſtamenti in promptu haberet, multa paſſim ex his teſtimonia recitans; diſertiſſimus præterea lingua Caſtellana, ingenijque dextri ac vafri, libenter audiebatur à Luſitanis, & clanculum quidem ac parcè, tamen ita ut Prudentiores adverterent, Calviniana incautis venena propinabat. Curam Sanvincentianæ Coloniæ peculiarem gerebat P. Ludovicus Grana. Sed cum hæc agerentur in Piratiningano, versùs Mediterranea, Collegio, Barbarorum inſtitutioni vacabat. Ad eum illuc defertur novi Hoſpitis adventus:

deque

deque dictis eius ambiguis & gratia, ad plebem ea nunciantur, quæ solicitudinem incuterent. Omissis repentè omnibus, in Vrbem S. Vincentij advolat. Reperitque Bolæum concionantem, attentèque auditum à densa rudis Populi multitudine. Granam conspicatus novus Doctor, argumento mutato in eum invehitur, plausibiliter obiurgans; quòd qui Pastor illic diceretur Animarum, Grege suo derelicto, peregrè vagaretur: cum Paulus Apostolus primam Evangelico Ministro Domesticorum curationem iniungat. Non fuit difficile Granæ absentiam purgare. Inde ad explorandum versus, multa Bolæum publicè ac privatim subdolè iecisse comperiebat placitis Hæreticorum affinia. Horum ille perniciem quà singulos alloquens, quà è Sacro pulpito perorans, haud perfunctoriè monstravit: in Bolæum interim eiusque ac trium Comitum dicta factaque, acrem vigiliam intendens: quos non obscuris indicijs cognovit, ita Catholicam simulare Religionem, ut non desisterent Dog-

Ad Gal. VI. 10.

11 Deprehenditur à P. Ludovico Grana Provinciali Brasiliæ.

mata

mata eius ac ritus obliquè perſtringere. quin & inſidiari ſibi ipſi. nam ei obrepere blanditijs Bolæus interdùm conabatur; & profeſſus communionē Romanæ fidei; tamen quaſi conſulens Magiſtrum, argumenta proponebat è ſacris Literis, quæ ſatis ille ſentiebat, ad ſe implicandum & pervertendum adhiberi. His uſu dierum plurium Grana compertis, occurrendum seriò putavit graſſanti clàm Peſti. Ergo die quadam dum è ſuggeſtu in Eccleſia doceret, conſpicatus advenientem Bolæum, omiſſis quæ tractare ceperat, de Calvini iam damnatis à Sacro Tridentino Concilio, latè diſſeruit erroribus, ſingulos validè refellens, Populumque graviter admonens, ne ſe cuiuſquam fraude in perniciem allici sineret. Tum enimvero detectas ſuas artes Bolæus ſentiens, privatim Granam adit, pœnitentiam ſimulans quorumdam à ſe imprudenter, uti fatebatur, ac temerè dictorum: at deinceps in profeſſione veræ fidei conſtantiſſimè perſtiturum deierans. Poſt quæ nihilò tamen ſeciùs audiebatur,

in-

insinuare se in familiaritates incautorum, & adversus Invocationem Sanctorum, autoritatem Romani Pontificis, Præcepta Ecclesiæ, ac ritus Sacros, blaterare quæ turbandis Simplicium mentibus valerent: simulque Patres in invidiam vocare: Granæ præsertim obtrectare, ut semidocto: quem, aiebat; si congredi secum auderet, se manifestè redarguturum. Talia certis confirmata Testimonijs, cum in Vrbem Bayensem, ad residentem illic Brasiliæ Episcopum, Petrum Leitonium delata fuissent, is cōfestim comprehendi Bolæum, ipsiusque tres Socios, ac teneri Custodia præcepit. Ex his unus omnia fassus, bona fide eiuravit Hæresim, ibidemque vitæ reliquū inter Lusitanos laudabiliter confecit: Bolæus excussa iam simulatione, palàm profitens Calvini Sectam, obstinatus toto novennio in Carcere perstitit, quoad anno demùm septimo supra sexagesimum & sesquimillesimum, in Vrbe S.Sebastiani, ad Flumen Ianuarium, dum illic esset Azevedius, iubente Mendo Sà Prætore, capitali

12 Delatus ad Episcopum Brasiliæ, huius iussu in Custodiam traditur.

Chronic Brasil. pag.371 1567.

palàm affectus supplicio est; postquã tamen, opera & precibus viri venerabilis Iosephi Anchietæ, cui cura infelicis illius ad mortem piè obeundam comparandi fuit demandata, Deo tandem cæcam mentem illuminante, resipuerat, multis veræ pœnitentiæ datis indicijs.

13 Post novem Carceris annos suspendio necatur.

IV. Nihil horum Rupellæ ignorabatur cum est inde Iacobus Soria profectus. nam eò, eiecti à Villagagnone Genevenses Magistri, redierãt: & narrationes de his scriptæ à duobus istorum comitibus Ioanne Lerio, & Andrea Theveto, quarum meminit Thuanus, omnium manibus terebantur; præterquam commercio vulgato, nuncij eorum quæ in dies fierent subinde appellebant. Nec dubium videtur quin acrem ista indignationẽ Colinio moverint, curamque adiecerint ulciscendi sanguinis suorum. Nam præter Bolæum quinque aut sex alij Galli Calvinistæ, propter Hæresim & Rebellionem illic suspendio necati ferebantur. culpa invidiaque horum omnium in Iesuitas conferebatur. de-

Lib. 16. pag. 343

14 Hæc Rupellæ cognita iram illic in Iesuitas Brasiliam excolentes moverũt

delatione ipſorum atq; opera captum interfectumque Bolæum: eorumdem ſuaſu expugnatum Colinium Munimentum, eiectos Inſula Villagagnonia Gallos Calvini Sectam Diſciplinamque profitentes; exciſamque funditùs Coloniam in qua procul à Regum armis, Pontificum minis, nova Religio ſecurè exerceri, latè propagari potuiſſet, paſſim fremebant Rupellenſes. Quod ſi perduellis illa Reſpu-
1569. blica, ſuperiori anno duobus magnis prælijs Iarnacenſi ac Moncontorienſi à Chriſtianiſſimi Regis Exercitibus victa fractaque, ijs tunc fuiſſet opibus, ut Claſſem armare pellendis Braſilia Luſitanis parem poſſet, non equidem ambigo quin tentaturi hoc iam tempore fuerint, quod poſt annum ab hoc quartum decimum ſunt infeliciter aggreſſi. Tradit enim autor *a* idoneus Rupellenſes anno Chriſti quinto & nonageſimo ſupra ſeſquimilleſimum ornatiſſimam & numeroſiſſimam Claſſem deſtinaſſe in Braſiliam, cum mandatis, Vrbem S. Salvatoris ad Bayam ſitam, Metropolim illic Luſitanicæ Di-

a. Georg. Forn. in Hydrog. lib. 6. c. 21. pag. 254. 2. Ed. 1595

15 Iis intercipiendis Soria mittitur.

tionis, expugnandi. Interim, quod solùm licuit per angustias præsentes, expeditus in Canarias cum Navibus quinque Soria est, insidiaturus Vasconcelij novi Brasiliæ Prætoris illùc tendenti Classi, de cuius apparatu ex paulò ante captis in Mari armorico Lusitanis cognoverant. qui quoniam insuper referebant magnum numerum Iesuitarum istis Navibus in Brasiliam deferri, valde est verisimile, adiecta quoque mandata de illis perdendis, quos uti pertinacissimè ubique & efficacissimè obstantes suæ novæ Religioni, pessimè oderant.

V. Est hoc necessariò animadvertendum ad intelligendam rationem discriminis, quo usum hac Expeditione Soriam constat, inter Professores aliorum Sacrorum Ordinum, & Religiosos Societatis Iesu. Nempe cum Is versus Materiam Insulam navigans obiter potitus esset Myoparone Lusitano, quales illic Caravelas vocant, repertos in eo Patres Franciscanos duos innoxiè habuit. quòd, falsò licet ac temerè, fortasse arbitraretur, eos etsi

Catho-

Catholicos Sacerdotes, haud adeò ardenter & implacabiliter infestos ipsorum Hæresi, ac esse Iesuitas, omnes ubique Calvini Sectarij fremebant. Sanè id fuisse persuasissimum Calvinistis per Galliam omnibus, notissimum ibi est, & innumerabilibus probari testimonijs potest Scriptorum cuiusque generis Gallorum. Ego Italum quoque de hoc testem oculatum & auritum dabo. Habeo penes me quosdam Lucæ Pinelli nostræ Societatis Professi Commentarios, quos scriptos manu propria de varijs rebus quæ ipsi per vitam accidissent, Neapoli deinde moriens reliquit. Ibi narrat se circiter annum hunc ipsum in quo narrãdo versamur, à Christo septuagesimum supra sesquimillesimum, docuisse Theologiam in Mussipontano Lotharingiæ Collegio; unde cum in Italiam revocaretur, quòd Lingonensem & Lugdonensem Provincias Militibus insessas sciret, & per Alsatiam ac Pagos Helveticos grassaretur lues pestilens, necessariò sibi transeundum Genevæ fuisse. Ingressum in eam Vrbem Ecc-

16 Galli Hæretici Iesuitis singulariter infensi.

cle-

clesiæ Rebellem, veste Institutum dissimulante, tamen agnitum pro Iesuita à quodam Marchione Vico sibi olim Neapoli familiariter noto, tunc ibi transfuga Religionis Catholicæ degente, qui cum illi affirmasset: nullo suo periculo comparere ipsum in veste Societatis posse; idemque Theodorus Bæza supremus illic rerum Arbiter dixisset, tantis autoribus persuasum, resumpsisse vestitum nostro usitatum Ordini. Sic per Civitatem ambulando pervenisse ad Plateam S. Petri: ubi cum modò nominato Marchione Vico, multa eum Genevensium turba circumstetit, satis humaniter alloquens, nec sine significatione civilis honoris. Erat in circulo Vir quidam maior natu, veste Senatoria, gravitatem maturam comi vultus serenitate condiens. Is post pauca ultrò citròque interrogata & responsa, de Italia, & Roma, deque Iesuitarum Ordine: Ex abrupto conversus ad circumstantes, *Vellem*, inquit, *cum bona vestra & Domini huius Iesuitæ venia, proponere cogitationem quandam meam.* Moxque cun-

17 Quid Lucæ Pinello Geneva transeunti contigerit.

cunctis nutu faventibus, & silentio compositis ad audiendum, hæc, verbis totidem conversis è sermone, quo utebatur Gallico, subiecit: *Ex quo Lucifer è Cælo cecidit, & ex quo Ecclesia Christi esse in terris cepit, nullum Diaboli neque astutius neque perniciosius inventum extitit, quàm Institutio productioque in Mundum Sodalitatis Iesuitarum.* His dictis silente Senatore, conversisque Coronæ totius in Pinellum oculis, ille fidenter, renidenti arrisu Senem intuens: *Bona verba*, inquit, *Domine: Dicti tàm vehementis, nec mihi facilè, nec multis alijs fidem feceris. quò tua magis reor existimationis interesse, rationem cur ita sentias proferre.* Ad ea Senator supercilio subducto: *Causa hac mihi*, ait, *sic opinandi est: cum videret ringens Diabolus nostrum Evangelium inoffensis progressibus ad Mundi totius Reformationem tendere: circumspectansque Papatum universum, reperiret ibi neminem qui vel Doctrina, vel specie probitatis, Nostris Doctoribus posset opponi; hanc tandem extremo ingenij conatu excogitatam atque perfectam ex intima fraudum Stygiarum officina exprompsit machinam, novi Sodali-*

dalitij Hominum nec rudium, nec indisertorum, nec vitæ probris infamium; ad hæc audacium, versutorum, quoquoversum strenuè vagantium. &, quæ summa Sectæ nostræ pernicies est (altum hic suspirium interposuit) *gratis ubique Pueros erudientium: sicque tam altè insigentium teneris animis papisticam Doctrinam, ut nulla inde arte, nullo conatu queat evelli.* Quid his Pinellus, intrepidè ac prudenter reposuerit: quove modo repudiata conditione oblatæ Coniugis, cum annua pensione Librarum octingentarum, si hærere illic eiurata Fide Romana vellet, è Circeis illis salvus evolaverit insidijs, uti longum relatu, neque hùc pertinens, prætereo. contentus ad rem meam indicasse, quid tunc Calviniani Hæretici sentirent: nec dissimulans errasse in hoc ipsos, quatenus Nos solos sibi obsistere censebant: cum in Episcopis, in Clero, in Religiosis Ordinibus tam multi scientia & sanctimonia tunc conspicui pro virili Ecclesiam defenderent.

VI. Iam qui attenderit, quàm arcto communionis nexu adhęreret Ru-

pella

pella Genevæ, unde Magiſtros accerſebat, unde ſacra petebat, quò ſuam educandam edocendamque miſſitabat Iuventutem; haud ægrè adducetur ut credat, fuiſſe hunc utrique Vrbi communem de Nobis ſenſum, non minùs quàm alias de Religione ſententias: atque adeò Sorianæ Milites, Nautas, & Vectores Claſſis, Rupellenſes ferè omnes Cives aut Incolas, unà cum Duce ipſo, eadem imbutos opinione in hanc Expeditionem proceſſiſſe. In quo mihi aſſentiendo, ſi quis fortè ſit tardior, hæc quæſo de his peremptoria Sorianorum ipſorum Satellitum teſtimonia cognoſcat, deſcripta è Iuridicis Quæſtionis Actis (vulgò Proceſſum dicunt) apud Bayæ Vrbem Metropolim Braſiliæ, anno Chriſti ſecundo & trigeſimo ſupra ſexcenteſimum atque milleſimum legitimè habita, autoritate tunc Eccleſiam regentis Vrbani VIII. felicis memoriæ. Ibi comparuiſſe coràm delegatis à Sede Apoſtolica Cognitoribus inter alios legitur, Emanuel Fernandez Profeſſus Societatis Ieſu, Rector Collegij Bayenſis & Vice Provincialis

18 Genevenſium, & Rupellenſiũ communes ſenſus.

19 Teſtimonium ex Proceſſu Bayenſi.

cialis Brasiliæ, ac post Iuramentum & cætera solemnia, interrogatus circa XIII. articulum, dixisse: *Scire se se Ignatium Azevedium & Socios fuisse interfectos ab Hæreticis solùm in odium Fidei, quoniam id quidam ex ipsis interfectoribus eopse tempore quo cædes illa fiebat, disertè declarassent his totidem verbis*, quæ testis recitat, prout se legisse ait, in Commentario de his scripto paulò post eum eventum, in quem relata sunt, quæ excipiebantur ex ore testium oculatorum; quales multi postea pervenerunt in Insulam Materiæ, Vlyssiponem, & loca alia. Vbi quæ viderant & audierant pro testimonio dixerunt. Inter alia affirmantes auditos à se quosdam Gallos Milites in Navim S. Iacobi vi armata expugnatam ingressos, dum alij clamarent: *Numquam parcemus ulli horum Iesuitarum, quoniam in Francia concionantur vehementer contra Nos: exhortantur Regem & alios Catholicos Franciæ, ut perstent in obedientia Papæ & Ecclesiæ Romanæ.* Alij adderent: *numquam omittemus interficere quemcumque in manus nostras incidentem ex istis Iesuitis, quantumcum-*

que

que maximum pretium pro eius redemptione offerretur; quia isti in Francia prædicant contra Nos, & suis prædicationibus bellum Nobis molestissimum inferunt: & absque illis foret, iam Rex & universa Francia sequeretur nostram Sectam. essemus ijdem omnes, & nullis discidijs aut contentionibus divideremur. Ne verò hanc hisce opinionem tunc fortuitò oblatam, aut duntaxat istorum peculiarem fuisse quis autumet; paria locuti reperiuntur qui Duce Capdevilio Rupella pariter solventes, anno post hunc vertente, sæculi
1571. primo & septuagesimo, Vasconcelij Prætoriam expugnarunt. Nam & ij dum repertos illic quoque Iesuitas trucidarent, his eos compellabant vocibus, quas ex auritorum fide testium recitat Franciscus Henricius Præpositus Domus Vlyssiponensis literis Ro-
9. Decemb. mam ad Socios datis quinto Idus Decembris. Anno 1571: *Canes, Fures, Veteratores: per Vos stat quominus conspirent universi mortales atque consentiant, sublatisque discordijs ac tumultibus, tranquilla omnes pace atque otio perfruamur. Vestro scelere non modò in Germania & Gallia ve-*

cialis Brasiliæ, ac post Iuramentum & cætera solemnia, interrogatus circa XIII. articulum, dixisse: *Scire se se Ignatium Azevedium & Socios fuisse interfectos ab Hæreticis solùm in odium Fidei, quoniam id quidam ex ipsis interfectoribus eopse tempore quo cædes illa fiebat, disertè declaraßent his totidem verbis*, quæ testis recitat, prout se legisse ait, in Commentario de his scripto paulò post eum eventum, in quem relata sunt, quæ excipiebantur ex ore testium oculatorum; quales multi postea pervenerunt in Insulam Materiæ, Vlyssiponem, & loca alia. Vbi quæ viderant & audierant pro testimonio dixerunt. Inter alia affirmantes auditos à se quosdam Galios Milites in Navim S. Iacobi vi armata expugnatam ingressos, dum alij clamarent: *Numquam parcemus ulli horum Iesuitarum, quoniam in Francia concionantur vehementer contra Nos: exhortantur Regem & alios Catholicos Franciæ, ut persistent in obedientia Papæ & Ecclesiæ Romanæ.* Alij adderent: *numquam omittemus interficere quemcumque in manus nostras incidentem ex istis Iesuitis, quantumcumque*

que maximum pretium pro eius redemptione offerretur; quia isti in Francia prædicant contra Nos, & suis prædicationibus bellum Nobis molestissimum inferunt: & absque illis foret, iam Rex & universa Francia sequeretur nostram Sectam. essemus ijdem omnes, & nullis discidijs aut contentionibus divideremur. Ne verò hanc hisce opinionem tunc fortuitò oblatam, aut duntaxat istorum peculiarem fuisse quis autumet; paria locuti reperiuntur qui Duce Capdevilio Rupella pariter solventes, anno post hunc vertente, sæculi
1571. primo & septuagesimo, Vasconcelij Prætoriam expugnarunt. Nam & ij dum repertos illic quoque Iesuitas trucidarent, his eos compellabant vocibus, quas ex auritorum fide testium recitat Franciscus Henricius Præpositus Domus Vlyssiponensis literis Ro-
9. Decemb. mam ad Socios datis quinto Idus Decembris. Anno 1571: *Canes, Fures, Veteratores: per Vos stat quominus conspirent universi mortales atque consentiant, sublatisque discordijs ac tumultibus, tranquilla omnes pace atque otio perfruamur. Vestro scelere non modò in Germania & Gallia ve-*

rum etiam Brasilia, atque adeò toto terrarum Orbe prava Doctrina diffunditur. Hæc
20 Soriæ Milites de se ipsi professi sunt. De Duce ipsorum è notitijs aliunde hauftis scripsit R. P. Elias à S. Theresia, è Sacro Carmelitarum Excalceatorum Ordine *a*; *fuisse illum Hostem iuratissimum omnium Catholicorum; præcipuè verò Iesuitarum.* Vt multos idem affirmantes alios omittam. Nam possem benè longum contexere Catalogum plurium Autorum paria de illo testantium, nisi vanum videretur corrogare suffragia testium in re ipsius de quo quæritur asserto ultrò prolato & publicato manifesta. Refert Michaël Aragonius ea cuius paulò superiùs memini Epistola, perlatas in Vrbem Materiæ primariam, se illic præsente, literas Iacobi Soriæ fuisse, quibus clarè denunciabat, ad sui videlicet terrorem incutiendum: *Se se Inimicorum Evangelij à Calvino prædicati, hoc est Papistarum & Iesuitarum, capitalissimum & irrevocabiliter infestum esse Hostem; dici & haberi velle.*

Soria peculiariter infensus Iesuitis.

a. In legatione Eccles. Triũph. Tom. 2. lib. 2. pag 602.

CAP.

CAP. II.

Azevedius Divinitùs edoctus de instante sibi ac Socijs nece, solvit è Materia Insula:& Terzacortium Palmæ Insulæ Vicum appellens, à Loci Toparcha benevolè excipitur.

I. TAli odio instincti Catholicæ Religionis & Iesuitarum, attigerunt sub Maij finem Mare interiacens Canarias, olim dictas Fortunatas, Insulas, Iacobus Soria, cum suis in quinque piraticas dispertitis Naves. Prima illis cura fuit explorare de Vasconceliana, cui insidiaturi venerant, Classe, ubi locorum esset, qualium quam-

21 Piratæ Galli per causam explorandi Vascócelij Classem in Materiam Insulam exscendunt.

quamque multarum Navium, quid consilij caperet, quam viæ regionem initura putaretur. Ea cognoscendi gratia exscensiunculis in obvias Insulas captivos rapiebant, in quo cum ipsis non satisfieret à Canariensibus, nihil de his planè compertum habentibus: Insulam ipsam Materiam per aversas à Portu Oræ partes circumnavigant, & illic errantes piscatorios Lembos, quantum possunt, captant. Hoc modo constat Materiensium quosdam in ipsorum venisse potestatem: in quibus fuit ipsius Vrbis Insulæ Metropolis Ludimagister. Talium casuum alijs super alios crebescētibus nuncijs, territo, ut dictum est, Populo; Vasconcelius Ducum & Navarchorum concilio coacto, dicere singulos quid factu optimum putarent, iussit; præfatus ipse pro sua generositate magnificè, nihil se Latronum istorum occur- »
sum formidare, certum, ipsos ne con- »
spectum quidem suæ Classis laturos: »
ecquid cætera pariter in expedito esse »
viderentur ad maturum cursum, ex »
ipsis se libenter cogniturum. Hic ve- »
teres

teres Gubernatores, & quotquot alij
Experientes illic habebantur mariti- 22
marum rerum, magno consensu affir-
» marunt: haud se putare accomoda-
» tum ad prosperam navigationem sta-
» tum præsentem Cœli ac Maris. Nam
» & parùm propitiam spirare auram;
» &, in quod, transitis Canarijs ingres-
» suri essent, Æquor Guineæ obversum,
» non alio magis quàm hoc anni tem-
» pore languidissimis esse solere mala-
» cijs invium. His Vasconcelius audi-
tis, edixit, quod benè verteret, operi-
turum ergo se in tuto Portu commo-
diorem tempestatem. Id consilium
vulgatum, solicitudinem incussit In-
stitoribus multis, qui ex dimidio, Ia-
cobeæ, ut dictum est, Onerariæ Nau-
lum solverant: multasque varij gene-
ris merces eò congestas ipsi comita-
bantur, privatorum quisque secuti op-
portunitates commodorum. Non pau-
ci horum commutationes quæstuosas
in Palmam Insulam è Fortunatis unam
condixerant, ubi expectari se sciebant.
Hi frequentes ea Navarcho deferunt,
& cum ipso in partes tracto, Vascon-
celium

Lusitana Classis commodiorem tempestatem operiri in Materia decernit.

celium aditum enixe rogant: quando ei certum ſit in Portu Materiæ ſubſiſtere, ſineret ipſos præcedere in Palmam Inſulam, quà iter Claſſi univerſæ neceſſarium foret. Mora illa expedituros ſe ſe quæ inſtarent: ac deinde quandocumque Prætor iſthùc occurreret, promptos ipſos ad cum eo illicò ſolvendum, ad curſum uſque in Braſiliam reliquum, futuros. Haud placebat perito rerum Duci, Navem unam in diſcrimen Piratarum obijci. Sed ei periculũ id alleganti, tam vehementer illi precibus ingeminatis inſtitere, ut victus ad extremum ceſſerit.

23 Mercatores qui partem Onerariæ S.Iacobi cõ duxerant impetrant facultatẽ ante Claſſem ſolvendi.

II. Noſtris ſimul innotuit nova deſtinatio, deliberatione digna res viſa. Cauſæ hinc ſe offerebant hærẽdi cũ Claſſe Prætoria; quòd nihil ipſis apud Palmã negotij eſſet: ne hoſpitiũ quidem aptũ: cum Domi ſuę in Materienſi Collegio expectare decẽtiùs Claſſis univerſę diſceſſum poſsẽt. Movebat in contrariũ, commoditas iam experimento comperta ſtationis ad religionem accommodatæ in Nave Iacobea: & difficultas aptè collocandi quadraginta capita

24 Ambigit Azevedius an priùs ſolventes ſequatur cum ſuis.

in

in alijs Navigijs iam plenis. præsertim quod magni momenti Azevedius putaret, habere secum Iuniores simul omnes ad manum: quòd Tyronum fervorem facilè intepescere ad quamvis Disciplinæ relaxationem nosset. Non defuit, qui suggereret: posse Vicarium pro se ab Azevedio in Navem præcessuram delegari, Patrem è Senioribus quempiam, cum delecta maturiorum manu. Sed eius rei ne mentionem quidem primam ille admisit: palamque reclamans, asseveravit: *haud suum esse, periculi aut laboris si quid occurreret, assignare alijs, quiete ac securitate sibi servata.* In hac ambiguitate disceptationis ancipitis; morem sibi usitatissimum tenuit exquirendi à Deo consilij, ac divinam illustrationem per ieiunia, ultroque susceptos corporis cruciatus emerendi. Sic per multam abstinentiam, ciliciorumque, ac flagellorum voluntaria tormenta præparatus, quos secum habuerat in Mari Socios, 25
duxit in Templum celebris illic Religionis, situm in extrema Civitate Funchalensi, Divi Iacobi Apostoli vene- Cósulendi Dei gratia suos ducit ad Templū D. Iacobi.

ratione nobile. Confluxerunt eodem, vel ſua ſponte, vel Patris invitatu, externorum quoque Navis eiuſdem Vectorum plurimi, quos inſtantis navigationis cura ſtimulabat ad præparandũ, participatione Sacramentorum, in omne diſcrimen animum. Fecit coràm his Azevedius Sacrum, pietate, ac mentis ardore maioribus ſolito; atque, ut multis eſt poſteà indicijs cognitum, & paſſim habitum pro certo, divino afflatu inter ſacrificandum edoctus eſt, tam ſibi, quàm ſuæ illi Cohorti, necis Chriſti cauſa obeundæ conditionẽ feliciſſimam, ſingulari Dei beneficio, ſervari. Sacrificio peracto, impertitis Chriſti corpore, cum Socijs omnibus Sacerdotij expertibus, tum illis Exteris, quos memoravi: Spiritu adhuc illo plenus, quem è Sacro Altari hauſerat, flagrantiſſima incenſam caritate concionem habuit, qua vivis & cœleſti ſplendentibus lumine ſenſibus, oſtendit: longè optimam maxi- "

26 Eius ibi poſt ſacrum Concio ad ſuos.

meque expetibilem omnium, quæ cõ- "
tingere homini mortali poſſunt, eſſe "
ſortem profundendi pro Chriſto San- "
gui-

„ guinis, & vitæ, quam necessitati omnes
„ debent, Religioni impendendi. Eam
„ tam invidendam fortunam plusquam
„ regiæ coronæ, Cœlestem Patrem, suo
„ benefico placito, Gregi huic pusillo
„ destinare. Erigerent ergo animos, ac
„ cuncta humilia transgressi, consenta-
„ neos vocationi tam sublimi sensus, af-
„ fectusque conciperent. Quod fieri
„ posse palàm erat, ut in Piratarum Hę-
„ reticorum manus navigando incide-
„ rent, id tamquam certò eventurum
„ sibi proponerent. Sic enim cuiusvis
„ aleam subeuntibus periculi, faciendũ
„ prudentia præscribit, ne mali non pro-
„ visi occursu mox inopinato, turbata
„ mens titubet: ac, quod absit, occasio
„ gloriæ in casum degeneret exitij: cel-
„ sissimis apicibus pronam adiacere in
„ ima barathra declivitatem; tangenti
„ verticem, nisi arripiat fortiter, & vesti-
„ gium firmet in lubrico, subesse pe-
„ riculum ruinæ tantò perniciosioris,
„ quantò extiterit culmen erectius. Ne
„ igitur Turris Cœlum æquantis prius
„ quisquam fastigium miretur, aut sibi
„ despondeat, quàm obsecutus Evange-

lico præcepto, *ſedens computet ſumptus, ſi habeat neceſſarios ad perficiendum*. Patet quidem, unde hi promantur ſumptus, divinæ liberalitatis ærarium: ſi manus non deſint iſtiuſmodi tollendis idoneæ theſauris, ardens Chriſti Caritas, pari ſui odio, & in Deum filiali fiducia cõiuncta. Excutiat ſe quiſque, penituſque pertentet: ac ſi vitæ amorem, ſi mortis horrorem, adhuc vivos, nondũ prorsùs oppreſſos, ac planè debellatos ſentiat, recedat dum licet, nec eò temerè progrediatur, ubi conditio nulla eſt media inter Victoriam & Cladem.

Luc. xiv.28.

III. Hæc Azevedio locuto, longum inde ſilentium cunctorum fuit, flexis circum Aram genibus ſimul conſiderationi auditarum rerum, ſimùl exorando precibus Numini, opique implorandæ cœleſti in certamen ſmminens, attentè vacantium. Hinc Do-

27 mum reduces exploravit ſingillatim Azevedius, repertoſque quatuor è numero Tyronum, qui ſe ad ferendam æquanimiter necem haud paratos faterentur, libens volentes ſegregavit à

Quatuor Socij metu mortis recedunt, qui omnes poſteà à Societate defecere.

Ma-

Manipulo ſecum ituro, cæteriſque adiunxit, qui alijs in navibus venerant. Obſervatum eſt, neminem horum in Societate perſtitiſſe: quaſi aſpernato Chriſto Ieſu, eos habere vitæ Socios, qui mortis ipſi comites eſſe renuiſſent. Nec verò ſperandum fuit, quibus defuiſſet animus ad brevem patientiam momentaneæ Necis, ijs abundaturam longanimem perſeverantiam, in perferendo ad extremum iugo Religioſę Diſciplinæ; quod *Martyrium eſt*, ut S. Bernardus ait, *illo quo membra ſecantur ferro, horrore quidem mitius ſed diuturnitate moleſtius*. Cæterùm quoniam, prout multis eſt indicijs compertum, ſignificaverat operanti Sacris Azevedio Deus, velle ſe, ipſum abſumi pleno holocauſto quadraginta victimarum: ne quid legitimo iſtius quaſi Hecatombes numero deeſſet, timidis illis quatuor, totidem perſpectæ ſibi generoſitatis ſubſtituit alios, Ioannem de Maiorca, Antonium Fernandez, Alphonſum de Bayena, & quartum cuius nomen non reperi expreſſum. 28

Pro his alij totidem ſubſtituuntur.

28. Iun. Geſta hæc ſunt quarto Kal. Iulias pridiè

diè Natalis Apoſtolorum Petri & Pauli, quando annotarunt Socij omnes, longe alium, quàm qui Domo manè exierat, meridiè Azevedium è Templo, ubi Sacrum fecerat, revertiſſe. Non ille iam amplius deliberabundus apparebat, aut dubius, ut priùs, ecquid fortunam ſequeretur ſolitariè ſolventis Iacobeæ Navis; quoſve, ac quot ſecum ei Socios crederet. Ita planè ſe gerebat, quaſi qui, ut olim Moſes, cuncta è Monte manu Dei perſcripta retuliſſet. Ea vultus erat ſerenitas, ea in propoſito quies; ſed erat diſponendi de rebus, ordinandique omnia ratio, altiùs penetrantibus indicans, ita eum diſcedere, veluti, qui ſciret, ſupremam eſſe illam profectionem; nec ſe inde cum rebus humanis commercij quidquam habiturum. Manavit ea opinio per cunctos illic Noſtrorũ, ſive, ut fit, communicata minus ex ſe ſolertibus animadverſione prudentiorum; ſeu evidentia ſignorum etiam non ſagaciſſimos admonente: ſeu denique inſtinctu diviniori ciente animos; uti ſolent auguria quædam inſtãtium

29 Omnibus perſuaſum divinã obrigiſſe revelationem Azevedio Martyrij futuri.

tium

tium momenti maioris caſuum, in motibus mentium, præſago geſtientium ardore, præcedere. Tertio Kal. Iulias, luce Principibus Apoſtolorum ſacra, declaravit Azevedius, ſoluturum ſe poſtridie cum Socijs novem & triginta in Oneraria S. Iacobi; riteque nominavit, regendis vice ſua Braſiliam petentibus Noſtrorum reliquis, in Claſſe Vaſconcelij Prætoris, à ſe Præpoſitum Petrum Diazium, ſpectatæ religionis Sacerdotem. Huic faculta- 30
tes & ſcripta, quæ acceperat Romæ; mandata, tamquam non Vicario ſolùm abſentis, ſed & mortui ſucceſſori, quoad aliud à Generali decerneretur, conſignavit: id quod legi ſatis diſertè teſtatum Diazij Literis ipſius, quarum extat penes Nos autographũ, ſtatim à Nuncio Necis Azevedij perlato ſcriptis *a*. Hinc, deducentibus quotquot Noſtrorum in Materia relinquebantur Inſula, proceſſit ad Portum quaterdenus Manipulus Azevedij, Duce ipſo, qui poſt mutuos hærentium & diſcedentium in littore complexus, in iam conſcenſam à cæteris

Vicarium diſcedens Azevedius Diaziũ relinquit.

a Ex Inſ Materia ad Præp Gen. S. Fran. Borg.

Ia-

Iacobeam Navem, poſtremus omniũ intravit, priùs ijs quos relinquebat benè precatus flexo in arena genu, motu iſtorum non diſſimili eius, quem Lucas Evangeliſta his verbis expreſſit. *Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum; dolentes maximè in verbo quod dixerat, quod ampliùs faciem eius non eſſent viſuri.* Act. xx. 37. Etſi hoc enim nunc Azevedius voce non protulerat, ut tunc Paulus, tamen factis indicaverat abundè: ac ſingulos horum quidam, ut innui, arcanus vaticinantis animi de hoc ipſo perſuaſos intimè tenebat ſenſus. qualem altero poſt menſe unus ipſorum Literis expreſſit Michaël Aragonius *a*; quibus negat: ſibi dulce quidquam ampliùs in vita futurum, omnẽ à ſe iucunditatem ſemper abactura triſti memoria horæ illius, qua ſeiunctus ab Azevedio clarè ſenſerit, eripi ſibi occaſionem profundendi cum eo Chriſti cauſa gloriosè ſanguinis; & emendæ morte Martyrij Laureæ. *a Ep. ſcripta è Mat. Inſ 19. Aug. 1570.*

IV. Dies erat hebdomadæ ſexta, ultima Iunij Menſis, à qua lux vertens

ſex-

ſextadecima, quadragenariȩ Azevedij Cohorti extrema vitæ mortalis fuit: quando Iacobea Navis è Portu Materienſi ſublatis anchoris vela expandit auræ proſperæ verſus Palmam Inſulã ferenti. Nitebat lætiori ſolito alacritate Azevedij vultus, expirante foras indicio gaudentis animi, è dulci conſcientia ſpei magnæ: apparebatque præter morem defixus attentiùs in cogitatione aliqua iucunda: quæ cuiuſmodi foret, præterquam ex alijs odorari ſignis Familiares poterant: etiã ipſe verbis ſubinde ac ſuſpirijs erumpentibus clarè prodebat. Siquidem teſtatus poſteà eſt Ioannes Sancius, qui unus, ut dicetur, ex iſto Comitatu ſuperfuit; auditum à ſe plus quinquagies illo ſex dierum ad Palmam Inſulam curſu Azevedium, cum altè ſuſpirans hæc & ſimilia ſolus ſecum, nec ſentiri ſe credens, loqueretur: *En erit ut pro Te moriar Ieſu! non concedes mihi Domine, ut ferro tuorum Hoſtium occumbam, tuam Sanctam Doctrinam profitens? O ſi mihi contingat hoc vaſto in Mari dulcis Portus Martyrij? Veni felix momentum.*

31 Senſa Azevedij Palmam verſus navigãtis verbis declarata.

Vaſc. lib 4. pag. 406.

Proceſſ. Bayenſ. fol. 64.

Vocat te prodire gestiens ex hoc pectore, mea testis in Iesum fidei, cruor. Vbi hæretis Piratarum Naves? Quamdiù promissum desideranti differs gaudium mucro manus Hæreticæ? Nimirùm ista diebus, ista noctibus mente semper agitans, nonnumquam excidentibus inadvertenti fatebatur vocibus, quas vel sopor, visorum curis diurnis conformium significationes lingua interdū efferens, vel secreti fiducia eliciebat abesse arbitros putanti. In congressibus autem familiaribus, atque in quotidianis exhortationibus ad Socios, totas effundebat animo habenas in commune dispu- »
tans de Crucis gloria; de invidenda »
Martyrum fortuna: de felicitate re- »
pendentium Christi fuso pro se san- »
guini proprium cruorem: de nimis »
quæstuosa commutatione vitæ malis »
ærumnosæ, periculis anxiæ, cum æter- »
na fruitione cœlestium deliciarum, ad »
quam securus & facilis, Nece Dei cau- »
sa tolerata, aditus panditur. Perver- »
sissimum & æstimatorem, & nomen- »
clatorem rerum, esse hunc Mundum: »
non magis huic crederent, dum opes »
ca-

„ caducas & voluptates animæ noxias
„ bona nominat, quàm dum dolores &
„ casus asperos appellat mala. Sequerentur
„ in iudicio de talibus autorem meliorem
„ Apostolum Dei spiritu instinctum,
„ cuius illa vox est: *Omne gaudium*
Iac. 1. 2. *existimate fratres, cum in tentationes*
„ *varias incideritis.* ut & hæc alterius il-
„ lius Apostolici Martyris *Ignatij: ignis,*
S. Ignat. Epist. ad Rom. *Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm ut*
„ *Christo fruar.* Huiusmodi Azevedio tunc erant quotidianarum ad suos cõgregatos dictionum argumenta: nec absimilis materia allocutionum privatarum: quibus Tyrones animati, robur illud Veteranorũ induerunt, quod mox, heroica Necis immanis patientia, monstravit.

V. Sic euntibus per dies quinos, ex quo fune soluto pedem fecerant, perseveravit adspirare clemens à Puppi ventus, quo sunt ad Palmæ Insulæ conspectum sexta luce provecti. Sed dum summa vi se admovent primario Insulæ Portui, repentè destituit eos

32 Navis Azevedium vehens venti defectu Palmæ Insulæ Portū nequit attingere.

aura; & in Malaciam resoluto languidam Mari, è velis spiritu defectis haud satis adesse auxilij potuit ad Palmæ Oppidum lõgo littorum circumactu petendum. Ergo postquam diù nequidquam artem in id conatusq; suos omnes experti Nautæ sunt, ad necessarium consilium descenderunt, applicandi tractam remulco è Scaphis Navem Stationi proximæ, quæ ad Insulæ latus, loco à Tertia cohorte nuncupato, se vicinam, & paratam ostentabat.

33 Admovetur Terzacurtio cuius loci Dominus Socios humaniter excipit.

Insolitum Onerariæ appulsum admiratus loci Dominus, ubi ad littus occurrens Azevedium agnovit, veterem Amicum, quicum olim Adolescens apud Vrbem Portuensem, longo tempore familiarissimè vixerat, effusus in amplexus, amantissimè excepit, hospitioque officiosissimè oblato, non ægrè impetravit, ut cum Socijs universis in Ædes diverteret proximas. Erat is Gente Gallus, Domo nobilis, fortunis copiosus, alteram quasi Patriam, ubi educatus à puero fuerat, Lusitaniam agnoscens, unde progressus ad visenda Palmensia sua Prædia,

ele-

elegerat ibi morari, latæ ac uberis Toparcha Regionis : videlicet delectatus amœna securitate fortunati secessus : cuius commoditates, opesque plurimas insularis istius sui Regni, gaudens ostentabat amantissimo quondam Sodali, & effusè gratulans oblatam sibi sorte inopinatissima revisendi ex tanto intervallo ac venerandi dulcissimi capitis facultatem. Ergo comitate omni recreatos Hospites, per Ædium magnificè structarum amplas exhedras ducere, prospectus in partes varias iucundissimos monstrare; aulas, atria, triclinia, familiam lautam & numerosam ostendere : tum animadvertens vana ipsos ista, pro vitæ humanæ spernentis instituto, mirari remissiùs, imò propè fastidiosè despicere, in Templum à se structum, opere vel in magnis Vrbibus visendo, inducere. Sacra vasa metalli pretiosi affabrè celata, pictas egregiè tabulas, splendidum Aræ ornatum, multam holosericam auro intexto arte phrygionica illusam Ecclesiastici usus vestem explicare, iam probanti & frontem ex-

porrigenti Azevedio: quippe offerri occasionem gaviso de Deo & vita æterna, dulcissimis sibi argumentis, cum Hospite agendi. Nec libentiùs Pater de cœlesti Regno, de labili conditione bonorum caducorum, de Dei timore amoreque; de virtutum officijs disseruit, quam est à Viro non minus pio quam divite attentiùs auditus; cuius volentis ultrò ac poscentis confessionem, necnon universæ Familiæ excepit, cunctis, Sacro solemni celebrato, Christi corpus impertijt. Hic Nostros Brasilienses Colonos paulisper relinquamus, dum quid eos spectans diversa in parte gereretur, Historiæ ordine reddimus.

34 Sermones Azezevedij cum Hospite.



CAP.

CAP. III.

Soria progreſſus ad Materiam, fugatur à Vaſconcelio. Detentus Terzacortij Azevedius cũ ſuis, iterata inſtantis Martyrij revelatione movetur ad Navem denuò ſcandendam. Quinque ſimiles Revelationes totidem eius Socijs oblatæ referuntur.

I. KAlendis Iulij, poſtridiè diſceſſus Iacobeæ Onerariæ, quæ Azevedium & Socios ferebat, multis nuncijs per Vrbem Materiæ primariam vulgatum eſt: Iacobum Soriam in

35 in Roſtrata ingenti, quam aliæ quatuor armatæ ſtipabant Naves, ad Oſtium Portus S. Crucis (hic Pagus eſt Materiæ Inſulæ, milliaribus ferè octodecim à Metropoli diſſitus) in Anchoris ſtare. Aderantque capti ab eo, ác ſponte dimiſſi quidam, etiam Archipiratæ Literas ferentes, quarum ſuperiùs meminimus, ſuperbè minaces, & Prætorem ad certamen provocantes. Ea ſimul Vaſconcelius cognovit, expediri repente iubet, præter ſuas Naves ſeptem, quotquot aliæ bello idoneæ inventæ illic ſunt. ac ſummo manè feriæ ſecundæ diei quintæ Idus Iulij, cum Claſſe inſtructa decem Navium rectà in Piratas ducit. Adventantem conſpicatus Soria, haud parùm remiſit de illo ventoſis oſtenſo minis, inſolenti faſtu; clareque confeſſus timorem, vela in fugam vertit. Tota die inſtiterunt vi ſumma Luſitani Fugacibus inſequendis: nec niſi poſtquam deſperarunt longo prægreſſos intervallo, & vento valido, ſe poſſe aſſequi: Prætoria ſignum ad reditum edente, proras versùs Materiam, unde ſolverant, re-

Soria cũ Claſſe piratica Inſulę Materiæ ſe admovet.

3. *Iul.* 1570.

36 Vaſconcelius cõtra progreſſus eum fugat.

reflexerunt. Ex eventibus rem æſtimanti, culpari potuit receptus Regiæ Claſſis, præmiſſam S. Iacobi Onerariã condonare ultrò Piratis viſæ. Nam, eandem illi viæ regionem verſus Palmam Inſulam, quò illa præceſſerat, tenebant. Cæterùm Vaſconcelius, inita ratione ſpatij emenſi triduano iam curſu, quantum anticipaſſe meritò credebat, Iacobeam Navem, haud alibi eam reperiendam à quamlibet feſtinante Soria putavit, quàm intra Portum Palmæ Inſulæ, ſatis ab huius vi ſecurum. Verùm iſtam fiduciam, cui Prætor indormiens receſſit, vanam improviſus caſus reddidit, conſtrictæ, ut diximus, malacia in Terzacortienſi Statione S.Iacobi Onerariæ.

II. Et duravit id incommodum, non parvo tædio Nautarum Vectorumque, ad dies omninò quinque: per quos Terzacortij Toparcha ſuum Hoſpitem fruſtrà oblectare conababatur, humaniſſimè deducens per ſua Viridaria & Nemora. Nam & hic, velut Alcinous, amœniſſimos amplis Ædibus Hortos adiunxerat. Nec pro-

cul inde in multa iugera patebant non minus felices illis olim Phæacensibus Sylvæ. Respondebat Amici officijs Azevedius, utilissimis cum eo inter expatiandum sermonibus habendis, de Christi Vita & Morte, de Actis heroicis Sanctorum, de periculo æternæ damnationis, de Iudicio futuro, deque ratione se se ad illud innoxiè defungendum comparandi, sic fruendo bonis temporarijs, ut alea non iaciatur æternorum. Cæteri Socij, partim suaptè spontè, sic dudùm assueti, partim Magistro admonente, monstranteque, orationi, religiosisque Exercitijs per istud otium impensiùs vacabant: diurnarum actionum ordine non multum ab eo, quem in Valrosano secessu tenuerant, discrepante. Vidi de his Assertiones oculatorum Testium descriptas in Actis authenticis legitimæ Quæstionis autoritate Apostolica Conimbricæ habitæ anno ante hunc quadragesimo. Ibi Alphonsus de Andrada Toletanus è Societate Iesu, iuridicè citatus coràm Iudicibus ab Vrbano VIII. Summo Pontifice tunc Eccle-

Processu Conimb an.1633 fol.163.

37 Azevedij & Comitum occupationes in Terzacortiensi secessu.

clesiam regente, delegatis, iuramento ritè præmisso, affirmavit: se Præpositum à suis Superioribus Missioni Canariensi Societ. Iesu, dum ex officio istius Præfecturæ, illas olim dictas fortunatas obiret Insulas, anno superiori, fluentis Sæculi trigesimo secundo, adijsse Palmam Insulam, & in ea interrogatis personis, propter autoritatem & ætatē fide dignis, quippe Ministris Sanctæ Inquisitionis, Sacerdotibus, Advocatis, Iudicibus, Civibus magnæ illic claritatis, in quibus erāt multi septuagenarij, nonnulli octogenarijs maiores, pauci centum annorum ætatē attigerant, quod in illius Cœli salubritate, non adeò, quàm alibi, rarum est: ex illis magno consensu in idem conspirantibus audivisse: „Recordari se se appulsus P. Azevedij cum triginta novem Socijs ad Portum Terzacortiensem. Ibi eos aliquandiù mansisse: laudabilissimis edendis omnium virtutum, præsertim religionis & caritatis exemplis. Solitos eos quotidiè facere Sacra, participare, & administrare Sacramenta in Curiali Ecclesia Vici,

cui *Caosum* est nomen; prætereaque „ in alia Æde Sacra structa propè Portum Terzacortij à Dominis loci ad usum numerosæ Familiæ Saccharum illic elaborantis, machinis ad id aptis, & molis trapetisque in proximo sitis plurimis. Addebant: se se Azevedium eundem cum suis undequadraginta Comitibus vidisse, cum bini & bini simùl summa modestia supplicantes procederent ad Templum Deiparæ ab Angustijs nuncupatæ, tribus milliaribus à Terzacortio dissitum, Sacris Reliquijs locuples, & eximiæ illic venerationis. Præter hæc, multa in eis alia obseruasse, quæ opinionem hodiè quoque vigentem Palmensium animis impressissent: fuisse illos homines, Sanctimoniæ præstantis. Hæc ibi, & plura similia leguntur. „

III. In hunc modum altero tertiove die transacto, sine ulla verisimili spe brevi successuræ aptioris ad cursum repetendum tempestatis, incidit Dynastæ loci prudens cogitatio, quam sic Azevedio suggessit. *Dudùm invitus sentio tibi parùm arridere Rus hoc nostrum,*

id-

idque fieri interpretor desiderio Palmæ Urbis: ad hanc enim vos tendentes ventus destituens hùc compulit. Si hæc istius tædij causa est, exporrigas licet frontem, Pater, facillimè istuc, simul annueris, migrabitur. nec sic hospitij mei, quam plurimi facio, fortunam perdam: apud me illic quoque, si dignabimini, esse poteritis. Tectum ibi meum est, quò me soleo recipere quoties Agri satias capit. Ipse vos deducam itinere terrestri, plano & leni, milliarium non amplius novem. Nec causeris deportationem terra operosam numerosæ, quam defertis in Brasiliam supellectilis. Vidisti Mandras meas otiantes, Mulorum & Camelorum. Hi horis duabus quantumlibet onus Navis istius ad Palmæ Civitatem sistent, ubi tuto loco, appulsum Onerariæ opperiemur. Nam, si nescis, circuitus à Mari & longus & anceps est. Cuneatur extrorsum vasto ambitu litus Insulæ; promontorijs identidem eminentibus in altum, quibus flectendis multum artis, ac moræ opus est: præsertim cum longis & sinuosis excursibus non idem, qui propitius evexit è Portu, sufficiat ventus; quippe legenti Oram curvis, ut nostra est, inæqualem amfractibus, contrariæ subinde viæ regiones conserendæ

38 Terzacortij Dynasta Azevedio suadet, ut terrestri via Palmam Vrbē adeat.

uno cursu sunt: atque ab Ortu ad Occasum, ex Austro in Boream crebrò divertere Navis cogitur. Addam, quo, ne verum dissimulem, moveor maximè, infesta hæc Maria Piratis esse. nec nulla exempla memorantur, expugnatarum, frustrà miserantibus hinc Nostris, in huius Insulæ conspectu ab Hostibus Navium. etiam tuta metuere prudentiæ interdùm pars habetur: quantò minus deceat, ubi verisimilitudo periculi cautionem à nota ignaviæ vindicat, intempestivè fortem videri velle. Si, quod Deus omen avertat, tristis aliquis casus Navem istam expectat, Te, atque isto, quem ductas flore religiosæ Iuventutis, Vobis, inquam, incolumibus, & tuta securis statione, id malim accidat. sed speranda meliora. Eamus interim in Urbem Palmæ. Succedet eodem paucorum inoffenso circuitu dierum Navis Iacobea: vosque littorali quiete refectos salva salvos recipiet, ad subeundum novo impetu quemcumque laborem itineris reliqui, haud paulò alacriores.

39 Azevedio pene persuaso terra iter habere, Sociorum Sarcinæ Navi efferuntur.

IV. Non minus sapienter, quàm benevolè talia proponi palàm erat. quare nihil habens Azevedius, quod contra plausibiliter obtenderet, cedere re-

recta monenti videbatur: cunctabundus tamen adhuc, & silens. At officiosus Hospes nutantem hunc ipsum, & tacitum assensum pro pleno & disserto strenuè rapiens, famulos ocyùs aliquot expedivit ad Navem, qui Patrum inde capsas & sarcinas efferrent, quos & Sociorum quidam, annuente sunt Azevedio, secuti. Horum diligentia, brevi tempore deportata in Toparchæ Domum magna pars impedimentorum, quæ quadragenaria Nostrorum Cohors vel ad proprium obiter victum, cæterumque viæ usum, vel ad instruenda Templa & Collegia Brasiliæ Libris, Vasis, Tabulis, Sacra veste, cæteraque id genus Ecclesiastica supellectili, secum è Lusitania extulerat. Ea dum administrantur, varia cum animo suo solus silensque reputabat Azevedius. Recurrebat ante omnia conscium arcanum promissi divinitùs ipsi, ac Socijs ista in Navi Martyrij: verebaturque ne hanc deserentibus, occasio pretiosa elaberetur. Occurrebat tamen in contrarium; mox se suosque Navem iterùm ean-

dem conſcenſuros. Nec videbatur veriſimile in tam brevi circuitu, qui ei ad Portum Palmæ ſub oculis poſitum exterius obeundus ſupereſſet, fatalem occurſum Hæreticorum cœleſti eſſe Providentia condictum. Poſt multa ultrò citroque ſecum agitata, denique ſtatuit, conſuetum ſibi conſulere Oraculum. Suos ergo univerſos ſub veſperam convocatos admo-

40 Dubius Azevedius Dei lumẽ expoſcendum cenſet.

net; opus ſibi & in commune ipſis eſ- »
ſe certiùs explorata, in deliberatione »
momenti maximi, Numinis æterni »
voluntate. Quare in eam rem pro ſe »
quiſque intentiùs Deo preces offer- »
ret; compararetque uſu Sacramenti »
Pœnitentiæ, afflictationibuſque cor- »
poris animum ad ritè participandam »
poſtridiè manè Sacram Menſam. In »
eius fractione Divini Panis aperiendos »
ſibi oculos ſperare. Dies inde illuxit »
quartus Idus Iulias, cuius principio 12. *Iul.*
Azevedius, magna noctis parte ſacris commentationibus tranſacta, ſpiritu ipſe ardens, circumfuſis pari animi devotione Socijs, ijſdemque ordinatis in longam ſeriem, proceſſit tribus milia-

liaribus ad Sacellum ſuperiùs memoratum B. Mariæ Matris Dei cognomento *Adiutricis Anguſtiatorum*: ibique Sacrum fecit, Dei lumen implorans. Ex ijs quæ mox ab eo acta referemus certò intellectum eſt: iteratum illi tunc fuiſſe, ac diſtinctiùs expreſſum Vaticinium idem quod nuper apud Inſulam Materiam pariter ſacrificans acceperat: non iam vagè, ac citra definitionem temporis aut loci, perimēdum ipſum cum novem, ac triginta Socijs, ab Hæreticis in odium Catholicæ Fidei, affirmans; ſed denuncians inſuper, quamprimum id fore, atque adeò in illo ipſo Maris tractu perpetrandum: futurumque omninò, ut tam glorioſæ Necis, ſibi ſuiſque, occaſionem perderet, ſi terra proficiſceretur ad Vrbem Palmam.

41 Nova revelatione fit certior Martyrij inſtantis.

V. Antequam dico quid Azevedius tali Oraculo obſequeńs fecerit, haud ingratum, ſpero, Lectori erit cognoſcere; non ſoli huius Cohortis Duci promiſſam divinitùs Palmæ felicis ſortem: ſed & nonnullis eiuſdem Manipuli nominatim, fortunam parē

42 Antonius Correa divinitùs prænoscit futurum se Martyrem.

cœlestibus fuisse significationibus desponsam. Erat in his Antonius Correa Portuensis, admissus in Tyrociniũ Societatis anno ætatis quintodecimo. Huic cum esset paulò post indicatum: designatum fuisse ipsum inter reliquos, qui, Azevedio Ductore, navigaturi mox in Brasiliam forent: acquiescens ille, propenso animo, huic Imperio Maiorum, Deum instantiùs orabat, suam ut infirmitatem corroborare dignaretur, ad tolerandos eius itineris labores. Hoc dum agit, die quadam recens à percepto Christi Corpore, clarè audivit vocem arcanam intima pervadentem animi, quæ ipsum in ista navigatione Christi causa occidendum denunciaret. Id statim ille suis Moderatoribus exposuit; affirmans, ita se penitùs convictum persuasumque ea de re, ut ne si vellet quidem ac cônaretur, dubitare, quin id esset eventurum, posset. Nicolao Dinis Brigantino, etiam antequam Societati adscriberetur, revelatum idem fuerat. Dum enim à Patribus, probare volentibus ecquid aptus Religioni foret,

43 Nicolaus Dinis pari sibi facta gratia mirè exultat.

foret, in Domesticis Collegij Brigantini Ministerijs exercetur, ab eo è Nostris, qui eius gerebat curam, alienissimo tempore repertus est, gestire, atque exultare miris modis, ut planè insanire videretur. Quare increpitus à Magistro graviter est. cui Iuvenis obiurgatione demissè acceptà, modestè renidens subiecit: *Causa mihi lætandi, Pater, est, quòd modò divinitùs cognovi: mox me in Societatem admittendum: nec multò post navigaturum versùs Brasiliam, quò tamen non perveniam: sed inter navigandum interficiar in odium Catholicæ Fidei.* Inter alios è iam receptis in Societatem, quos Roma redux anno superiori Azevedius in suæ Brasiliensis Expeditionis Comites allegit, fuit Emanuël Alvares, tunc degens in Bracarensi Collegio. Hic dum, more consueto, manè per horam signo dato Domus universa rerum divinarum commentationi vacaret, inopinatissimè Cubiculo erumpens, per ambulacrum expatiabatur, insolitis planè gestibus, vultu accenso, flagrantibus, & sursum intentis, oculis, brachijs mo-

44 Idem contigit Emanueli Alvares.

dò altè ſublatis, modò in Crucis formam pectori appreſſis. Offendit hunc id agentem fortè tranſiens P. Petrus Luiſius, cuius ſuperius memini *a*, in eodem tunc Collegio Theologiæ Magiſter, & vehementer admirans: *Quid tibi vis Frater*, inquit, *hoc loco, hac hora, tam inconditis hiſce geſtibus, tam inuſitata iactatione manuum & capitis?* cui ſubmiſsè Emanuël: *Ignoſce Pater*, ait, *æſtum animi capere in Oratorio nequivi, dum illic mihi modò revelatum eſt: me in navigatione Braſilica deprehenſum iri ab Hæreticis, & ab ijs pro Chriſto trucidandum, poſtquam bacillis ferreis oſſa mihi brachiorum, crurumque confregerint. An non hæc iuſta videtur exultandi cauſa, tanta felicitatis certiſſima ſponſio? En hos lacertos, has tibias, tam invidenda gloria dignandas non potui tenere, quin hoc protinus curſu, hoc motu agitarem; offerens Chriſto in Crucis eius conſortium membra illa eadem, & quantum poſſum gratias agens ineffabilis honoris indigniſſimo collati, in quo à Te quoque, Pater, adiuvari poſtulo.* 45 Evocatus Placentia Vlyſſiponem, ut inde versùs Braſiliam cum Azevedio ſolveret, Stephanus Zu-

a. Lib. 1. cap. V. n. VIII.

Stephanus Zuraire prædicit ſe occidendum Fidei cauſa.

Zuraire, dum Patrem Iosephum Acosta, cui peccata confiteri erat solitus, ultimùm salutans amplectitur: *eo*, inquit, *gaudens, Pater, quia scio me, Navem quam inscendam, non in Brasiliam, sed in Cælum appulsurum: capiemur enim in isto cursu à Catholicæ Religionis Hostibus, & huius causa occidemur.* Obstupuit audiens talia Iosephus; & unde id sciret, solicitè quæsivit. Cunctatus Stephanus aliquandiù, tandem impar resistendo iteratis Patris iussis. *Hoc novi, Pater,* ait, *ita certissimè futurum, quia Deus id mihi revelare dignatus est: cui rogo meo nomine gratias agas: opemque mihi ab eodem implores patienter ferendi, quæ, me vult pati, fortiter agendi quæ me vult facere.* Inter Nostros dantes operam Literis in Eborensi Societatis Collegio, degebat Marcus Caldeira, de quo Vlyssiponem mittendo, ut se illic Azevedij Comitibus aggregaret, cum P. Mauritius Collegij Rector mandatum à Provinciali accepisset: id ei significavit in Sacello Domestico, ubi paulò ante, cum multis simùl Fratribus, oraverat, qui præsentes adhuc erant, Tamen Marcus

46 Similiter, & Marcus Caldeira.

au-

audito, quod ipsi submissè pro loci reverentia, in aurem insusurrarat Rector, quasi extra se raptus, exclamavit: *O me felicem! ero Martyr*: idque tertium vociferans repetijt, tam oblitus decori, & securus arbitrij adstantium, ut, quemadmodum constabat, sui compoti, & summi aliàs pudoris Adolescenti, haud aliter, quàm arcano divini Spiritus afflatu in istum ineluctabiliter truso excessum, talis clamor excidere potuisse iudicaretur.

VI. Sed ut ad Azevedium revertamur, perfunctus is Sacro, & post impertitam Socijs Eucharistiam, longo spatio gratiarum actionibus & precibus transacto, exurgens tandem, & Domum repetens: *erravimus Fratres*, ait, *dum consilijs acquievimus iter terrestre suadentium. Non magis eos audire debuimus, quàm Christus Iudæis acquievit descensum ipsius è Cruce poscentibus. Intervallo non minori quàm quo summum Cæli culmen à depressissima voragine terrarum distat, suprà humanæ prudentiæ dictata divinæ sapientiæ scita eminent. His obsequi nostrum est, illis contemptis. Quare hoc ipso* die

47 Azevedius Navem iterùm conscendere decernit.

die, censeo, referamus Nos ad Navem, beato nos Portui Cœlestis felicitatis appulsuram. Omnium concors ad ea responsum fuit: *Duceret quò vocabat Deus, paratos ad omnia*, & vitam pro eius gloria paciſci promptos. Sic ad Hoſpitium reverſi, corripiunt ſarcinas, & magno certatim ſtudio intra Onerariam Iacobeam reportant, quæcumque inde nuper extulerant. Interim dum Azevedius Hoſpiti convento, ſententiæ mutationem excuſat: ſubductis attentiùs rationibus, aiens, haud ſibi cauſam idoneam videri, Societatis fortunarum ac periculi cuiuſvis, quam cum Navarcho & Vectoribus Iacobeæ Navis inijſſent; levi diſcriminis ſuſpicione dirimendæ. Sibi ergo ſuiſque certum eſſe, huius ipſius lucis veſpera in Onerariam, bona cum ipſius venia, regredi. gratias ei agere quàm poſſet maximas tam comis & liberalis hoſpitalitatis, quam, ſi quid ſua ſuorumque momenti haberent vota, Deus eſſet ipſi cumulatè repenſurus. Contra ea Toparcha Terzacortij, nequidquam omnia expertus, ad Navem, quò

iam

iam multa & pretioſa in ſupplemen-
tum Viatici, & Nautarum quoque ac
Militum congiarium præmiſerat, Ver-
veces, Altilia varia, Mellis, & Sacchari
benignam copiam, mœrens comita-
48 tus euntes eſt, & in littore ſupremùm
amplexans Socios, ſed præ cunctis an-
tiquum Sodalem, non ſine officioſiſſi-
mis, & occulto malè ominantis animi
motu præſagis inſtantis infortunij la-
crymis, vale ultimum dixit, non triſti
viciſſim, quin potiùs ſerenè renidenti
Azevedio. Nocte commodùm inſe-
cuta laxari Cœlum, & auræ nonnihil
adſpirare opportunę cepit. Nec mo-
ra facta præbendorum ei velorum eſt.
Feria illuxerat quinta, dies tertia Idus 13. Iul.
Iulias. evehuntur è conſpectu quàm
longè potuere reſpectantium, & benè
precantium Palmenſium Hoſpitum,
inter feſtivos tonitrus æneorum tubo-
rum maioris formæ, quotquot erant
Terzacortij, iuſſu Toparchæ Noſtros
in digreſſu ſalutantis exploſorum: ala-
cres Noſtri omnes, & intima vigētes fi-
ducia, quæ vultu & oculis extaret, ſub-
indeque in voces erumperet, religioſè
for-

Terzacortio ſolvunt Socij.

fortis lætitiæ indices, in quantamvis casuum acerbitatem ire intrepidè paratæ.

CAP. IV.

Iacobea Navis expugnatur ab Hæreticis. Azevedius cum octo Socijs occiditur, quidam alij vulnerãtur & dirè torquentur.

I. SIc biduum processerant: & luce iam tertia, quæ fuit Sabbatum, ipsis Idibus Sextilibus, longo circum multa Promontoria, & clausos his sinus, ambitu, in prospectum Portus Vrbis Palmæ pervenerant; quem ne protinus tenerent, adversus à terra obstabat ventus; cum manè primo, nihil minus opinantibus, Speculator è

15. Iul.

ſumma Mali corbe, *Vela, Vela*, proclamat. Effari diſtinctiùs, quidnam rei eſſet, iuſſus: ait videre ſe plenis adventantem velis Roſtratam bellicam ingentem. Statim poſt adiecit, pone illam apparere minores alias quatuor. Inexpectatiſſimo indicio perculſi omnes ſunt. Tamen aliqui ſperandi anſas è periculo captabant; quid ſi, aientes, ea Vaſconcelij Claſſis eſt? nempe illam mox ſecuturam in Portu Materiæ reliquimus. Dum hæc dicuntur, admotæ propiùs quinque Prædatrices Naves vexilla gallica clarè monſtrarunt. Nimirum Iacobus Soria, quando decimo ante hunc die à Vaſconcelio, uti diximus, in fugam actus eſt, totis velis in Palmæ viciniam avolaverat, ad notos ſibi receptus. Nam in alia Expeditione Gallorum, qua fuerat Palma Inſula vaſtata, tertio retrò anno, Iacobus idem, primas à Duce ſupremo, Petro Monlucio, in eo Navali exercitu partes geſſerat. Hic, Iacobeæ Onerariæ Navarchus, raptim concilio coacto, quid agendum? inquirit. Pugnandum enimverò, nec

49 Claſſis Soriæ Navem Iacobeam ex propinquo urget.

igna-

ignavè cedendum, Duci priori suadenti, omnes assensere: utcumque fallebat neminem: quàm iniquè comparati pauci semiermes, cum plurimis instructissimis forent. Hinc momentò suis cuique descriptis officijs, administrare singuli quæ iussi erant, aut res ipsa poscebat. Disijcitur in Navis alvo septum Sociorum, ne Nautis, Militibusve ad ultrò citroque commeandum inter decertandum, quidquam obstaret. Exeruntur suis quæque fenestellis, & ad explosionem instruuntur tubi ænei maiores, signum pugnę, vexillum altè pendens, ex antennis proponitur, evocantur in foros sono tympani Milites. Erant hi vix quadraginta, perfunctoriè armati, ut in Nave mercatoria. Dum magno tumultu hæc aguntur, Azevedius cum suis universis, flexo ante Christi è Cruce pendentis effigiem, genu, manu ipse tenens Imaginem Deiparæ, Litanias inchoat, prosequentibus cunctis. Sub eas exurgens ipse breviter admonet: *Adesse horam, quam tandiù votis optassent. arriperent animo magno pretiosam*

50 Lusitani Milites se ad pugnã expediũt.

51 Azevedius Socios ad Necem fortiter ferendam hortatur.

occasionem rependendi vitam & sanguinem Filio Dei pro Nobis occiso. Patere Cælum, expedirent intrò saltum: occupare aditum Regni æterni, dum Ostium panditur, ne cunctarentur. Corpus periturum contemnerent, vitæ longæ tædiosas ærumnas, ancipitia discrimina, brevi doloris sensu quæstuosè commutari, benè redimi putarent. In hoc momentum convenire voces illas cœlestis Magistri: In patientia vestra possidebitis animas vestras: qui amat animam suam perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam: Nolite timere eos qui occidunt corpus: animum autem non possunt occidere. Nos verò Fratres unum timeamus Dominum: imò eundem amemus Patrem: in Christi Iesu complexum ulnas ultrò pandentis occurramus læti: Non vocat solùm ipse, sed & favet & adiuvat. Sancta etiam eius Mater, Cæli Regina, invicta Protectrix, suum nobis Patrocinium spondet. His auspicibus, his Ducibus, metus omnis abesto, vigeamus animis, irruamus alacres in momentaneam Necem, vitæ sempiternæ primordijs commissam. Nausearum Maris, Sudorum Terræ, incerta aleæ colluctationum cum carne ac sanguine, cum spiritibus Infernis, en felix com-

Luc. XXI 19.
Ioan. XII 25.
Luc. XII 4.

compendium. Non iam quærendis, demulcendis, mansuefaciendis Anthropophagis, Saltus, Montesque avios, aspera & exusta tesqua Brasiliæ teremus; non fingemus linguas in sonos barbaros. Uno mox impulsu manus hostilis, uno benefici mucronis ictu, Beatorum consortio, Choris Angelicis fortunatissimè inserendi. Nempe Nos Collegium ad Flumen Ianuarij proficiscebamur instituturi. At Pater Cœlestis noster tantò nobis meliùs consulit, in beatissimum supra Cœlos fundatum Nos hodiè Collegium translaturus. Hæc audientium flagrabant vultus generosæ ardore caritatis, nullo in quoquam indicio vilis formidinis, aut degeneris ignaviæ. Testes huius fortitudinis, simul perorans Azevedius conticuit, Voces hæc cunctorum sonuere: *Fiat quod Deo placet. en vitam & spiritum Tibi Iesu offerimus, pro Catholica Fide, pro Apostolica Romana Religione mortem oppetere dulce est. Adiuva ut perpetremus quod dedisti audere. Sine Te nihil, tecum omnia possumus. Ignosce peccatis nostris, & in horum expiationem, quam cupimus, quam expectamus Necem accipe.*

II. Hac vice rerum accessit ad

Aze-

52 Socij pugnare per se recusantes, Milites prœliantes hortando iuvant.

Azevedium Navarchus: & exposito communiter suscepto resistendi Hæreticis Hostibus consilio, allegataque paucitate Militum, aliquot è robustioribus Sociorum dari sibi armandos, & sic aggregandos suæ nimis exiguę Cohorti poposcit. Cui Pater: *pia vestra & iusta arma sunt; sed non nostri usus, qui consecratas Religioni, nec assuetas Dimicationi habemus manus. impedimento vobis bello exercitatis potiùs essemus quàm adiumento; si pugnantibus accenturiaremur rudes ferri tractandi. nec cessabimus tamen: sed, quod nec indecorè, nec inutiliter, unum possumus, auxilium promptè ac sedulò ministrabimus; hortatores ad strenuè pro Christi causa dimicandum dabo. Ipseque ad hoc adero. Stabimus inermes immixti pugnantibus, parati consolatores laborantium; occumbentium, aut è vulnere cadentium curatores.* In hæc nominatim evocat Emanuëlem Alvarez, Ioannem Maiorgam, Gonsalvum Hēriquez, Emanuëlem Paciecum, Dominicum Fernandez, Franciscum Perez, Antonium Suarez, Patrem Didacum de Andrada, Stephanum Zuraire, Ioannem à S. Martino, & Ioannē de Baëza. Hos

53 Azevedius undecim Socijs secum sumptis ad Milites in certamine animandos prodit

Hos undecim pendentia è collo Christi morientis in Cruce sigilla gestantes, secum Azevedius educens, reliquis edixit: Deo illic orando intenti persisterent. Ipse, correpta in manus sacra effigie Deiparæ, Navarchum in Foros scandentem secutus, comitantibus quos modò recensui, locum sibi cepit ad Mali maioris pedem in medio Tabulato, campo ipso certaminis, ubi ordinati iam Milites, crates positæ, cætera pro consuetudine Navalium pugnarum erant composita. Ibi, dextra lævaque Socijs dispositis, præcepit: starent arrecti in omnem occasionem animandi, iuvandique Catholicos præliantes, ad obsequium, quod Deo & Regi debent fortiter præstandum. Inter hæc admotus ad teli iactum Archipirata Soria, per Præconem imperat Navem Iacobeam regentibus: sese ut & illam dedant. Responsum explosione omnium tormentorum, qua multi sunt ex Hæreticis occisi. Horum vicissim æneæ fistulę maioris formæ multas simul pilas ferreas ardentes in Navem Iacobeam eiaculatæ, haud pa-

54 Imperata & negata deditione Navis, prælium committitur.

parem ſtragem fecere, pleriſque globis inter raros innoxiè tranſmiſſis ordines. Statim poſt è Roſtrata Piratica toto impetu, in Onerariæ latus impacta, in ipſo puncto contactus, tres expedito ſaltu ſanè audenter irrumpunt, ferro tecti à vertice ad pedes: Gæſa cuique in manu præacutis coruſca mucronibus, enſes de balteo in lævum latus, circa zonam ſcloppeti diſpoſiti pendebant. Ne plures ſequerentur, diſiunctio Navium ex mutuo ſtatim offenſu in contraria reſilientium obſtitit. Quare circumventi tres à pluribus brevi obtruncati, deiectique in Mare ſunt, cernente, ac nequidquam frendente Soria, cui erat longè cariſſimus unus ex ijs, Joannes Bochardus, Tribunus fortitudinis ſpectatæ, & in eo Exercitu ſecundum à Duce ſummo dignitatis locum obtinens. Ergo ſuos hortatus ad Commilitonum ultionem, dum tentandi gratia irruptiones novas, iterùm, ac tertiò Gaulum admovet: toties aliquot inſilire conatos, immenſo dolore conſpicit, fallente, in ſolo nutanti, veſtigio, additoque de-

55 **Plures è Piratarum Cohorte cadunt.**

defendentium repulsu, in Mare devolvi; moxque armatura degravante aquis extingui.

III. Hinc iræ immaniter exæstuantis Archipirata inflammatus rabie, quatuor alia Navigia ex averso latere infesta, circumfundi Onerariæ hostili iubet. Ipse concitatissimo impetu rostrum sui Gauli vehementissimè impingit Proræ Navis Iacobeę, ipsamque Harpagone correptam detinet. Tum per commissos, strato super Tabulato, navis utriusque margines, quinquaginta Latronum robustissimos traijcit in Onerariam obsessam. Dura tunc Lusitanis prælij facta conditio est, sic coactis è Manipulo Militum, non multò plus triginta (quanta ipsis tunc summa cōstabat Copiarum) quatuor particulas excerpere, totidem impressionibus opponēdas aggressarum à tergo Navium; quinto nihilominus agmine servato, quod à Parte anteriori Sorianis Cataphractis tanto numero, tam acri connisu irrumpentibus obsisteret. Et erant hi nihilò instructi minus expeditique ad inferendam noxam,

56 Aliæ quatuor Naves Piraticæ Onerariam Rostratæ resistentem circūveniunt,

xam, quàm ab ea viciſſim accipienda tuti. Nam hinc quidem Lacerti facillimè mobiles omne cædis inſtrumẽtum ad manum affatim habebant: gladijs, tragulis, fiſtulis iaculatorijs ignitarum glandium ad eminùs cominuſque offendendum æquè inſtructi: inde autem ne violari, vel ſtringi telis repugnantium oppugnantes poſſent, capita fidis galeis, brachia trilicibus è ferro manicis, artus à ſumma cervice ad ímas calces, perplexo textu conſertarum ſquamatim ex ære tunicarum obduxerant; tectorio pariter impenetrabili ob metalli rigorem, & ad iactationis quoquoverſum micabũdæ omnes commoditates molli, propter lubricum flexum fluidæ commiſſionis nexarum in plumam ſcutularum; plicabilitate iuxta, ſoliditateque, militaris olim Clibanariorum amictus, æmula. Contra hæc quanta potuit eſſe maxima virtus Luſitanorum fuit. Nuda offerebant ſpiculis pectora, ſecuri vulnerum, irruenteſque armatos intrepidi trudebant, fruſtrà licet ferientes membra loricata, nonnullos in Mare

re deiecere. Quosdam luctando stratos, incumbentes desuper, quæsitis otio, & cura multa ad thoracum iuncturas rimulis, subtili ferro ægre traiecto, iugularunt. Longè ipsi tamen, quod necesse erat in tanta iniquitate pugnæ, densiùs ac numerosiùs cadentes. nec parùm momenti ad hos in ipsis excitandos alendosque spiritus habebant, adstantium voces Patrum, Præ cunctis audiebatur Azevedius loco maximè conspicuo medius proclamans: *Sola vera, & sancta est Fides Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ: pro huius defensione sanguinem fundere beatum ducite. Ne vereamini hos Diaboli Emissarios Hæreticos Tyrannos. Horum furor in sola corpora desævit, nocere animis non potest.* Talia illum vociferantem sæpe torvis Latrones oculis intuiti, simul deiectis obstantibus, se admovere valuerunt, toto furore invadunt. qui primus eum ferro contiguum est nactus, altè sublatum ensem in ipsius, vi summa, deiecit verticem. Hoc ictu latè illi discissum cranium, vasto hiatu cerebrum ostendit. Isto ex vulnere nutantis, quatuor

57 Virtus ingens Lusitanorum in certamine iniquissimo.

58 Azevedij voces quæ vim Hæreticorũ in ipsũ verterunt.

59 Vulneratus in capite & pectore quid moriens dixerit.

alij pectus hastis traiecerunt. Tunc ille cadens, voce adeò contenta, ut inter pugnæ strepitum varium clarè ac latissimè sonaret, hæc effatus verba est. *Sunto mihi testes Deus, Angeli, & Homines, Me in Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ communione mori; pro Fide ac veneratione cunctorum eius Dogmatum ac Rituum.* Indignati Hæretici ea Professione, extorquere ipsi è manu, quam tenebat, Deiparæ Imaginem frustrà sunt conati. Tenuit enim illam, moribus licet digitis, adeò fortiter, ut ipsi planè agnoscerent, & ultrò Latrones faterentur, maiorem humana vim in corpore quinque fluminibus largè sanguinem mittente, agenteque animam; indeque victi ac desperantes abscederent. Quamquam ex ijs quatuor alia coëgit causa recedere: Cæcitas ipsis eo momento divinitùs immissa, cuius extat testimonium scriptum D. Rodericij Archiepiscopi Vlyssiponensis, qui ex oculatis didicerat testibus [a]. At eadem excitus Azevedij cadentis voce P. Didacus Andrada, dum eò conversus Patrem optimū

tot

60 Deiparæ Imago quam tenebat, ne morienti quidem extorqueri potuit

61 Percussores eius cæci fiunt.

[a] Vide Processf. Rom. Ann. 1665.

tot vulneribus cruentum cernit occumbere, illùc rapitur veræ instinctu pietatis, se seque superfundens, arcto collapsum stringit amplexu; accurrerunt pari affectu tracti Ioannes de Maiorga, Gonzalvus Henriquez, Emanuël Rodericius, & alij quidam è Nostris Lusitanos Milites animantibus. Hi simul corripiunt deficientem alta vi vulnerum Azevedium, & ablatum deferunt infra Tabulatum, eum in locũ, ubi reliqui Sociorum rei successum opperiri orando iussi erant. Ibi Azevedius Didaco Andradæ Sacerdoti peccata confessus, ritè absolutus ab eo est, accepta in pœnam, quam patiebatur, Nece. Tunc adstantes circumspiciens, spiritu, quantum potuit in defectione vitæ iam ultima, collecto: *Gratulamini mihi, Fratres,* ait, *beatissimam sortem, & parem expectate: brevi intervallo præcedo vos: hodie omnes, quantum animo auguror, in Cælo conveniemus, ad Iesu & Mariæ conspectum.* Ab his dictis oculos, caligare iam incipientes, vertit in, quam manu tenebat, Deiparæ Christum Puerum gestantis, Imaginem,

62 Defertur Azevedius adhuc spirans sub Tabulatum ad Socios.

63 Ibiq; moritur.

in eoque aliquandiù fixus obtutu, expiravit.

IV. Eodem fermè, quo Azevedius cecidit tempore, Benedictus Castrius Crucifixi signum dextera elatũ gestans in Proræ Castello versabatur. Is ab initio certaminis Lusitanorum obiverat ordines concionabundus. Tunc audito ad Proram clamore ac strepitu maiori, quòd illic ardentiùs pugnabatur sub ipsis Soriæ Ducis oculis; cuius, ut dictum est, prætoriæ Navis prominens Rostrum, Iacobeam ea parte Onerariam unco devinxerat: defendentibus tamen, & magno animo certantibus Lusitanis. Eò igitur in summo prælij æstu Castrius delatus, alta voce, Crucem manu prætendens se se Catholicum, Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ alumnum & filium profitebatur; increpans præterea Hæreticos & eorum detestans impios, ac phanaticos errores. Hoc illi, & visu & auditu efferati, explosis, quibus succincti omnes erant, Sclopetis simul pluribus, tribus eum eminus plumbeis globulis traiecerunt. Nec deiectus is

64 Benedictus Castrius globis plumbeis & pugionũ mucronibus confixus in Mare deijcitur.

ta-

tamen, largè fluente licet cruore, eadem quæ priùs vociferans, & Christi Cruci affixi ostentans effigiem, perstabat. Vnde Hostes indignati vehementiùs, ad eum accessere multi undique, ac septem octove pugionum ictibus cōfossum, nec tamen vel sic loco motum, aut caput demittentem, ad extremum medio corpore correptum in Mare deturbarunt. At statim ab asportato, prout retulimus in interiora Navis Azevedio, unus Sociorum, qui erant illic, Didacus Perez Patria Nicensis, quasi solicitus ne statio, ex qua Pater tot vulneribus deiectus fuerat, vacua maneret, generosè prodijt: & illam ipsam ad Mali primarij radices occupavit sedem, eadem loquens, agensque quæ dixisse ac fecisse noverat Patrem. Profitebatur videlicet Fidem Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ: qua voce conversus Hæreticorum qui proximus adstabat, viso efferbuit impotentiùs, quòd novum vultum hominis aspexit veste Societatis induti, eadem vociferantis, ob quæ Azevedius isto in loco paulò ante confossus

65 Didacus Perez hasta traiectus concidit.

fue-

fuerat. Ergo ira ſtygia inſtinctus, haſtam in eius pectus toto niſu incuſſit, cuius cuſpis per corpus tranſverberatum, in averſam partem exijt: cor illi traiectum, credibile eſt, nam illo uno ictu repentè concidit mortuus, nec verbo quidem prolato: poſtmodum Mari demerſus. Hic finis fuit Didaci Perez: cui dum viveret ſui mores ſupra modum amabiles *Dilecti* cognomen acquiſierant: & fuiſſe dilectum nõ minus Deo quàm Hominibus, tam invidenda conceſſa divinitùs ſors probavit.

V. Qui cadentem Azevedium viderunt Socij, cum illo, ut dictum eſt, ad confirmandos Milites egreſſi, ſtatim omnibus omiſſis ad Patrem in ſupremo caſu quantum poſſent iuvandum accurrerunt. Sed eius periculum quinque horum, alijs intenti, & loco diſiuncti non ſenſerunt. Nimirùm præter modò memoratum Didacum Perez, alij quatuor Gonſalvus Henriquez, Emanuël Rodericius, Emanuël Paciechus, & Stephanus Zuraire, per diſſitas à Malo maximo Navis partes

66 Quatuor alij Socij diverſis locis in Mare deiecti ſuffocantur.

eo

eo fortè momento variè diſtenti curis urgentibus, dum Catholicos ſtantes adhortantur, vulneratos curant, morientes oblato Crucifixi ſigno ad piè obeundum parant: dumque inter hęc Fidem profitentur ſuam, Calvinianam perfidiam obiurgant, diverſi à Diverſis Hæreticis, quibus bilem ea religioſa officia moverunt, correpti ac præcipitati de Navis margine, ſub aquis extincti ſunt. Sed non diù morte horum vacuum Socijs ſuperius Tabulatum manſit. Statim atque Azevedius efflavit animam eò revertentes, qui morientem curaverant, Ioannes de Maiorga, & Emanuël Alvarez, tumultu exaudito maiore in duobus ſuggeſtis Proræ ac Puppis, quæ Caſtella vocant, in ea ſe diviſerunt. Vtrique viſa mors Azevedij animos auxerat. Maiorga invectus in Caſtellum Proræ denſis illic Hæreticis ſe intrepidè miſcuit. Pileo erat clericali, ac veſte Societatis inſignis, Crucem manu pręferens: quibus ſatis indicijs agnitus, cum inſuper ſe Catholicum Romanum, & mori Chriſti cauſa paratum libera voce

67 Maiorga præceps in caput mergitur.

iactaret, à quinque aut sex Piratis sublimis in brachia levatus, prono capite demittitur in undas præceps. Acrior in adversa Puppis Turri Emanuëlis Alvarez dimicatio fuit. Hic simul acclivitate superata in summum evasit, haud deterritus multorum & facie trucium, quos ibi reperit armatorum Hostium occursu: ijs circumfusum vidit Ducem ipsum Navis fortissimè pugnare, duosque aut tres circà ipsum Lusitanos invicta item resistentes cõstantia. Ad hos Emanuël signo Crucifixi altè prolato: *State*, ait, *animis fratres adversus hos filios Diaboli, defendite Fidem Christianam, certate pro Ecclesia Romana, &, si necesse fuerit, occumbite, ut bonos Christianos decet, huius Christi memores qui pro nobis in Cruce clavis transfixus & lancea, spiritum cum sanguine in Dei Patris manus emisit*. Tum ad Hæreticos conversus: *Miseror vos*, inquiebat, *Dei perduelles, Satanæ Satellites. infaustè gaudetis felici ad horam scelere, æternùm cruciandi: dum hi, quos innoxios iniquissimè opprimitis, Necem momentaneam à vobis illatam mox commutabunt vita immortaliter beata*.

68 Emanuëlis Alvares verba fortia.

His

His ac ſimilibus obſtrepentem ſibi Alvarem, Piratæ furentes, dum occupatas adhuc certamine habent manus, trucibus ſubinde figebant oculis; quaſi magnum illi malum, ſimul vacare contingeret, minitantes. Conceſſitque poſt ſtatim, ad ſui pugilis coronam, Agonotheta Cœleſtis optatum iſtis Latronibus perpetrãdi quod deſignarant maleficij otium. Nam opportunè ipſis contigit eo temporis momento Navarchum ultimam ſuæ Navis Arcem generoſiſſimè defenſantem, multis undique ac vaſtis perfoſſum plagis, collabi defectum ſanguine, quem largis dudum effluentibus hiatibus exhauſerat. Illum ſuperſtites ſuorum, unus atque alter raptim ſublatum extulerunt: aliò deportatum, prout liceret, curaturi. Tunc Campi iam Dominis Hæreticis, prima omniũ recurrit cura moleſtum interpellatorem ulciſcendi Ieſuitam. Emanuëlem igitur cuncti ſimul unum invadunt, enſibuſque, quos ſtrictos adhuc & cruentos vibrabant manibus, vultum ei certatim exarant. pectus enim &

69 Navarchus generosè pugnás multis plagis transfigitur & aliò transfertur.

cor transfigere parcebant, ne cruciatuum ei paratorum ſenſum repræſentata mors præverteret. Sic ſatis punctim cæſimque in ore ac facie conſcribillatum mucronibus gladiorum, humi ſternunt, ac ſuper expanſa illius crura cannas æneas Scloppetorum qui eis exonerati iam, & otioſi, circum de zona pendebant, toto ferri pondere impingunt, impulſu addito quàm vehementiſſimo. Idem alij divaricatis & ſolo plano diductis faciunt brachijs, pondereque inſuper per inſultum pedum ſæpe immaniſſimè adiecto, crebrò repetitis ictibus oſſa illi tali ferinæ crudelitatis rabie, lacertorum & tibiarum, otioſè contuſa eliſerunt: ipſo interim non dicam, gemitus tenente, quod in tam acerbo tormento eſſet heroicum; ſed exultante ac Deum laudante: cuius ubi ſic molendi Tortores ſatias cepit, unus eorum pede tractum admovere margini deturbandum in aquas parabat, cum alij prohibuere: *Sine*, aientes, *Ieſuitam doloribus confici*. Relictum Fratres ſub foros deportarunt in locum ubi congregati

So-

Socij ſtabant. Hic noſtros circumfuſos & commiſerando cõnſolantes, lætis ille circumſpectans oculis: *quin, ait, gratulamini mihi potius Fratres, & pro me Deo gratias agite. quindecim annis in Societate vixi, decem totis Miſſionem Braſilicam ambivi, meque ad illam comparavi: omnium, quos iſto ſpatio, aut tota vita pertuli, laborum vel ærumnarum, una hæc (fateor & intimè gaudens ſentio) una, inquam, hæc mihi Chriſti cauſa illata mors, longè ampliſſima merces eſt. Tormenta hæc corporis, deliciæ animi compenſant, imò, ut verè dicam, incomparabiliter exuperant: coguntque ultrò bona Fide profiteri: reddi iam nunc mihi abundè, promiſſam in Evangelio centupli pro uno vicem.* 70

Eius admirabilis fortitudo & caritas.

VI. Talia Emanuële ad flentes Socios loquente, deſcendunt in Alvum Navis plenè iam Victores ſupremi Tabulati Hæretici. Hic illis primus occurrit agens animam ex vulneribus Navarchus; quem tres quatuorve Noſtrorum ad piè moriendum animabant, oblata ei Chriſti morientis & Virginis Matris effigie, quas genibus ipſi flexis nudo vertice venerabantur.

Ea

71 Navarchus immanissimè trucidatur.

Ea Impij cernentes: *apage Papistas Idololatras*, exclamant. Statimque unus lentè deficientem Navarchum infixo in cor pugione conficit; ac ne locum occuparet in mare deijcit. Hinc se accingunt ad puniendos, quasi deprehensos in flagranti, veneratores Sacrarum Imaginum, in eorum potissimùm sævientes capita; propterea quod hæc illi ante Christi & Mariæ simulacra demisisse adorando viderant. Blasium igitur Riberam trucidarunt; cranio per incussos validè ac crebrò ensium capulos, contuso, quoad testa dissiliret, cerebrumq; diffluerет. Statim mortuo Mare Sepulcrum fuit. Iuxta erat Petrus Fontura. Huic vasto ictu acinacis maxilla inferior cum lingua exscinditur. ita volutantem in proprio sanguine relinquunt, aliò properantes. In discessu tamen unus fronti Antonij Correæ, ante Christi ac Mariæ Imagines inclinatæ; supernè tota vi dexteram impegit ferreo ensis manubrio prægravem. Iuveni vertex livido tubere intumuit: adeò fortiter dolorem ferenti, ut renidens ad Socios quereretur

72 Tres Socij qui eum ad piè moriendum iuvabant, ob hoc ipsum excarnificantur.

tur de ſui capitis duritie, unde cruor Chriſto libandus tanto ictu exculpi nequiviſſet. Hoc articulo rerum qui adhuc ſupererant Luſitani Milites & Nautæ, Navarcho, ut dictum eſt, interfecto, ſui ac Navis univerſæ deditionem Piratis fecere. Horum illi obſequium admiſerunt vultu placido, timere de cætero vetantes: blanditijs quinetiam additis. nam qui abſentis Soriæ locum inter ingreſſos Iacobeam Onerariam Centurio tenebat, Primarios ſe ſe dedentium humana porrectione dexteræ, reliquos omnes dulcibus appellationibus Amicorum & Fratrum honoravit: excipiens tamen Ieſuitas ab ea gratia: palamque imperans, ſegregarent ſe ab illis: quin & aſſignata dedititijs Externis parte quadam Navis, ubi hærerent; duos illis Milites appoſuit cuſtodes; dans in mandatis, ne Ieſuitarum quemquam penetrare ad hos ſinerent: nec viciſſim horum ullum inde prodeuntem immiſcere ſe illis.

73 Navis Iacobea Piratis Hæreticis deditur.

VII. Poſt hæc ſic conſtituta, Poſſeſſionem expugnatæ Navis Victores

in-

71 Navarchus immanissimè trucidatur.

Ea Impij cernentes: *apage Papistas Idololatras*, exclamant. Statimque unus lentè deficientem Navarchum infixo in cor pugione conficit; ac ne locum occuparet in mare deijcit. Hinc se accingunt ad puniendos, quasi deprehensos in flagranti, veneratores Sacrarum Imaginum, in eorum potissimùm sævientes capita; propterea quod hæc illi ante Christi & Mariæ simulacra demisisse adorando viderant. Blasium igitur Riberam trucidarunt; cranio per incussos validè ac crebrò ensium capulos, contuso, quoad testa dissiliret, cerebrumq; difflueret. Statim mortuo Mare Sepulcrum fuit. Iuxta erat Petrus Fontura. Huic vasto ictu acinacis maxilla inferior cum lingua exscinditur. ita volutantem in proprio sanguine relinquunt, aliò properantes. In discessu tamen unus fronti Antonij Correæ, ante Christi ac Mariæ Imagines inclinatæ; supernè tota vi dexteram impegit ferreo ensis manubrio prægravem. Iuveni vertex livido tubere intumuit: adeò fortiter dolorem ferenti, ut renidens ad Socios quereretur

72 Tres Socij qui eum ad piè moriendum iuvabant, ob hoc ipsum excarnificantur.

tur

tur de sui capitis duritie, unde cruor Christo libandus tanto ictu exculpi nequivisset. Hoc articulo rerum qui adhuc supererant Lusitani Milites & Nautæ, Navarcho, ut dictum est, interfecto, sui ac Navis universæ deditionem Piratis fecere. Horum illi obsequium admiserunt vultu placido, timere de cætero vetantes: blanditijs quinetiam additis. nam qui absentis Soriæ locum inter ingressos Iacobeam Onerariam Centurio tenebat, Primarios se se dedentium humana porrectione dexteræ, reliquos omnes dulcibus appellationibus Amicorum & Fratrum honoravit: excipiens tamen Iesuitas ab ea gratia: palamque imperans, segregarent se ab illis: quin & assignata dedititijs Externis parte quadam Navis, ubi hærerent; duos illis Milites apposuit custodes; dans in mandatis, ne Iesuitarum quemquam penetrare ad hos sinerent: nec vicissim horum ullum inde prodeuntem immiscere se illis.

73 Navis Iacobea Piratis Hæreticis deditur.

VII. Post hæc sic constituta, Possessionem expugnatæ Navis Victores

in-

ineunt, conclavibus eius omnibus & receptaculis lustrandis. Id aggressi agere, in locum veniunt, ubi Socij superstites circum Azevedij Cadaver stabant, cui iacebat ad latus, hinc quidem Emanuël Alvares fractis brachijs & cruribus, illinc Petrus Fontura sanguinem faucibus profundens, amputata mandibula, & lingua secta. Offendit immanes animos pietas, qua Nostros videbant, partim venerari Patrem mortuum, partim Fratribus animam agentibus condolere. Vt ijs igitur utriusque officij materiam subtraherent, primùm fœdè laceratum propè iacentem Petrum Fonturam complexu levant, multisque malis verbis additis, è Navis margine in fluctus spirantem adhuc, ut erat, eijciunt. Tum versa rabie ad Azevedij Cadaver, iterùm ei conati, quam manu adhuc tenebat, Deiparæ Imaginem eripere, non minus tenacem Defuncti manū, quàm vulnerati paulò priùs experti fuerant, sensere. quare nequidquam in hoc aliquamdiù luctati, tandem successu desperato, invictum mortuū

74 Petrus Fontura è vulneribus animam agens in fluctus proijcitur.

unà

unà cum isto suo, quod fortis dexteræ nexu ineluctabili arreptum, Orco, & huius Ministris frustrà semper invidentibus, obtinuit, Trophęo Sacræ Tabulæ, Deiparam ex Evangelistæ Pictoris Archetypo expressam referentis, in Mare devolvunt. Hic verò res mira spectantium cupidè multorum diù oculos tenuit. Extendit spontè in Crucis formam brachia, simul aquam attigit, Azevedius extinctus; & dextera nihilominus Dei Matris effigiem extollente, longo spatio supinus, Crucifixum assimulans, innatavit æquori. Multa in his naturæ vim excedunt. Primùm enim cum exanimata recens corpora in gurgites iniecta fundo subsidant, istud eminuit se se ostentans in superficie: deinde brachia in partes contrarias expandere, in eoque situ constanter habere, quis non intelligit, vivi & valentis esse opus hominis, non Cadaveris exanguis, ac sensu cassi? Denique compressu valido digitorum non prehendere solùm, sed & altè tollere, lateque per otium monstrare, molem satis gravem, qualis fuit tripal-

75 Azevedij corpus in Mare proiectū Imaginem Deiparæ Dextra tenens mirabiliter brachia expandit in Crucis formam.

maris tabula formam Divæ Mariæ Puerum Ieſum in ulnis geſtantis exprimens,nemo prudens non fatebitur, pro ſpecimine habēdum minimè dubio virtutis humana ſuperioris. Atqui de veritate quidem facti dubitare non ſinunt diſertæ teſtificationes plurimorum, qui viderunt: & ex memoria recenti, cùm apud Inſulam Materiam,tùm Vlyſſipone & alibi, rem ita fuiſſe geſtam ſe ſe ſpectantibus, ſæpè ac conſtanter aſſeverarunt. Ex quibus

76 Quanta Fide conſtent hæc mirè geſta circa Azevedij corpus exanime.

ſe audiviſſe multi viri graves coràm Delegatis à Sede Apoſtolica Iudicibus, prævio iureiurando, conteſtati ſunt: prout uidere eſt in Actis legitimis,quę extant Quæſtionum, autoritate Vrbani VIII. Sum.Pont. Conimbricæ, Eboræ, Bracaræ, in Luſitania, & in Vrbe S. Salvatoris ad Bayam Omnium Sanctorum Braſiliæ Metropoli, habitarū. Vt omittam autoritates Libris in vulgus editis perſcriptas Scriptorum magnæ exiſtimationis plus triginta, & teſtimonia iurata circiter quinquaginta Virorum fide dignorum,è ferè cunctis Europæ Nationibus Romæ iuridicè in-

Proceſſ. Ebor. et Bracara An. 1631. Conimb & Bay. 1632.

Proceſſ. Rō. An. 1665. & ſeq.

interrogatorum à Delegatis Arbitris ſpeciali autoritate Alexandri VII. Sum. Pont. è quorum partim Aſſertionibus in lucem datis, partim iuratis Teſtimonijs, certò intelligitur, viguiſſe iam inde ab illo tempore, & perſeverare hodieque famam de hoc ubique Gentium publicam. Cæterùm postquam ita diù fluitaſſet Azevedij Corpus exanime, nocte quæ eius necem inſecuta eſt, fluctu admotum Navi, facultatem præbuit pio cuipiam Luſitano excipiendi ex eius manu ultrò iam cedente, Imaginem Deiparæ, quam ille clàm habitam, ne ab Hæreticis diſcerperetur, Noſtris poſtmodũ in Inſula Materiæ reſtituit; Vnde illa in Braſiliam miſſa, hodiè in Templo Collegij Bayenſis aſſervari dicitur, obſignata veſtigijs cruentis digitorum Azevedij, mordicus eam in morte & poſt mortem retinentium.

77 Imago Deiparæ quam Azevedius mortuus tenuit, in Braſiliam delata.

CAP. V.

Alij Triginta Societatis Iesu Religiosi occiduntur. Sententia in eos Pronũciata Soriæ Archipiratæ qua disertè exprimitur, eos Necari iussos odio Catholicæ Religionis.

I. HActenus narratis quę contigerunt in Expugnatione violẽta Iacobeæ Onerariæ per Hæreticos Piratas: ordo rerum exigit, ut modò referamus, quæ; ab ijsdem Hæreticis Victoribus, sedato deinde consilio, statuta & acta sunt. Postquam vidit Soria suos haud dubiè prævalere intra Navem, quam invaserant, hostilem, relaxato ferrei harpagonis uncino abiunxit Rostratam suam ab Oneraria, quam,

quam,uti diximus,arripuerat: ſtanſque in proximo,ſuis mandavit, ut quãtum prædæ, Hominumque intùs reperiretur, ſedulò exploratum ad ſe deferrent. Ipſe interim amiſſorum eo conflictu numerum recenſens, comperit, omninò triginta Suorum perijſſe, partim intra Naves proprias occiſos explosione prima hoſtilium tormentorum, & varia eiaculatione plumbearũ glandium è Nave oppugnata, partim dum in hanc inſilire conantur, in Mare lapſos; aut poſtquam intrò irrupere, manu,teliſque reſiſtentium confectos. In ijs, ut iam indicavi, unum longè ſuper omnes deſideravit ſibi cariſſimũ Ioannem Bochardum; cuius in ultionem Necis haud exiſtimans ſufficere quindecim circiter Luſitanos, ipſo in his Navarcho numerato, quot occubuiſſe in certamine conſtabat; decrevit, quos è Superſtitibus cognoviſſet ad Bochardi trucidationem peculiaris aliquid operæ contuliſſe, hos utique à venia Deditis conceſſa exceptos, cariſſimo defũncto inferias mittere. In id igitur,qui inquirerent, & comperta re-

78 Soria Onerariæ Victor Bochardi qui in eius oppugnatione occubuerat, Necem ulciſcitur.

renunciarent, allegavit. quibus iussa exequentibus, Piratę Victores Navem captam, lustrare, scrutarique intimè pergentes, moniti à Nautis sunt: excrevisse aquam in sentina, quod per tumultum prælij nemo ei minuendæ attendisset, & novis eà rimis, tormentorum in Navem Hostilium incussione factis, copiosior influeret, non sine periculo demersionis, ni citò subveniretur. Hac illis re solicitis, commodè in conspectum occurrunt Socij reliqui, unum omnes in globum collecti: nam simùl est debellatum, quotquot superfuerant è sparsis, ut dictum est, per Manipulos Pugnantium, hortandi gratia, reliquis se aggregarant: & duo qui languentes lecto attinebantur, Gregorius Scrivanus, & Alvarus Mendez, ne occasionem diù desideratam impendendæ Christo vitæ amitterent, eluctati spiritus fervore debilitatem carnis, stratis se corripuerant, & veste Societatis raptim induta, coniuncti alijs stabant. Hos simul universos Hæretici, omni primùm contumelia verborum rabiosissimè incesse-

79 Triginta Socij ab Hæreticis immaniter vexati.

ſerunt, Canes Papiſtas, Catharmata, Peſtes, appellantes: deinde pugnis, calcibus, alapis cædentes, fuſtium ictibus ad antliam abigunt, ibique ut hæreant præcipiunt; additis minacibus mandatis, trahendi ſine ceſſatione, exhauriendique ſtrenuè Sentinam.

II. Eò illos trudentes, cum ſequi non poſſet, cruribus utique confractis, quem ſecum habebant Emanuël Alvarez, nec ſolus deſeri deberet, portatus à Socijs eſt, extenſuſque illic propè ſupra quandam arcam. Ille, oblitus dolorum, Fratres animabat, læto vultu conſolans; quoad auctis motu angoribus, paulò poſt deficere ſe ſentiens, rogavit, ut ſibi Symbolum Apoſtolicum recitarent, ac pro ſe orarent. Id dum fit, ſupervenere quatuor aut quinque Hæretici, qui viſo Emanuële, dixerunt: *nempe hic eſt, qui ſupra foros, dum ibi præliaremur, Papiſticam ſuam fidem profitebatur, vociferans, & noſtræ maledicens, etiam procax non verebatur inſultare nobis? auferatur, & eſca piſcibus donetur.* Ita pede contemptim apprehenſum traxere ad Navis oram, ubi unus eorũ

80 Emanuëlis Alvaris crudelis mors patientiſſimè tolerata.

com-

complexu sublatum exturbavit in flu-
ctus. Hæc nova lugendi causa super
tot alias congesta, non potuit tamen
deiicere in tristitiam generosos ani-
mos Superstitum Sociorum. Persta-
bant alacres omnes, & servili ministe-
rio trahendæ antliæ mira frontis sere-
nitate securi defungebantur, Deum
laudantes, Iesu, Mariæ, aliorumque Su-
perum opem implorantes, Fidem Ca-
tholicam profitentes, se se invicem
ad fortiter moriendum adhortantes.
Vrebat ea sæpius animadversa tran-
quilla fiducia væsanos Piratas: quam,
ut felle turgebāt Satanici livoris, haud
ferre inultam ad extremum potuere.
Ergo postquam egesta iam è fundo
Navis aqua plurima, periculum de-
mersionis abesse visum est, Nostros
iusso instantes operi probris adoriun-
tur, migrare illinc imperant, & in gur-
gustium sub Proræ Castello situm,
magno convitio compellunt, pugnis
obiter, ac calcibus trudentes, ensesque
vagina tectos adhibendo vice fustium,
humeros eorum, ac latera pulsantes.
Illo itinere cum esset pro numero tot
simul

ſimul gregatim abactorum perangu- 81
ſtus tranſitus, coactus eſt unus Socio-
rũ Emanuël Fernandez capſam quan-
dam ad latus Navis iacentem inſcen-
dere. Erat hæc feneſtræ in mare pa-
tenti contigua. Rapit inde occaſio-
nem indulgendi ferali odio quidam
propè adſtans Hæreticus; ac validè
impulſum à latere Iuvenem cum im-
mani cachinno in fluctus præcipitat;
ſic Fernandez nandi rudis citò eie-
ctam è corpore, præfocantibus aquis,
victricem animam Cœlo appulit. Per-
ductos mox iufra Proræ, quod vocant,
Caſtellum reliquos omnes Socios diri 82
Tortores, primùm minaciter iubent
talares veſtes Societatis proprias exue-
re, contuleruntque multi undique ip-
ſorum non mollem operam in ſingu-
lis Ieſuitico, ut aiebant, ferali & ipſis
inviſo iſto ſpoliandis indumento. Ac
pileos quidem clericales magno ludi-
brio raptos iactabant, conſpuentes, cal-
canteſque; tum in quibus, tegmine
capitis ablato, viderent Eccleſiaſticæ
ipſis exoſiſſimæ tonſuræ ſigna, orbicu-
lari ſpatio in faſtigijs raſo, excandeſce-

Emanuël Fernandez in Mare deijcitur ab Hæretico.

Reliqui Socij contumelioſè ſpoliantur, & vexantur.

bant ſacrilega rabie, tundentes eos in deteſtationis indicium. Qua ex cauſa colaphorum ſæviſſima procella in Didacum præ cæteris Andradam incubuit, quòd hunc, utpote Sacerdotem, latiori raſum orbe, ſummo in vertice, conſpexiſſent.

III. Tali vice rerum, acceptis in ſua Roſtrata Iacobus Soria, quas confici, & afferri ad ſe mandaverat, rationibus omnium rerum, & capitum in Navi expugnata repertorum; adiecto indicio boni ſtatus Onerariȩ nuſquam irreparabiliter læſæ, & ſuis ſanis membris, ſufficientibuſque armamentis, præthereà Miniſtris ac Nautis, ad curſum uſumque omnem benè inſtructæ, ante omnia decrevit: eam ſibi ſervare, adiunctamque ſuæ Claſſi Rupellam ducere. Ad hoc elegit certum è ſuis Militibus numerum, Duce cunctis præpoſito, quem Navis captivæ novum Navarchum declaravit. Hos in eam tranſire, & illi eſſe præſidio, præcepit. quia verò ab ijs, qui explorata cūcta retulerant, cognorat, coquinæ miniſterium in totam illam Navem,

pe-

penes Iesuitas fuisse, qui sibi ab initio ultrò sumpserant, in exercitium caritatis, officium cibos coquendi universo comitatui Vectorum, atque Nautarum, præsertim ex morbo, aut vulnere laborantium; ne tam necessarij parte obsequij, cui supplementum in promptu haud esset, novi Iacobeæ Onerariç Præsidiarij carerent, permisit, ægrè licet ac subinvitus, ut ad Culinæ famulatum, unicum è Iesuitis minimum & abiectissimum omnium, modò satis ad id valentem, cædi exemptum servarent. Præter hæc, quibus datum fuerat negotium inquirendi de interfectoribus Ioannis Bochardi, retulerant: illum confossum ab eo, qui titulo Magistri autoratus in Iacobea Navi fuerat: cui in hoc opitulatus ferebatur Faber quidam lignarius è familia Nautica: hos nominatim ambos ad se adduci Soria mandavit, adiecto tertio Simone Acosta. Huius evocandi hæc fuit causa. Renunciaverant ad explorandum missi, esse inter Iesuitas Adolescentem statura & vultu præ cunctis liberali præferentem indolis specimē

83 Vnus è Socijs coquus iussus ab Archipirata Soria servari.

rarę, qui etiam videretur ex ampla esse familia. unde lytri nomine multum exprimi pecuniæ ab eius Propinquis posset. Nec frustrà fortè sperararetur teneræ Puerum ætatis averti ab eius superstitionis professione posse, nec non ad Calvini Sacra traduci. Missa ergo properè à Thalassiarcha Scapha, novum Navarchum cum suo Manipulo captæ invexit Onerariæ, proque ijs poposcit, Magistrum Navis, Fabrū Lignarium, & Simonem Acostam. Conquisiti statim omnes, & traditi sunt: ac Simon quidem, ut erat è recenti spoliatione, nudo capite cum sola interula & femoralibus: sed euntem habitu sic indecoro, miseratus ex Amicis, unus Vectorum, Lusitanus, Chlamydem ei fortè obviam, & galerum iniecit.

84 Simon à Costa unus è Socijs cur accersitus à Soria.

IV. Quid his evenerit in tempore reddetur. Nunc enim memorandam ordo rerum obijcit Soriæ Tyranni capitalem in Christi Confessores sententiam. Huius ille pronunciationem, aut promulgationem nulli committendam Interpreti vel Præconi statuit.

Suo

Suo palàm ore dignum credidit efferre. Igitur, Rostrata sua lateribus Captivæ Onerariæ, quàm proximè potuit, admota, ex alto conspicuus Archipirata, facto manu silentio, cunctis, qui utramque complebant Navim attentè audientibus, effatus est hæc, verbis totidem, exceptis à præsente Gregorio de Oliveira, uno tunc è Vectoribus Navis Iacobeæ, ex quo iam Sacerdote se accepisse iuratus affirmavit Bernardus de Fonseca, cuius Testimonium ritè perscriptum extat in Actis legitimæ Quæstionis de his habitæ Conimbricæ An. Chr. 1632. Contestantibus idem alijs plurimis, ut passim videre est in Tabulis aliarum Quatuor Quæstionum Bayensis, Eborensis, Bracarensis, & Romanæ: ex quorum omnium mirè cōcordibus affirmationibus omni certitudine constat: Soriam suos tunc Milites, qui Navem Iacobeam Victores obtinebant, hac planè oratione allocutum: *Interficite istos Papistas Canes Iesuitas, qui proficiscebantur in Brasiliam ad dißeminandam illic falsam Doctrinam, & seducendos miseros Brasilienses: proijcite*

85 Sententia à Soria pronunciata in Socios.

cite

cite omnes in mare: cavete quisquam superſit è Porcis hiſce Ieſuitis. Poſt hæc vultu minaciſſimo edicta, receſſit. nec momento, eius Satellites ceſſarunt mandata exequi: fuerant Noſtri omnes ſtatim ab illa, de qua diximus eorum expoliatione ſub Proræ Caſtello facta, iterùm reducti ad Antliam: denuoq; iuſſi exonerandæ Navis alvo dare operam.

86 Andrada ob auditas Confeſſiones, à Calviniſtis trucidatur.

Id agentes illos multi undique concurrentes Hæretici ambiunt. Fortè qui primi venere, reperiunt Didacum Andradam audiendis Sociorum confeſſionibus, ad Necem imminentem ſe comparantium, vacantem. Hoc enimverò Calvini Sectarijs bilem atrociter commovit. Statim duo treſve dextra ſtrictis pugionibus armata, læva corripiunt Andradam: *& tun', inquientes, audes nobis præſentibus Papiſticas haſce ſuperſtitiones exercere?* ſimul ea dicendo multis cõfodientes mucronum ictibus, iam expirantem è proxima feneſtra in mare proijciunt. Interim cui data erat cura eximendi Neci unius è Socijs ad ſervile officium Culinæ, ſingulos attentè intuitus, Adoleſcen-

ſcentem in his notavit validæ habitudinis & lacertoſum, vultu fuligine infecto, necnon calloſis manibus. Huic ſeorſum ducto: *Nempe tu*, ait, *horum Presbyterorum ollas tergebas?* fatentem, ſecrevit à turba cæterorum: Sic tamen ut ex propinquo cerneret Necem multorum è Socijs, qui è feneſtra loco Antliȩ vicina poſt Andradam deiecti ſunt. Primi horum fuere Dominicus Fernandez, & Antonius Soarez. Hos Hæretici ex ætate provectiori ſuſpicati Sacerdotes, multis pugionum ictibus foderunt, in pœnam, ut aiebant, Miſſæ Papiſticæ cantatæ, auditarum Confeſſionum, Cōcionum habitarum. Quos videbant imberbes adhuc, non dignati vulnerare de feneſtra deturbabant. Erat alia in eodem plano, ſed paulò ab Antlia remotior, feneſtra, ad quam ab alijs Hæreticis reliqui Sociorum interficiendi ducti ſunt. His quid ſit actum non adeò diſtinctè videre Ioannes Sancius potuit: audivit tamen mox à Nautis Luſitanis, qui è propinquo ſpectaverant, pari modo confectos univerſos: maiori-

87 Dominicus Fernandez, & Antonius Soarez pugionibus cōfoſſi ob munia Sacerdotum obita.

88 Alij Socij partim confoſſi demerguntur, magna edētes ſigna religioſȩ pietatis.

ioribus videlicet uno prius, alteroque libatis uulnere, Iunioribus citra plagam in aquas iactis. Referebant porrò Nautæ ijdem Sancio de remotiùs ab eo confectis, magnas omnes edidisse in supremo casu significationes religiosæ pietatis, sublatis in Cœlum oculis, iunctis manibus, aut formam Crucis exprimentibus, Iesum, ac Mariam invocantes, profitentes, pro qua moriebantur, fidem; & quod Deo permittere placeret, quantovis ipsorum damno, in se fieri, gratulanter acquiescentes: quorum ipse paria observaverat in coràm se mactatis. Peractã porrò à Sanguinarijs hisce Actoribus Tragœdiam hanc totam cædis Sociorum,

89 Execrabilis rabies Carnificũ Hæreticorum.

cũ immani significatione inenarrabilis furoris, referebat idem Sancius. Nam inflammati rabie, inter irruendum, & circumcursandum, frontes sibi, quasi phrenetici, tundebant, ardentibus oculis, blasphema maledicta buccis impurissimis vomebant; atque omni gestu, motu, incessu, horrendum debachabãtur, planè furialibus intemperijs: ut hinc fides accedere videatur singulari

aliàs

Process. Brac. fol. 33.

aliàs testimonio, quod extat ritè perscriptum in Tabulis Quæstionis Bracaræ celebratæ An. 1631, Petri Diaz Ministri publici notæ gravitatis: qui coràm Delegatis à Summo Pontifice, Vrbano VIII. Arbitris, iuratus affirma-
„ vit: sibi esse compertum: unum è So- 90
„ cijs Azevedij, dum ij in Mare ab Hæ-
„ reticis è Navi capta iactarentur, fuisse
„ ligatum ad os extimè prominens tu-
„ bi maioris ænei, dum tubus idem far-
„ tus nitrato pulvere ac globo ferreo,
„ igni à tergo admoto exploderetur:
„ unde istius Religiosi hominis corpus,
„ in mille discerptum frusta, toto latè
„ mari sparsum est. Hæc ille ibi.

Vnus Sociorū ligatus ad os tormenti ænei disploso inde globo dispersus in fluctus.

V. Hic iam fortunati Adolescentis, qui eiusdem in locum Ioannis Sancij obrepens, dilatamque huic coronam occupans, quadragenarium absolvit Sociorum pro Christo cæsorum numerum, virtus, & sors beata memoranda est. Solverat sub initium Maij ex Vrbe Portus sua Patria, in comitatu Avunculi Navarchi & Domini Iacobeæ Onerariæ, probus, honesteque ac liberaliter educatus Iuvenis, tenera

nec militari adhuc ætate; *Sanctus Ioannes* vocabatur; vel potiùs *Sanioannes*, uti vulgò mutilum id nomen efferri solet, crebrò tritum usu per illam Vrbi Portus cõtiguam Interamnanam Regionem, Durio inde clausam, hinc Minio. Huic, ut erat ingenuæ indolis, & facilè sequacis ad rectè monstrata mentis, mirificè visu primo probata est Azevedij ac Sociorum, quos in eandem Navem Vlyssipone vidit conscendere, modestia, vitæq; totius compositissima ratio. Illo igitur octiduo, quo à Tagi ostio ad Insulam Materiam navigatum est, audiebat avidè quotidiè concionantem Azevedium, Litanias recitanti, ad Aram Sacra cerimonia fungenti, piè semper aderat. Mox & illo uti cepit conscientiæ Arbitro, nec ægrè ab eodem impetravit, ut admissus interdùm intra septa, quæ sibi suisque, Religioni quietiùs exercendæ, circumdederat, secretioribus Exercitijs, orantium simul, aut Collationes de Asceticis rebus arcanas habentium, interesset. Ita dierum usu aliquot perspecta innocentia, & pro-

91 Sanioannes Adolescens in Navi Iacobea Sociorum exẽplo capitur.

bi-

bitas tot tam unanimi concordia, tanta invicem verecundia, tam amabili demissione unà viventium Fratrum, cepit optimum Adolescentem, planeque perpulit ad sibi optandum istius Instituti consortium. Iam tum ergo ante appulsum ad Materiam Insulam ab Azevedio multis precibus contenderat, se se ut suæ Cohorti accensere dignaretur. nec planè is negaverat: tantum causatus parùm commoda tantæ inceptandæ rei maritimi cursus, & Navalis Diversorij tempus ac locum, spem fecerat, si umquam Deo iuvante Bayæ Brasiliç Portum incolumes attigissent, Domui Probationis illic sitæ se se illum transcripturum. Adhæreret interim quàm vellet intimè Socijs, seque pro uno illorum ferret, haberetque; animo quippe religiosam professionem censeri, non veste. Ex eo momento individuam San-Ioannes cum Nostris Societatem conversationis instituit. totos exigebat apud hos dies; &, præter quam cibum, & somnum apud Avunculum sumebat, de cætero à primo mane ad mul-

92 Admitti in Societatem postulat, dilatus, vivere cum Nostris finitur.

tam noctem mistus Socijs, eos orantes, sacræ Lectioni, aut Meditationi operam dantes, flagellantes se se quin etiam, & cætera quotidiana religiosæ consuetudinis officia obeuntes imitabatur, inexplebili dulcedine pietatis. Itaque in discessu à Materia illam in Templo habitam denunciatricem imminentis Martyrij concionem audijt Azevedij, sacramque cum cæteris ex eius tunc manu Eucharistiam accepit, eo animo, quo à Confessoribus olim, ante infesta Idololatrarum Tribunalia producendis percipi solitam S. Cyprianus scribit; parata scilicet voluntate rependendi Christo sanguinem pro sanguine. Idem apud Terzacortium omnium ibi, quæ retulimus, Actorum in præparationem ad Necem proximam, vel in primis fuit particeps. Denique oppugnari iam cepta Iacobea Navi, sub Tabulato in cœtu Sociorum illic ab Azevedio hærere orando iussorum, mansit ipse quoque, ac inde translatos, uti narravimus, ad Antliam, sequi voluit. Sed pro sæculari de veste agnitus, à Victoribus iam

Nave dedita Piratis, exclusus illinc est, quorum duo illum tresve circumstantes, humaniter monuere, ne se istis admisceret venia exceptis. ac reluctantem nihilominus conantemq; irrumpere, Custodes tunc quidem repulerunt. Exclusus hinc locum repetijt. Vbi expirantem viderat Azevedium; & ut erat illa plenus imagine, nec dubitabat, quin Patris Optimi anima beata eo esset loco, unde ipsum audire iuvareque posset, credibile est, promissam sibi ab eo admissionem in Societatem repræsentari poposcisse. Hic orans, ire paulò post vidit sub Proræ Castellum abductos ab Antlia Socios, accurrensque se ijs denuò adiunxit. Verùm depulsus iterum est à clementer Victoria utentibus Piratis, benevoleque suadentibus; frueretur conditionis oblatę fortuna. Vitam ipsi concessam. cur se iret perditum; statum suum securum sorti horum longè sequiori admovens, non dubio periculo nimis ipsi exitiosi contagij. Flens ea ille, renuensque aspernabatur: adeoque spoliatos postmodum Socios cùm

93 Capta Nave bis separatus per vim à Socijs, se se ijs toties iterùm iūgit.

se-

ſecundò angariarentur ad Antliam, ſequi tentavit: fruſtrà tunc quoque, vi utique amica retractus, ad miſerationem inflexorum, & benè ipſi conſulere putantium Piratarum. Poſt quod ſecum deliberanti mens iniecta Iuveni eſt, factu optimum fore, ſi veſtem unam Sociorum è multis ſub Proræ Caſtello, ubi fuerant exuti, temerè abiectis, tolleret, ſibique aptaret. Nec diſtulit cogitatum exequi. Eo fortè momento temporis pronunciata Soriæ Archipiratæ ſanguinaria in Socios ſententia, cum multi certatim in eos Hæretici ea, cuius ſupra memini ferocia, irruerent, facilè Sanioannes, nemine in tanta trepidatione prohibente, globo ſe Sociorum inſeruit, & veſtis novæ obtentu illos fallente, qui priùs ipſum agnitum retrahere à perituroru m conſortio ſtuduerant, pro uno haud dubiè Ieſuitarum habitus; ſicque, quam concupierat Coronæ cum ipſis Societatem unà in Mare demerſus, eſt adeptus.

94 Veſtem Societatis nactus induit.

95 Et in Mare cũ Socijs in præceps iacitur.

VI. Reliquum Diei iam ad veſperaſcentis, tam in captiva Nave Iaco-

bea,

bea,quàm in Victrice Prætoria Soriæ, ab Hæreticis transactum est, inspectione & exportatione prædæ. quippe scrutatione curiosa detecti Fasces mercium pretiosarum, quæ fuerant peculia Institorum plurium, Navim, ut dictum est, Iacobeam ex dimidio locatam habentium: Scaphis in Rostratam transferebantur; Soria partem quandam istarum Manubiarum in Donaria spargente, quibus quorumdam è suis perspectam in expugnanda Oneraria fortitudinem impensè laudans remunerabatur. Per eam investigationem conditorum alvo captæ Navis onerum, ad Patrum quoque supellectilem ventum est. Tota illa erat Ecclesiastica, comprehensa capsis aliquot vasa, vestes, libros, Imagines sacras, ad ornatum Templorum, & cerimoniarum ministeria continentibus. Accedebant, vis magna cerearum Agni Cœlestis iconum, cruciculæ, numismata vultus Christi ac Sanctorum referentia, globuli piaculares, &, quæ præ cunctis æstimabantur, Reliquiæ veterum Martyrum: dona pleraque

par-

partim à B. Pio V. Sum. Pont. partim ab alijs Aulæ Romanæ Proceribus, Amicisque sortis omnis discedenti ab Vrbe Azevedio collata. Istiusmodi rebus refertam Arcam, cum ad se de-

96 Verba impia Soriæ blasphemantis ad conspectum supellectilis Sacræ.

latam resignari Soria iussisset, aspectu primo abominatus, & contemptim calce impacta reijciens; *Apage,* ait, *ridiculum choragium Scenæ Papisticæ; abijcite ac corrumpite totum istud, uti dignum est, deliræ Superstitionis instrumentum.* Irruit statim in Cistam his auditis profana illa fæx Hæreticæ Militiæ; atque ut erat Victoriæ gaudio in effusam soluta hilaritatem, certatim inde quisque quidvis obvium rapiens, discursu per Navim insano traducebant, procacissimis cachinnis irridentes. Conspurabantur inter obscœnissima convitia & blasphema maledicta Sanctissimæ Cœlitum Imagines, Pyxides plenæ Cereis Agni Dei sigillis effundebantur in pavimentum, & largo risu cal-

97 Crucifixi effigies confossa, aliæ Sacræ Imagines varijs contumeliis affectæ.

cabantur. Fuit cuius in manus altiùs scrutantis venit Simulacrum è ligno affabrè laborato Christi Crucifixi, staturæ maiusculæ. hoc ille impius sata-

nico

nico aliquandiù incomitiatum ludibrio, denique pugionis multis ictibus confodit. Alius curiosè involutam explicans materiæ particulam, cum ex inſcriptione intimè reperta cognoviſſet, fragmentum eſſe veræ Chriſti Crucis, poſtquam illud profanus impuriſſimis temeravit manibus, & ore pollutiſſimo conſpuit, ad extremum flammæ admovet: ac propè illic adſtanti Simoni Acoſtæ inſultans dixit. *Vide, Papiſta, quàm facilè ardeat!* Nec ſegniùs, qui erant in Navi Iacobea, cognito Soriæ de Sacra Ieſuitarum ſupellectili abolenda mandato, reliquas effringunt ciſtas, indeque promptos piaculares globulos, & quæ vocamus Roſaria, ſigilla Sanctorum ænea, cruciculaſve, plenis manibus per foros ſeminant, aut in Mare proijciunt. Ex Arcę eiuſdem fundo Scriniolum eruitur inſigne hac exterius epigraphe; ***Caput unius Sanctæ Vrſulæ Sociarum à Summo Pontif. Pio V. datum.*** Hic verò inſolentiſſimè triumphavit Hæretica petulantia. Diffracto tegmine productum venerabile Cranium fœdo

Fragmentum veræ Crucis conſputum & combuſtum.

98 Fanatica profanatio Sacrarum Reliquiarum.

passim scommate Scurræ undiq; coorientes exsibilant, ac pilæ instar per manus iactant; tum, quod Margaritis Porci facerent, humi deiectum calcant. Donec unus avernali spiritu cęteris plenior, at ego, ait, *os patibularium, uti meretur, ostentui suspendam*. Sic arreptum Sanctum Pignus furiali væcordia altè in Antenna conspicuum defigit, ubi per dies multos contumeliarum, & ludibriorum stygiæ Cohorti scopus patuit. Cista inter hæc apparuit intimè reposta qua Liturgicus multiplex claudebatur apparatus: Lineæ talares plures, quas Albas vulgò dicimus, Sacerdotales penulæ nō paucæ, Planetas, & Casulas vocamus; Dalmaticæ quoque Diaconorum sacris fungentium tunicæ, frontalia, & mappæ tegendis Aris, cuncta cachinnis tartareis irrisa. Libri Missales, discerpti, Vrcei confracti. Calicum ad usum Sacrificij, (qualium copia non modica in Brasiliam portabatur) servandorum causa fuit pretium Materiæ, nam ex argento erant. Sed quod ad cœnam hora vocaret: & eius largi-

giter inſtruendæ liberalem copiam direpta Victoribus Penus captæ Navis ſuggereret, occaſio ſacrilegi abuſus nihilo religioſioribus babylonio Balthaſare nata Lurconibus eſt. Nimirùm, & hi Sacra Templi pocula, vilium vice Scyphorum, ad propinationes deteſtabiles adhibuere. Mox hinc temulenti pro cultu Thymelico ſacras adhibent veſtes. Alius Syndonem, alius Stolam, Penulam Sacerdotalem, aut Diaconicam ſibi aptat Dalmaticam. Non pauci clamoribus inconditis cantus Eccleſiaſticos æmulando infamant. Incompoſitis aliqui greſſibus ſupplicationum uſitatas Eccleſiæ irrident pompas. Nec defuit, qui veſte amictus Sacerdotali, Menſæ quaſi Altari, ſe applicans, mimicis geſtibus ſacras Miſſæ cerimonias luderet. Hæc tam execrabilia, tamque infanda impunè fieri Dei patientiſſima permittente ſapientia: nec furori, omnem tolerabilis inſaniæ modum ſupergreſſo, aliunde nocte illa finis, quàm à laſſitudine, ſecutoque ex ea ſomno phanaticorum ebriorum contigit.

99 Sacri Calices ad Menſæ usū à temulentis adhibiti. Liturgicæ veſtes ab iiſdem per ludibrium indutæ.

100 Eccleſiaſticæ ſupplicationes & pij ritus irriſi.

CAP. VI.

Vltimi quadraginta Sociorũ Simonis Acoſtæ generoſa confeſsio, & ob eam iugulatio ac demerſio. Diſerta teſtimonia Hæreticorum declarantium, ſe mero odio Catholicæ Fidei quadraginta Ieſuitas occidiſſe.

I. NOndum erat perpetratũ Holocauſtum; & ſummæ integræ quadragenarij Sacrificij una debebatur etiamnum Victima, quando illuxit dies poſtera, ſeptima decima Kal. Auguſti, anno illo Dominica. Primo huius mane ratus Soria, Simonem Aco- *16. Iul. 1570.*

Acoſtam terrore perfuſum pridianæ tragœdiæ, facile nocte, quam eſſet ad deliberandum nactus, relaxaſſe animum ad miſerationem aliquam ſuæ iuventutis, ſiſti ſibi Adoleſcentem imperat: confeſtim adducto alte ſupercilio reſidens, medius in circulo ſuorum: *Quidam*, ait, *ex iſto fuiſſe te Presbyrorum Papiſtarum grege dixerant: at his ego non credidi; ſed te volui ſervatum, ut reddi Tuis poſſis: ni malis venire nobiſcum in Galliam, ubi iucunda, & te digna vitæ conditio non deerit.* Ad hæc nihil cunctatus Simon: *Fui enimverò ex iſto quem ais Grege: nec falsò relatum putes: quin & hoc mihi crede utique ſcienti: ſum adhuc, & ero ſemper; nec me umquam pudebit aut pigebit in Societate Ieſu profiteri, ac prædicare Catholicam Apoſtolicam Romanam Fidem. Vitam mihi citiùs, quàm hanc profeſſionem quivis extorſerit.* Excanduit inopinato Tyrannus auditu: & torvo reſpectu armatis ſatellitibus innuens, *Trucidetur ſtatim*, inquit. Illi ſine mora iugulatum in fluctus abijciunt. Sors ſimilis in cauſa diſpari duorum ſimul cum Acoſta evocatorum fuit. Producti & ipſi co-

101 Simon Acoſta pretium generoſæ confeſſionis Necem pro Chriſto refert.

coràm Soria, graviter incuſati ab eo ſunt: quod Viro fortiſſimo ſibique dilectiſſimo Bochardo cauſa mortis extitiſſent. Mox admoniti nutu ferali Carnifices, cervicibus utrique fractis, ambos in mare devolverunt.

102 Poſt cædem Sociorum, Luſitanos Hæretici comiter tractant.

II. Hic finis non cædium modò, ſed & irarum fuit. Deinceps quippe à cunctis magno conſenſu Victoribus, non ſolùm à vi ſæva in Deditos, ſed etiam ab omni verborum acerbitate temperatum eſt. Quin liberati paulò poſt, & menſe hinc vertente ſuis redditi plurimi eorum, quos ea calamitas afflixerat, Luſitani, paſſim auditi ſunt Menſe Auguſto in Materia Inſula, cū dicerent, delinitos ſe fuiſſe multa ſermonis comitate à Piratis ſemel perfunctis hactenùs narrata crudelitate; quam & excuſare conabantur, quaſi expreſſam neceſſitate, nec naturę alioqui genioq; ipſorum conſentaneam. Huius generis ſermonum memoriam hùc attexere aliquam debeo, quoniam inde manifeſtiſſimè apparuit, quod in hoc toto negotio caput eſt, ſola Religionis cauſa Quadraginta Socios ab

Hæ-

Hæreticis occisos. Simul est perlatum in Iacobeam Onerariam, Navis Magistrum, & Fabrum lignarium in Prætoria iussu Soriæ interfectos & demersos, multi Vectorum ac Nautarum, qui utrumque norant, miserationem in eos suam mœstitia, lacrymisque testati sunt. Hos Soriani Milites, novi Præsidiarij Navis captivæ, perhumaniter consolabantur; id à Duce ipsorum, alioqui clementi, nec solito sævire post Victoriam, cōtra innatam propensionem, præter consuetudinem factum, magno dolore adigente, quem ex summi Amici Ioannis Bochardi casu tristissimo hauserat. Ea cum multi certatim Galli, circulis se se Lusitanorum de his confabulantium ultrò inserentes, inculcarent; & quidam in turba Nautarum Gregariorum, cui erat immistus noster Ioannes Sancius, ad culinæ, ut est dictum, ministeria servatus, ambitiosiùs id ipsum ostentans, dixisset. *Utinam duo isti vestri Magister & Lignarius Faber, à cæde Bochardi manus abstinuissent: non minus hodiè, quam ipsi vos superessent incolumes. Dux noster*

in

in solos armatos, & repugnantes irasci consuevit; victis & deditis mitissimus: Huic Sancius: *atqui tot Iesuitas*, ait, *qui certè*
103 *nec Bochardum occiderant, nec vestrùm omninò quemquam armis læserant; etiam post conflictum, sedato certaminis ardore, trucidastis.* Ad ea Miles ille sic respondit: *Iesuitarum, quos memoras, alia causa est, quippe Religionis nostræ reformatæ implacabilium Hostium. Absque illis foret, Gallia iam tota Calvinus dominaretur. Illi Regem contra Nos armant, Populos concitant. Papæ dominatus istis nititur. contra hos Domo afferimus odia iurata, certi omnes ubicumque occurrerint perdere.* Hæc quæ se audisse Sancius retulit, consentanea sunt ijs, quæ alij superiùs laudati se excepisse ex aliorum Soriæ Militum ore affirmarunt: unde istiusmodi testimonia se mutuò roborant.

Hæretici fatētur se Iesuitas Religionis odio necasse.

III. Erat in Navi Soriæ inter nuper captos propè Insulam Materiam, Lusitanus Sacerdos, pro tali tamen non agnitus: quia vestem viatoriam Laicæ similem, quando in manus Piratarum incidit, gerebat; inde ab his pro Cive honesto habitus, in Lytri

spem

ſpem comi cuſtodia ſervabatur. Hunc unus è Soriæ Tribunis, hoc ipſo die, his verbis eſt allocutus: *Ne pigeat, quæſo te, docere quis ille fuerit inter Ieſuitas magnus, & præcipuè à cæteris quoque cultus; quem heri vidimus, dum Navem Iacobeam invaderemus, ad Mali maioris pedem ſtare, ſanè audacter, Tabulam neſcio quam præferentem manu. ſpeciem habebat hominis ſupra vulgarem eminentis ſortem. An, rogo, Præſul erat, ac deſtinatus in Braſiliam Epiſcopus?* Ad ea Luſitanus Preſbyter: *Ignatius Azevedius*, reponit, *ei quem dicis, nomen fuit, eximiam Viri nobilitatem indicans. Eſt enim è Primis & Clariſſimis Luſitanici Regni, Azevedia familia; cuius ille Princeps fuerat: ſed ius Primogenituræ Fratri minori ultrò ceſſit, ad pauperem Chriſti cauſa vitam in Societate Ieſu profitendam tranſiens. Ibi magnis rebus geſtis, eam ſibi apud Sebaſtianum Regem gratiam paravit: ut aſſirmare auſim, ſi voluiſſetis eius vitæ parcere, ingenti vobis id quæſtui futurum. Nam perſuaſum habeo, pro eo quanti ſcio æſtimatum virum illum à Rege Sebaſtiano, quantumcumque pecuniæ pro eius capite popoſciſſetis, numeratam ſine mora è re-*

104 Sacerdos Luſitanus interrogatus ab Hæretico de Azevedio quid reſponderit.

105 Quid ei reposuerit Tribunus Hæreticus, ex quo manifeste patet causa ob quam Azevedius est interfectus.

gio Fisco accepturos vos fuisse. Erras, ait Tribunus, *ne Montes quidem aureos oblatos cum talis hominis vita commutaturi fuimus. Iesuita enim erat: hoc est Hostis capitalis Religionis nostræ: quales cum in manus nostras incidunt, nefas putamus incolumes dimittere: non ergo vel si quantum habet in Aerario pacisci pro talis hominis redemptione Rex vester se paratum diceret, persuaderet umquam nobis, ut vivere illum sineremus.* Hæc Sacerdos ille Mense proximo suis redditus, apud Materiã Insulam, passim referebat: ex quo se audisse multi sunt testati: prout extat perscriptum in Actis legitimis Quæstionum ritè de his habitarum Eboræ, Conimbricæ, & Bracaræ.

IV. Quod autem eodem pertinens lego in Tabulis Quæstionis similis Romæ An. Chr. 1641, exercitæ, non puto prætereundum. Scribitur ibi; citatum secundo loco Testem comparuisse coram Iudicibus à Sum. Pont. Vrbano VIII. Delegatis D. Alexandrum Henriquez, & iuratum affirmasse: sibi contigisse, dum anno Christi millesimo sexcentesimo vicesimo

106 Alexandri Henriquez testimonium in hanc rem notabile.

octa-

octavo per Oceanum Atlanticum nō longè ab Insulis Canarijs Nave Hispana veheretur, capi à Pirata Rupellensi, qui eam Navim expugnavit, & cūctis eius mercibus potitus, vulgus inopum in ea repertorum (inter quos duo erant Religiosi Patres, Carmelita unus, alter Franciscanus) quod ex ijs nihil exprimere se posse pecuniæ speraret, Navi eiectos in quadam Insula deserta non longè à Materia exposuit: ipsū verò Henriquez cum alijs tribus, quos putabat locupletes, secum in Zelandiam catenis vinctos deportavit. In longo illo cursu, cum aliquando quidam nomine Theophilus Tibaus, id in ista Navi officium exercens, quod *Contramagistri* vulgò appellant, familiariùs cum Captivis colloquia misceret: fretus Henriquez ista eius humanitate non dubitavit ex eo quærere: qui factum esset, ut Navarchus & eius Milites, qui frequenter audiebantur execrari genus omne Monachorum, duos tamen illos inviolatos dimisissent. Ad ea sic Theophilus respondit. *Plerique istorum Cœnobitarum minus*

107 Duo Religiosi capti à Piratis Hæreticis cur liberi dimissi.

molesti sunt Nobis: ita enim suis ritibus vivunt, ut nostram à Calvino institutam haud ita frequenter, & asperè dictis, scriptisque Sectam exagitent. Non ea est illorum moderatio, quos Iesuitas vocant. Hi ubique locorum, nullo non tempore, irrevocabili acerbitate accusant, infamantque nostra Dogmata, Conciones in nos dicendo commovent: Principes ad Nos armis persequendos concitant. Ideò illos vicissim internecino prosequimur odio, nec umquam oblatis parcimus, alios spernere contenti. Sic igitur habe: si duo illi, quos dicis, Iesuitæ fuissent, eos haud dubiè Dux noster necari iussurus fuerat. sicut ante annos plus quadraginta referentem audivi Patrem meum: interfe-
108 *ctos se vidente in eodem Maris Tractu, ubi capti vos estis, pariter captos quadraginta Iesuitas iußu Archithalassi Domini Soriæ, cuius Navis Prætoria, tunc cum est id actum, Genitor idem meus Iacobus Tibaus clavo regendo erat Præpositus.* Hæc Henriquez à Contramagistro Theophilo audita, referebat communicasse secum tribus suis Socijs, quorum unus vocabatur Didacus de Norogna, alter Emanuël de Carnide, Lusitani ambo,

Iacobus Tibaus fuit Gubernator Rostratæ Soriæ, & ex eo audivit Theophilus Tibaus eius filius occisum Azevedium cum suis odio Religionis.

bo, tertius Hiſpanus erat Iuſtitiæ Miniſter. Hi omnes cum inter ſe ſe diù diſquiſiviſſent: quinam illi eſſent quadraginta Ieſuitæ, quos Theophilus vidente ſuo Patre trucidatos memoraret, collatis temporibus, & teſtimonijs Hiſtoricorum, conveniſſe: haud alios eſſe hos potuiſſe, quam Azevedium & huius Comites, anno ſuperioris Sæculi ſeptuageſimo à Iacobo Soria propè Palmam Inſulam captos & occiſos. Vnde hoc novo Iacobi Tibai Gubernatoris Roſtratæ Sorianæ oculato teſtimonio, à Filio eius Theophilo tantò poſt, modò relata occaſione, recitato, confirmatur: Ignatium Azevedium cum triginta novem Socijs ideò interfectos mandato Soriæ fuiſſe, quia erant omnes è Societate Ieſu; idcirco inviſa Calviniſtis, quia errores ipſorum ubique confutat, contraria ijs Catholicæ Religionis propugnando Dogmata.

DE

DE VITA ET MORTE IGNATII AZEVEDII ET SOCIORVM

LIBER IV.

CAP. I.

Verus Catalogus Occiſorum cum Azevedio: & quæ de ſingulis notitiæ congeri vndecumq; potuerunt, ordine redditæ.

I. EXpoſito, quàm ordinatiſſimè licuit, perturbatiſſimo negotio; non citra periculum vix evitabile, ne rei multiplicis tumultuoſiſſimè geſtæ confuſio in narrationem redundaret: ponendi modò trãquilliùs ſunt calculi;

li; explorandumque recensione diligenti, ecquid examussim constet numerus Quadraginta Victimarũ, quot secum immolandas Azevedius, in discessu ex Insula Materia sacrificans, divino, uti diximus, afflatu cognoverat. Vltrò fateor id videri potuisse non prorsùs extrà omnem controversiæ aleam positum ante habitas de tota ista causa legitimas auctoritate Apostolica Quæstiones. qui enim, illis monumentis nondum cognitis, Nostrorum *a* Hanc Historiam tractarunt, reperiuntur variè rationes conturbasse, summam præcisè Quadragenariam non nemo minuendo, quidam augendo, plerique omnes fatigando Lectoris attentionem diversa ordinatione Nominum, & molesta in eorum Scriptione inconstantia. Solæ ante id tempus editæ sine nomine Autoris è Romano Societatis Archio Tabulæ iustum exhibent numerum Quadraginta Sociorum ab Hæreticis in odium Religionis occisorum, imputato in hunc, vice Ioannis Sancij ab ijs servati, San-Ioanne Societatis candidato;

1 Difficultas exhibendi veri Catalogi occisorum cum Azevedio Sociorum unde orta.

a Ribad. in Cent. Martyr. Andr. Schott. in vita S. Franc Borgiæ. Petrus Iarricus in Hist. Rerum Ind. Alegãbe in mor. Illustr.

2 Is ex tribus idoneis testibus indubitabilis proditur.

qui-

quibus cum exactissimè consentiant bini Catalogi, qui extant in Actis Quæstionum Eborensis, & Conimbricensis, excepti ex ore Iuratorum Testium duorum, quorum prior *a* singulos Sociorum istorum semel in Valrosana Villa, iterùm in Materia Insula familiarissimè noverat: alter *b* è multis qui pariter viderant, & in primis à Ioanne Sancio acceperat. nihil puto ampliùs quærendum. Ex his enim prorsùs indubitabilis, nomenclatione pariter & ordine uniformibus, horum descriptio nominum formari potest in hunc modum.

a Steph. de Cõto primus. testis, Process. Ebor. fol.27.

b Nonus Testis in Proc. Conimb Ant. de Castelbianco fol.65.

Series Quadraginta Religiosorũ è Societate Iesu propè Palmam Insulam ab Hæreticis occisorum. An. 1570, 15. & 16. Iul.

DECAS PRIMA.

1 P.Ignatius Azevedius:

P.Di-

2 P. Didacus de Andrada.
3 Antonius Suarez.
4 Benedictus de Castro.
5 Ioannes Fernandez Vlyssipon.
6 Franciscus Alvarez Coyillanius.
7 Dominicus Fernandez.
8 Emanuël Alvarez.
9 Ioannes de Mayorga.
10 Alfonsus Vaëna.

DECAS SECVNDA.

1 Gonsalvus Enriquez.
2 Ioannes Fernandez Bracareñ.
3 Alexius Delgadus.
4 Ludovicus Correa.
5 Emanuël Rodriquez.
6 Simon Lopez.
7. Emanuël Fernandez.
8 Alvarus Mendez.
9 Petrus Nunnez.
10 Franciscus Magallanes.

DECAS TERTIA.

1 Nicolaus Dinis.
2 Gaspar Alvarez.
3 Blasius Riberius.
4 Antonius Fernandez.
5 Emanuël Paciechus.
6 Petrus Fontoura.

7 Simon à Coſta.
8 Andreas Gonſalvez.
9 Amarus Vaz.
10 Didacus Perez.

DECAS QVARTA.

1 Ioannes de Baëza.
2 Marcus Caldeira.
3 Antonius Correa.
4 Ferdinandus Sanchez.
5 Gregorius Scrivanus.
6 Franciſcus Perez Godoius.
7 Ioannes Baptiſta de Zafra.
8 Ioannes à S.Martino.
9 Stephanus Zuraire.
10 San-Ioannes.

3 Quinque in his eiuſdem cognominis, Fernandez, unde diſtinguantur.

In his ad omonymiam cavendam obſervandi ſunt quinque eodem inſigniti cognomine, *Fernandez*, nimirum quintus & ſeptimus primæ Decadis; ſecundus & ſeptimus ſecundæ Decadis; Denique quartus Decadis Tertiæ. Sed tres illorum à ſe invicem nominibus diſtinguuntur. Septimus quippe in prima Decade Dominicus Fernandez nominatus, ſatis per hoc intelligitur differre à ſeptimo ſecundæ Decadis, qui Emanuël Fernandez ap-

appellatur; & uterque à Quarto Decadis tertiæ, qui cognomini Fernandez nomen Antonij præponit. Ac per easdem tres isti notas, abundè à quinto Decadis primæ, atque à secundo Decadis secundæ discernuntur: quos communi utentes prænomine Ioannis, ne inter se confunderentur, necesse habuimus adiecta Patriæ differentia signare: Prior siquidem Vlyssiponensis, alter Bracarensis fuit. Tres item in hoc Albo exhibentur, quibus idem, aut non multùm differens, *Alvarez*, vel *Alvari* nomen est. Verùm singulos horum Characteres certi à confusione vindicant. Nam sextus in prima Decade *Franciscus Alvarez Covillanius* ab octauo eiusdem Decadis *Emanuele Alvarez*, & à secundo tertiæ Decadis *Gaspare Alvarez* prænominis varietate discriminantur: *Petrus Fonseca*, & *Amarus Vasquius*, quos quidam *a* in istum numerum inferciunt, nulli unquam fuere. Puto allucinationem natam è vitiosa Scriptura duorum Nominum, *Amari Vaz*, sive *Vazij*, & *Petri Fontura*: quæ alicubi Ama-

4 Quatuor commune Alvarez vel Aluarus nomen habentes quo differant.

5 Petrus Fonseca & Amatus Vasquius perperam intrusi pro Petro Fontura & Amaro Vaz.

a Ribad. Iarric. Strat. in Menol. Soc. Alegãbe in Mort. Ill.

nuenſes in *Amatum Vaſquium*,& *Petrum Fonſecam* deformaverint: cauſa capitaliùs errandi minùs cautis oblata; qui cum deſcriberent illos indices, nomen unum variè notatum, in duo, & nomina, & capita geminaverint. Amarum autem, ne forte quis Amatum ſubſtituendum putet, dicunt Luſitani pro Mauro.

II. De horum unoquoque ſi quid hactenus non indicatum, uſpiam reperi, deinceps referendi locus hic eſt.

6 Didaci de Andrada Patria. Eum ſibi Azevedius in regendis Noſtris adiutorem & Vicarium elegerat.

P. Didacus ſive Iacobus de Andrada Sacerdos Patriam habuit Pagum vulgò dictum Petraganum (Luſitanice Pedrogam) in Diœceſi Conimbricenſi. Aliquot annis in Societate piè ac religiosè tranſactis, tale ſuæ virtutis ac prudentiæ ſpecimen dederat, ut eum idoneum Azevedius iudicaverit, cui partem commiſſi ſibi officij Sociorum regendorum non modicam demandaret: illo præcipuo gubernationis adminiſtro & Vicario utens. Civis huius fuit Antonius Suarez,& ipſe Petraganenſis, nec in ſuo gradu virtutis diſparis. cuius merito moderandis

7 Eadem Patria, nec virtus ac ac fors diſpar Antonij Suarez

dis alijs fuerat ab Azevedio præpositus tertio ſub ſe loco, Subminiſtri titulo. Benedictus de Caſtro natus erat Chacimi, quod eſt Oppidum Diœceſis Mirandenſis in Luſitania. Anno ætatis duodeviceſimo admiſſus in Societatem, novem in ea cum laude annos in ſolitis probationibus & ſtudijs Literarum exegerat. Iam à primo Tyrocinio dicitur ingenti fundendi pro Chriſto ſanguinis deſiderio flagraſſe. Novitijs, quales ſecum ducebat plurimos, inſtituendis peculiarem Magiſtrum hunc Azevedius præfecerat. Non exiguo indicio præſtantis de caritate ipſius ac ſapientia opinionis. generoſam ac ſtrenuam probavit indolem præferendo Crucis ſigno inter milites invicem infeſtos in medio tumultu certaminis: ubi quem ſuperiùs memoravimus planè invidēdum finem eſt nactus, primus omnium occumbens. Ioannes Fernandez Vlyſſiponēſis, duos in Societate annos exegerat, admiſſus in Scholarium, quem vocamus, Ordinem: qui ad functiones literarias, & Sacra Miniſteria deſtinan-

8 Benedicti de Caſtro ortus, Educatio, vitæ ſumma.

9 Magnis virtutibus meruit primus occumbere.

10 Ioannes Fernandez Scholaris. Frãciſcus Alvarez Coadiutor temporalis, item ut Dominicus Fernandez,

nantur. At Franciſcus Alvarez, à Covillano unde ortus erat Luſitaniæ Oppido Covillanij adnomine, uti monuimus, diſtinctus à penè cognomine Socio: ad Domeſtica officia in Coadiutorum, ut ſolemus appellare, temporalium ſortem adſcitus fuerat: itidem uti Dominicus Fernandez, natus in Villavitioſa, Celebri Luſitaniæ Municipio. Eiuſdem erat Ordinis Emanuël Alvarez natus Eboræ ſtirpe humili, paſcendis à puero gregibus addictus. Inde per annos quindecim in Societate tractandis officijs domeſticis religiosè ac ſtrenuè verſatus, Palmam inter Commilitones tulit heroicæ, quam memoravimus *a*, in horrendo Crurifragio tolerantiæ, cuius vaticinium tantò ante mirum acceperat, prout eſt à me narratum *b*. In eadem fuit Laicorum, manuum operi dedicatorum Claſſe nonus è prima Decade Ioannes de Mayorga, Pictoris artem factitans, oriundus ex Aragonia. Annorum duū & triginta Iuvenis ingreſſus Societatem, in ea ſe triennio præclariſſimis exemplis Religionis, ac Caritatis in Deum

11 Emanuëlis Alvaris ſtirps humilis, vita Sancta. inſigne vaticinium duri martyrij fortiter explevit.

12 Ioannes de Mayorga & Alphonſus de Vaëna, Coadiutores.

a Lib. III. c. 4. nu. 5.

b Lib. III. c. 3. nu. 5.

Deum & homines commendavit. Coadiutor item fuit ultimus primæ Decadis Alfonſus de Vaëna Toletanus, opificio aurifex: qui tricenarius adſcriptus Societati, triennem in ea laudatiſſimam vitam morte Chriſti cauſa obita gloriosè coronavit.

III. Gonzalvus Henriquez primum obtinens locum ſecundæ Decadis, Sacro Diaconatus ordine præcellebat pleroſque Sociorum: communem cũ Azevedio habuit Patriam Vrbem Portuenſem: & proximum ab illo non minùs fortitudine ac fervore animi, quàm Sacræ ordinationis gradu locum implevit. Sequitur Ioannes Fernandez Bracarenſis Adiutor Laicus, innocentiæ ac probitatis Martyrij laurea dignatæ. At Alexius Delgadus Patria Elvenſis, prima pubertate adoleſcens annorum non plus quatuordecim, in Scholarium Claſſem ab Azevedio cooptatus, longas ſpes indolis ad ſtudia & ſacra officia præclaræ, felici compendio contraxit, Palmam non rarò emeritis negatam, primo ingreſſu ſtadij occurrentem fortiter oc-

13 Gonzalvi Enriquez, ortus, ordo, virtus.

14 Ioannes Fernãdez Bracareñ. Coadiutor. Alexius Delgadus Scholaris.

cu-

cupans. Scholastici pariter fuere Ludovicus Correa, Emanuël Rodriquez, Simon Lopez, Emanuël Fernandez, & Alvarus Mendez Lusitani omnes; Primus Eboræ natus, secundus Alcochettæ, aut, ut id nomen Lusitanicè scribitur, *Alcouchete* Tertius Vrenij, quartus

15 Alvari Mendez heroica fortitudo.

Celorici, quod est Oppidum Guardensis Episcopatus, Quintus, Elvæ. De hoc ultimo Alvaro Mendez suprà notatum est *a*: Decumbentem eum ex febri, cum Socij ab Hæreticis ad necem raperentur, surrexisse, ac veste sibi Societatis raptim iniecta in Palmę occursum properasse, quod facinus heroicæ virtutis fuit. Petrus Nunnez,

a Lib. III. c. 5. n. 81.

16 Francisci Magallanis nobilitas, virtus, amor in Azevedium.

(ita enim ex Vasconcello *b* scribendum hoc nomen, non ut alij Mugnoz) & Franciscus Magallanes ex eodem Scholarium Societatis numero, Lusitani erant ambo; quippe prior è Municipio Fronteria, Episcopatus Elvensis, alter ex Oppido, Alcasarsalis Lusitanicè dicto, Latinè Salaciam appellant. fuit enim olim nobilis Colonia Romana. hic generis nobilitate conspicuus, præcipua etiam alacritate

b Vascō cell. pag. 449. Par 2. Chrō. Brasil.

ad

ad decus omne virtutum clarissimarum, tàm in Valrosano secessu, quàm in mobili (ut sic dicam) Navis Iacobeæ Collegio, singularem Azevedij meruerat gratiam: quam & pari vicissim amore ultimis officijs testatissimo, rependit. Nam hunc ferunt cadenti, uti narratum est, multis vulneribus Azevedio, Primum Sociorum amplexu circumfusum, semianimem eundem in locum seductiorem, inter multos certatim adiuvantes solicitissimũ deportasse, largè sese cruentando fluẽte tot plagis Patris Optimi sanguine; ibique illi, quoad expiravit, pietate plusquam filiali, flentem ac opitulantem adstitisse.

IV. Caput est Decadis Tertiæ Nicolaus Dinis. Natus fuerat Brigantiæ, anno huius Sæculi tertio supra quinquagesimum; ibique educatus in Literarũ studijs, sæpè puer auditus est Magistris dicere amabiliter renidens: *Sibi præsagire animum se fore Martyrem.* Admissus deinde in Domum illic Nostram, idem asseverantiùs affirmavit, prout superiùs *a* retulimus. Hic ad-

a Lib. III. c. 3. sect. 5. pag. 322

 do,

do, ex Simone Vasconcello lib. IV. Chronici Brasilici: cum hoc ipso anno post paucas hinc hebdomadas pervenisset certa fama Brigantiam occisorum à Soria Quadraginta Sociorũ, repertum illic tunc Illustriss. Dom. Antonium Pinerium, Lusitanicè *Pinheiro*, Episcopum Mirandensem, vocasse in Concionem Populum, & de loco superiore, tota Historia, uti acceperat, narrata, egisse magno animi sensu Deo gratias, quòd nostris quoque temporibus animare tepiditatem nostram, & suam glorificare Maiestatem Martyrijs tam splendidis dignaretur. Tum de Nicolao Dinis sigillatim agens: *En hic*, inquit, *Brigantini, Civis vester, quem nuper incedere per Vrbis huius Plateas adolescentulum vidistis, inclytus iam Christi Martyr est, sempiterna insignis corona gloriæ: dum Ego, etsi vester Antistes dicor, utcumque hisce cingor Episcopalibus Infulis, non tamen, heù mihi! extra damnationis æternæ aleam milito.* Ita ille venerabilis Pontifex pro sua præstanti pietate ac modestia, de se modicè, de Nicolao Dinis, eiusque Commilitonibus

17 De Nicolao Dinis publicũ testimonium Episcopi Mirandensis.

ma-

magnificè prædicavit, ex ſenſu tunc publica evidentia, hominum omnium communi. Vir fuit Antonius Pinerius inter ætatis ſuæ Clariſſimos; Doctor Pariſienſis, Theologus Eruditiſſimus, Concionator celeberrimus: ideò à Ioanne III. Rege ad conciones Palatinas electus, & diù avidè auditus antequam ad Epiſcopatum eveheretur: Eidem illi Regi & eius ſucceſſori Sebaſtiano, ob præſtantes virtutes inſigniter carus. Translatus eſt poſtea à Mirandenſi ad Leyrienſem Epiſcopalem Cathedram. Qui Nicolaum continua ſerie tres excipiunt, Gaſpar Alvarez, Blaſius Riberius, & Antonius Fernandez, omnes in Societate Adiutores Laici fuere. Primus Vrbem Portuenſem habuit Patriam: Blaſius ortus Bracaræ, annos ætatis numerabat quatuor & viginti: Antonio natale ſolum Vrbs Montis maioris Novi, vitæ occupatio artificium Fabri lignarij fuit. Emanuēlem Paciechum Vrbs Zeita Luſitanum edidit; mare Cœlo tranſcripſit. At Petro Fonturæ Bracarēſi, Coadiutori & ipſi, hoſtilis prius,

28 Gaſpar Alvarez, Blaſius Riberius, Antonius Fernãdez, Coadiutores.

19 Simon Acosta Portuensis, quamdiù in Societate vixerit.

ut diximus, gladius coronam adauxit, quam aquæ postmodum demerso cōtulere. Simonem quoque Acostam Adiutoribus annumeratum reperio: sed sua ipse virtute, vel ipsis se altiùs Professis extulit. Hunc Domo Portuensem, quidam vix Mensem in Societate vixisse scribunt. Quod si esset; admissum ab Azevedio in Insula Materia fuisse oporteret; cuius rei nec vola, nec vestigium in Monumentis extat. Non dubito, quin is Valrosanis probatus Exercitationibus fuerit. quin memini legere in quadam Epistola Ebora scripta, eum, biennio illic inter Socios transacto, ad Expeditionem Brasilicam missum, quòd speraretur, mutationem Cœli profuturam, bonæ alioqui habitudinis Iuveni; sed è sanguinis sputo tùm fortè languenti. Andreas Gonsalvez, Viana ortus, quod est Oppidum Archiepiscopatui contributum Eborensi, in Scholarium ordine censebatur. Non item Amarus, sive Maurus, Vaz, Marthæ sorte contentus, ex Vrbe Portuensi.

V. At Didacus, seu mavis, Iacobus

Pe-

Perez tertiæ Decadis ultimus, alicubi reperitur cognominatus *de Nicea*, mendosè. reſcribendum enim *de Niſſa* eſt. Siquidem ipſi Patria contigit *Niſſa* nomine, in Prioratu Cratenſi. Philoſophiæ dabat operam in Eborenſi Soc. Collegio, quando ſuum Azevedius, anno ſuperiori Roma rediens, habere per Hiſpanias delectum cepit. Quadam die à Schola Didacus abfuit. & poſtridiè interrogatus: ubi fuiſſet, quamve cauſam afferret abſentiæ? obmutuit, acremque Magiſtri obiurgationem in pleno Condiſcipulorum 20
cœtu, quaſi Reus pœnitens, obnoxiè atque humiliter excepit. Dimiſſo Auditorio Præceptorem privatim convenit: & vultu ingenuam ſpirante modeſtiam, *Nolo te,* ait, *diutiùs ignorare Pater, quid obſtiterit, ne pridie tibi darem conſuetam, & debitam docenti operam. ea ætate ſum qua conſulere de vitæ ſtatu tempeſtivum videatur. Iſta mihi deliberatio ad hunc hactenus promota gradum eſt, ut planè conſtituerim Religioſam uſpiam amplecti Diſciplinam. Loci delectus ambiguum me adhuc tenet. Quamobrem explorabundus varia*

Iacobi Perez Adoleſcentis mira æquitas animi & patientia.

cir-

circumspectans lustro. Tali cura instinctum hesterna se commodè offerens traxit occasio ad visendum Cœnobium Vallis viridis. Id quoniam est, ut nosti, Pater, milliaribus quinque ab Urbe dissitum: cumque longiora me forte illic, quàm destinaveram, Amicorum colloquia sint morata; occurrere ad horam Scholæ, prout erat in animo, non potui. Ea Magistrum audientem, sera pupugit pœnitentia castigati acerbiùs Adolescentis, quem noxa caruisse apparebat. Quare illi: *heùs te,* inquit, *nimis bonum, quod tam iustam excusationem mihi, saltem in aurem non insusurraveris: commiserisque, iniqui prævaricatione silentij, ut mihi esset necesse increpare te coràm Socijs: quos equidem non omittam admonere innocentiæ tuæ, tardiùs mihi, quàm voluissem, perspectæ: nequa tui sequior in eorum animis opinio hæreat. Illud addere in rem tuam mea in Te merentem caritas subigit. His commodùm diebus acceptis à P. Azevedio literis cognovimus, afferre illum amplã & peculiarem Roma facultatem adsciscendi plurimos in Nostrum Ordinem Iuvenes, qui modò parati sint secum statim in Brasiliam navigare. Hoc Tibi sine præiudicio suggero; tantùm, ut electioni tuæ ser-*

serviam, eò prudentiori futuræ, quò plura invicem comparaverit; & multis æqua lance perpensis unum optimum prætulerit. Cogitasis de negotio, & quod Deus inspiraverit, statue. Ita Domum à Magistro Didacus Perez dimissus, continuò ab implorata Dei luce, tam vehemētibus ad admittendam sortem oblatam impelli se motibus sensit, ut postridiè ad Præceptorem reversus, insolito æstu animi declaraverit: sibi ex ijs, quæ penitùs animo sentiret, dubium non esse, quin à Deo vocaretur ad Azevedium sequendum, quo se Duce ad Portum felicitatis cōfideret appulsurum. Quare omninò statuisse, non expectare dum ille adveniret Eboram. Indicare sibi modò Magister, ne gravaretur, ubi locorum is esset, confestim advolare istùc certo. Nec sisti tantus impetus potuit. Moxque Didacum ad se cum accuratis à Magistro commendatitijs profectum, libens & benè ominans, suæ Azevedius Vlyssipone Cohorti accensuit.

VI. Ducit ordinem in quarta Decade Ioannes de Baëza Hispanus. Proxi-

22 ximè adhæret Marcus Caldeira Scholaris Lusitanus, cuius omen Martyrij aliàs *a* retuli. Huius de Patria ubique tacita coniecturam hic propono Viri gravis callentissimi Lusitanicarum rerum, natum eum in oppido dicto *Terra da Feira* Diœcesis Portuensis, opinantis. De tertio Antonio Correa Adolescentulo annorum vix quindecim, in Vrbe Portus nato, præclaræ ad Literas & virtutem Indolis, quædam dixi superiùs *b*. Quibus addo, neminem eo alacriùs & ferventiùs illam quinquemestrem Valrosanæ solitudinis ascesim exercuisse. Quartus Ferdinandus Sanchez ortu Castellanus, sorte Scholasticus in Societate fuit. In hoc dissimilis quinto mox sequenti Gregorio Scrivano Coadiutori, oriundo è Logronio Castellæ Oppido. Huius commemoravi *c* haud cunctis communem laudem, quod strato affixus ex languore, cupiditate Martyrij valetudinis debilitatem supplente, alacriter exiliens in Palmę amplexum, ultrò se offerentis, accurrerit. Plura, nec cognitu, quantū arbitror, ingrata, de

De quinque alijs sparsim pauca: præsertim de Antonio Correa.

a Lib. 3. cap. 3. sect. 5.

b Lib. 3. cap. 3. sect. 5. et cap. 4. sect. 6.

c Lib. 3. cap. 5. nu. 81.

de Sexto in ultima Decade, Francisco Perezio Godoio, quæ referam ſuppetunt. Conſanguineus hic erat Sanctæ Tereſiæ à Ieſu, Inſtitutricis Sacræ duplicis Familiæ Carmelitarum Excalceatorum utriuſque ſexus: cui Matri Sanctiſſimæ pro hoc ſuo Cognato, poſtquam iam ſolverat in Braſiliam, oranti circa medium Iulium anni 1570, viſus ipſe cum novem & triginta Socijs eſt, decori omnes inſignibus Martyrij Laureis, triumphali pōpa in Cœlum invehi; de qua mirabili revelatione nobis erit aliàs agendum *a*. Hic tantùm admoneo: in Tabulis Quæſtionum habitarum in cauſa Canonizationis iſtius, Albo deinde Cœlitum ritè adſcriptæ, mirificæ Virginis, dum ea viſio refertur, deformatum apparere mutatione quadam, & traiectione Literarum *Godoij* nomen in *Idiogum*, per errorem, ut ſuſpicari licet, Amanuenſis. Hic Adoleſcens robuſtæ iam ætatis, & præ multis æqualibus flore ac forma conſpicuæ, dans ſtudijs Iuris operam in Vrbe Salmantica, Civis licet ipſe oppidi Toletanæ Diœ-

23 Franciſcus Perezius Godoius conſanguineus S. Tereſiæ,

a Lib.4. cap.3.

24 Godoij Patria, ſtudia, vocatio in Societatum.

ceſeos, Turrigij vocati, vbi erat natus a, experiri aſceticas S.P. Ignatij Exercitationes in noſtro eius Civitatis Collegio voluit. Id ſeriò agenti, divina luce monſtrante, non obſcurè innotuit; nihil poſſe ipſum ad æternam ſibi ſalutem aſſerendam ſalutariùs conſulere, quàm ſi nuncio rebus & ſpebus humanis remiſſo, iugum religioſæ Diſciplinæ in Societate Ieſu ſubiret. Totis excepit quaſi velis bonus Iuvenis eam Divini Spiritus auram: ſed dum cætera, quæ affectibus ſtringebant Domeſticis, carnis & ſanguinis retinacula fortiter abrumpit, naturæ debilitatem in uno dictu leviſſimo frangendo expertus vix credibilem eſt.

a Sacch. p.3.lib.6 n.214.

25 Myſtacis amore contra Vocationem tentatus, fortiter ſe vincit.

Barbæ tonſura delectabatur ad hiſpanicam elegantiam exacta, raſo mento, cirrhis denſis, & ferro calido vibratis è labro utrimq; ſuperiore prominentibus. hac ille ſibi placebat velut Martia ſpecie; eandem & ſpeculi ſuffragio, & Elogijs adulantium commendatam in primis adamabat. Ergo reputans id, tanti à ſe habitum, tam ab alijs laudatũ heroici oris honeſtamentum,

tum, primo ſtatim ſeveræ profeſſionis aditu aboleri oportere, hæſit dies aliquot dubius, nec ei quo utebatur Magiſtro ſpiritus, fateri ſenſus intimos audebat. Iam hebdomas iſtiuſmodi præſiniri ſolita meditamentis, erat in exitu: quando Godoium poſtridiè mane rediturum Domum, acrior hũc fermè in modum increpuit conſcij divinorum nutuum animi cenſura. *Ten'*, inquit, *quem Patriæ ac Parentum Caritas non tenet, ne Deum ſequaris clarè vocantem, pili pauci morabuntur? nec pudet tam honeſtum tam neceſſarium Cælos verſus & felicitatem impetum, ridiculè ſufflaminari vili ac nugatorio ligamine ſetularum*. Talia ſecum loquens, indignabunda manu forficibus arreptis, utrumque abſcindit myſtacem. Sicque deformatus, Patrem, à quo exercebatur, adiens: *Vides*, inquit, *os, quod non niſi ad riſum ac contumeliam oſtendi Vrbi ac Familiaribus poſſit: ſponte me ita dehoneſtavi, quò inter vos manendi neceſſitatem conſciſcerem. Nam quod te celavi, Pater, ad veſtrum capeſſendum Inſtitutum manifeſtè divinitùs impellor. tenuitque (quod fateri pudet) hactenus, ne tibi*

rem aperirem, Cæloque obsequerer, amor barbulæ, quem Deo denique iuvante, ad vivum, ut cernis, resecavi. Tua pro me cura sit, negotium conficere, impetrata mihi ab his, quorum id ius est, venia, Tirocinij iam hinc vestræ Religionis inchoandi. Obsisti non potuit precibus quodammodò armatis. Quare in Collegio retentus, & Nostris adscriptus, quamprimùm licuit ad Domum Probationis Methimnensem est translatus.

26 E P. Baltasaris Alvaris Magisterio multum in Novitiatu proficit.

VII. Invenit ibi peritissimum cœlestis Disciplinæ Magistrum Baltasarem Alvarez exercendis Novitijs Præpositum; quo eodem S. Theresia sensuum arcanorum Arbitro, viæque ad Perfectionem Duce utebatur. Primum huius ad omnes quorum capessebat curam, præceptum erat, ut vitiosas naturæ propensiones exscindere stirpitùs, & in planè contrarias flectendo, invertere summa vi contenderent: cui Godoius strenuè obsequens, memoranda exempla non vulgarium sui victoriarum dedit. Altorum se spirituum, & genij humilitatem ac subiectionem aspernantis sentiens,

tiens, vilissimis ministerijs obsequijs- 27
que fastum perseverantissimè frange- Aeria eius in-
re, servilibus Culinæ officijs in veste semet, ac natu-
obsoleta multas quotidiè horas impē- ram reluctan-
dere; cibum humi aut sub mensa su- tem imperia.
mere, adhibito etiam, ad priores mundi- ditias ulciscendas, vice puri mantilis, spurco linteo, quod priùs ipse ollis tergendis maculasset; cuius maximè inquinatas partes & fuligine atratas, non admovebat modò labris, sed gingivis apprimebat, in os inserens, naturalis sordium horroris splendidè vincendi causa. Tam forti conatu sequioribus ex se se affectibus eiectis, divinis, & sensibus, & desiderijs locum fecit. Dei ac Christi caritate continuè ardere, mente cœlo affixa in terris versari, inter administrandas res humanas: suavissimis, vel in illiberalissimo labore, cogitationibus vacare; qualium illud fuit specimen: cum eum Coquus aliquando, post eluta satis interiora lebetum, etiam extima mox fumo inficienda studiosè tergentem animadvertisset, *quid te*, ait, *Frater, maceras inutili opera, hæc statim inquinandam*

tam

28 Dictum eius arctam cum Deo inter res tractandas mẽtis adhæsionẽ ostendens.

tam laboriosè purgans? cui Godoius, vultu pacem suavissimam spirante: *quia* (reposuit) *quidquid ago, Cæli Reginæ Deiparæ offero: puderet autem aliquid non usquequaque tersum ac politum tantæ Dominæ sistere.* Qui tam tenerè, ac dulciter in medijs occupationibus divina saperet, hunc, facilis coniectura est, in Oratorij quiete per otium cœlestia contemplantem, qui gustus, & quantæ animi deliciæ complerent. In Valrosana Villa Culinæ de more inserviens, differre orationis diurnæ statam horam, ministerij urgente necessitate iussus, humiliter paruerat. Post meridiem, laxatis officij occupationibus, memor Coquus omissam à Godoio commentationem sacram; ei dixit: *abi-sis, Frater, in Templum, & Meditationi vaca, donec te ad opus revocem.* Ivit, contemplationi se dedit. Septem totas horas immotus & silens, intimis delibutus gaudijs perstitit. Hora tertia noctis, quòd non comparuisset in cœtu Fratrum, anxiè quæsitus Domo tota, denique in angulo Ædis sacræ flexis genibus repertus, cum increparetur, quòd non

29 Devotionis & obedientiæ specimen rarum.

con-

conveniſſet ad Cœnæ ſignum: placidè reſpondit: imperatum ſibi à Culinæ Præfecto, ut orationi vacaret, donec ab ipſo revocaretur; quod factum hactenus non eſſet. Nimirum Coquus alia cogitans, quod promiſerat, non fecit: permittente id Deo; quò ſpecimen extaret non magis obedientiæ boni Iuvenis, quàm præſtantis orãdi facultatis. Documento hæc ſunt; quantum ex duorum, quos nactus eſt optimos, inſtitutione Magiſtrorum Alvaris & Azevedij, Tiro docilis profecerit. A priore quidem auditam ſæpiùs ſententiam in Supremo certamine crebrò iteravit: ſubinde ſe ac Socios, dum ab Hæreticis necarentur his adhortans vocibus, *Ne degeneremus Fratres à præcelſis cogitationibus Filiorum Dei*, inque ijs ſenſibus ac verbis confoſſus, & demerſus in odium Catholicæ Fidei, brevem, ſed ſtrenuum vitæ religioſæ curſum triumphali felix coronavit exitu; tam invidendam fortunam infauſto (quod iure miremur) caſui debens. Rem breviſſimè indico. Inoleverat occultum vitium

Vita P. Balt. Al. var. cap. 20.

30

Quibus ſe alioſque verbis in certamine animarit.

læ-

lævo Godoij oculo, inde funditùs sensu videndi casso, licet esset sano alteri specie similis. Id animadversum experimento fortuito Præfectus Tironum Alvarez, cum certiùs ipsius cuia res erat, interrogati confessione comperisset, Domum remittere iuxta leges nostras cogebatur Iuvenem destinatum functionibus sacris, cui tamen ne Sacerdotio posset initiari, canonicum inesset impedimentum. Illo commodùm tempore Methimnæ transibat Azevedius, qui periculo Godoij cognito, simulque virtutes reputans, ac Brasiliæ utiles dotes, scientiam Iuris, & artem Musicam, significavit illi; afferre se Roma peculiarem potestatem faciẽdi gratiam impedimentorum istiusmodi, ijs qui sequi sese in Brasiliam vellent, illic sine spe reditus in procuratione salutis æternæ Brasiliensium hæsuri. Cupidissimè statim assensus Godoius, gaudens gratulansque in beatum est manipulum admissus, de quo eventu non gravabor adscribere versus dudùm vulgatos Poetæ non mali *a*.

31 Causa itineris Brasilici & necis pro Christo Godoio fuit vitium oculi.

a Gerardi Montani.

Luf-

Luſcus erat; cætuque Perez ne cedat Ieſu,
Vertit ad Occiduos lumina ſolis equos.
Ecce procul medijs ſurgentem conſpicit undis
Laureolam in crines fronde virente ſuos.
Oceanumque ſecat properata Puppe, rapitque:
Tam benè quis Luſcum poſſe videre putat?

Superſunt è poſtrema Decade quatuor: de quorum ultimo Quadragenarium agmen claudente San-Ioanne, ſatis dixi *a*. Aliorum trium hæc feruntur nomina: Ioannes de Zafra, Ioannes à S. Martino, & Stephanus Zuraire. Priores duo Patriam communem Toletum Vrbem (quamquam aliqui *b* ſecundum Illeſca ortum volunt) conditionem in Societate diverſam habuere: Zafra enim Coadiutor fuit, San-Martinus, Scholaſticus. Stephanus gente Vaſco, Adiutor Laicus, Sartoris humile Miniſterium in Placentino Societatis Collegio, præſtanti caritate atque induſtria, exercebat, quãdo eſt in Comitatum Azevedij vocatus, factus ſimul divino afflatu certior, uti ſupra retuli *c*, beatæ, quæ illum manebat ſortis: quod Oraculum eventu perpetrari ſentiens, dum ma-

a Lib. 3. cap. 5. ſect. 5.

b Petrus Ordonez, & Ribad.

c Lib. 3. cap. 3. ſect. 5.

32 Stephanus Zuraire, dum in Mare deijcitur. *Te Deum* cantat.

nibus Hæreticorum in Mare præceps deijceretur, dulcem grati erga Deum animi ſenſum læta voce teſtatus eſt, Solemne Gratiarum Actionis carmẽ: cui eſt initium: *Te Deum laudamus*, cantare auditus.

CAP. II.

Reditus Piratarum Domũ. Soriæ mors infelix. Vnius ex eius Militibus mira converſio. Vt ſparſa per Luſitaniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam huius eventus fama fuerit. Romæ palàm creditum, Azevedium cum Socijs verè occiſos odio Catholicæ Religionis.

I. His

I. HIs ita geſtis Piratæ votorum compotes expedire ſe ad reditum decrevere. Ad id oportebat exonerari Claſſem parte prædæ, quam congeſſerant: ijs vendendis, quæ commodè, aut utiliter nequirent in Galliam portari: neceſſe prætereà erat, deferri Captivos, quos ſervarant, ſpe Lytri, plurimos, in locum, ubi tractari cum Neceſſarijs eorum, & numerari taxata in pretium libertatis pecunia poſſet. Cunctis hiſce tranſigendis accomodata viſa Soriæ eſt Inſula Gomera, una è Canarijs; in qua Portus & Emporium commiſſis quoquoverſum negotiationibus ſatis per illos Tractus celebre. Hùc igitur Claſſem admovet; expoſitiſque Captivis, nummos pro redemptione, rata ſtipulationis fide accipit. Teſtatus *a* poſtea eſt Didacus de Royaz, eius qui tum Inſulis Gomeræ, & Ferri dominabatur, filius, & hereditario iure ſucceſſor, Patrem ſuum à Luſitanis captivitate liberatis edoctum de Nece Patribus in odium Fidei ab Hæreticis illata, quod eos veros Martyres crederet, quædam il-

33 Piratæ Victores in Gomeram Inſulam ſe conferunt.

a In Proc. Conimb. fol. 164.

34 Toparcha Insulæ Gomeræ: Vestes Sociorum ab Hæreticis cæsorum tanquam Reliquias Martyrum servat.

illorum spolia, instinctu Religionis eblandiri è Piratis studuisse; & his facilè, quæ contemnerent, pecunia mutantibus, nonnullas Sociorum pro Christo cæsorum vestes, aliamque usus ipsorum supellectilem emisse. Ea se adhuc apud se habere, ac velut Sanctas Reliquias venerabundè servare: dixit idem Didacus de Royaz, Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, P. Alfonso de Andrada Toletano, Superiori Stationum Societatis Iesu per Canarias sparsarum, dum is officio eas Missiones visitandi, per Gomeram Insulam transiret. Mora dierum aliquot ibi ducta, Soria Proris in Septentrionẽ versis, cursum Rupellam intendit; quò illum pervenisse cum Classe incolumi, & prædæ divite, exeunte Sextili, Thuanus a scribit. Sub fin. Aug.

a Lib. 45 pag. 952

35 Cædes Sociorum Rupellæ vulgata non probatur Nobilibus.

Vulgata illic statim crudelitas exercita in Azevedium & Socios, à Fæce Plebis, & Calvinianæ Doctrinæ Præconibus plausum tulit: Primoribus Ducum & Nobilibus Aulicis, non adeò est probata, quòd cædes tot inermium præferre videretur aliquid Bar-

ba-

barum, & generositatem dedecens Francicam. Eò promptiùs Regina Navarræ, quotquot è Captis illo cursu Lusitanis in Classe reduce reperirentur, dimitti liberos iussit. Inventi sunt omninò duodecim, quo in numero noster Ioannes Sancius fuit: qui mendicando Galliam & Hispaniam emensus, Lusitaniæ se reddidit: ubi resumpta Societatis veste Tirocinium absolvit, votaque solita emisit, Eborensi Collegio adscriptus: sed Religionem ad extremum non pertulit; 36 Ioannes Sancius in Societate non perseverat.
Ann. 1578. anno post amissam Martyrij occasionem, nono, è Societate dimissus. Tristi, nec prorsùs novo, experimento instabilitatis humanæ; nam etiam vetera exempla, Origenis, aliorumque memorantur, quibus cum aliquandò abundasset animus ad fundendum pro Christo sanguinem, præstandæ ad finem in vita famaque integra constantiæ, non contigit firmitas: Deo iudicijs hisce occultis suæ inscrutabilis Providentiæ, Iustos salubriter terrente, ne fiducia è magnorum successu profectuum concepta, sedulitatem perse-

ve-

37 verantiæ remittant, noxiæ indormientes ſecuritati. Nec tamen qualiſcumque iſta Sancij labes autoritatem oculato eius teſtimonio demit, ex quo hactenus narratorum excepta pleraque in communem notitiam venerunt. Nam præterquam, cum illa teſtabatur toto Novennio in Pietatis profeſſione duravit, nec poſt defectionem revocaſſe illum Aſſertorū quidquam fando umquam eſt auditum: & quæ dixit cuncta multorum ſimiliter præſentium cōcordi atteſtatione confirmantur: Inſuper ex uſu conſuetudinis humanæ iſta ipſa eius à Societate alienatio, potiùs videri potuit, removiſſe ab illo vulgarem exceptionem Teſtis Domo producti, & familiaribus indulgētis affectibus, quales quàm in eo remiſſi fuerint, cum ſecuta diſceſſio monſtraverit; reſtat utique, ut eum ad commemoranda decora illorum, à quibus receſſit, non domeſtica caritas, ſed manifeſta perpulerit veritas.

Nec inde tamen eius teſtimonio fides demitur.

II. De Soria primario huius Tragœdiæ Actore non ampliùs dicturus,

quod

quod ſupereſt notitiæ hùc congeram. 38
Deſtinaſſe hunc aliam Expeditionem adversùs Luſitanos Braſiliam petentes, ſimùl præda exoneraſſet, ac ſupplemento Militiæ roboraſſet Claſſem, ipſe declaravit in digreſſu à Gomera; quibuſdam, quos pretio accepto liberaverat, versùs Materiam ſolventibus iniungens; ut ſuo nomine Prætori Braſiliæ Vaſconcelio denunciarent: ſic certò haberet: occurſurum ipſi ſe iterùm, nec iam ut antea certamen detrectaturum: quin ultrò laceſſiturum; nec commiſſi prælij alium exitum fore, quàm alterius ipſorũ Captivitatem aut Necem. Cæterùm, ſive hæc mendax iactatio glorioſi Thraſonis fuit; ſeu verè ſignificatæ voluntati, propter obſtacula inſuperabilia, executionis facultas defuit; minas quidem iſtas in hunc annum eventu caruiſſe certum eſt. Crediderim verecundia pactæ nuperrimè a cum Rege Carolo Pacis, Navarræam, & Colinium cohibitos à permittenda nova in Luſitanos Franciæ Fœderatos Expeditione, ſub Duce palàm ab ipſis au-

Soria minatur aliam Expeditionem in Vaſconcelium.

Cur minas in rem non contulerit.

a 6. Aug 1570.

autorato, de quo verisimiliter non posset excipi, proprijs illũ auspicijs, & piratica licentia grassari. Haud multò
39 Capdevilium vice sua mittit. post tamẽ suam Soria rursus armatam ad insidiandum Brasiliam petentibus immisit Classem, præposito ipsi vice sua Capdevilio, à quo victus, & occisus, ut dicetur, Vasconcelius est: Homine sibi fido, sed obscuro eodem, & Latronis opinionem plausibiliùs laturo, quoties opus foret excusare factum publicè, ac Rupellenses à conventorum infractione purgare. Hæsit ipse interim in obsequio Partium Soria splendido & quæstuoso titulo Præfecti Rei Maritimæ: quo nomine obsessæ post biennium Rupellæ sup- 1573.
petias ipse accersivit ex Anglia validam Classem, in qua secundum à supremo Duce Mongomerio, militaris Imperij locum tenuit. Post quod, exarmatis iterùm nova conventione Per-
40 Soriç infelicissima mors. duellibus, Domum repetens, mortem in Patria, iudicio etiam suorum, infelicissimam invenit. Nam hoc de illa extat testimonium minimè suspectum Calviniani apud Rupellanos

Mi-

a In Thesaur. Rerũ Ind. Tom. 2. pag. 343

Miniſtri, recitatum à Iarrico a: *Iacobus Soria in Comitatu Evenſi impœnitens, divinamque opem implorare negligens, adſtantibus tamen Conſanguineis idipſum maximè efflagitantibus, in rabiem actus, maximo omnium terrore ſceleſtam animam efflavit*. Obduraverat nimirùm Sceleſtus animum adversùs impetratas ipſi, benefico interventu eorum ipſorum, quos tam barbarè interficiens Cœlo tranſmiſerat, gratias invitantes ad eiurandam Hæreſim, petendamq; à Deo veniam tot immanium criminum & Sacrilegiorum: in qua pervicacia ſimilem diù habuit quendam è ſuis gregalibus, ſed eventu ad extremum diſpari. Rem apud Sequanos anno huius Sæculi quarto ſupra nonageſimum geſtam, è Literis Annuis dudùm editis b nostri Collegij Dolani breviſſimè referam. Vnus è Piratis interfectoribus Azevedij & Sociorum, illo quem dixi anno per Comitatum Burgundiæ tranſiens, caſu animadvertit, confluere Populum in quandam Deiparæ Sacram Ædem, unde ferebatur ſolemnis ſupplicatio preditura. Solent

b Pag. 242.

1594.

lent isti præoccupati nefarijs Institutis Hæresiarchæ Calvini, omnes quidem Ecclesiasticos ritus superbissimè contemnere: intemperantiùs tamen, & petulantiùs irrident, quæ ad Venerationem Deiparæ ac Cœlitum sanctè ac piè iuxtà traditiones Apostolicas à Catholicis usurpantur. Abusus igitur licentia, quam illi obscuritas sua dabat, quòd homo Hæreticus peregrè degens in Provincia apprimè Catholica, nullam exteriùs præferret impietatis suæ notam, Templum, turbæ se immiscens, subijt, animo quæ illic fierent observandi, ut ea suis redditus traducere narrando, & pro Superstitionibus ridiculis propinare ludibrio Symmistarum posset. At sensit primo statim ingressu Numen loci, gravesque concepti mente tacita sceleris pœnas dedit. Vix enim limen phanaticus intraverat, cum horrore perfusus intimo totis artubus contremuit: in eo felix quod flagellantis agnovit, & mira mutatione veneratus est, manum. Prostratus ingemuit, iustè se percuti proclamans, Dei clementiam,

41 Mira conversio unius ex Interfectoribus Azevedij & Soc.

tiam, & Divæ Virginis opem implora-vit. Accurritur ad casum. adest Sa-cerdos, cui ille: se hactenus Calvini Sequacem, agnoscere tandem & de-testari errorem affirmat suum. Inde per otium edoctus, ritè reconciliatur Ecclesiæ: nec post pœnitentiam pœ-na perstitit. rigor ille, tremorq; mem-brorum desijt: & illustri divinæ mise-ricordiæ documento, Vetus Satanæ Mancipium ipsa ex attentati consciē-tia Sacrilegij, salutem animi, sanitatē corporis cumulatam reportavit: Sic videlicet ultis illatam sibi ab hoc cæ-dem Quadraginta Religiosis, S. Ste-phani Primicerij Martyrum exemplo, quem omnes sciunt Saulo suo lapida-tori cœleste lumen ad conversionem impetrasse.

III. Refero me ad Historiæ ordi-nem è brevi evagatione. Qui Gome-ra sub Iulij finem solverant redempta libertate Lusitani, circa Idus Augusti Materiam appulsi, universam illam Insulam fama statim rerum à se visa-rum impleverunt. P. Petrus Diaz, quem ab Azevedio discedente, relictis

42 Fama cædis pro Christo Azevedij & Soc. ex oculatorum relatione testiū late spargitur.

in Classe regia Socijs præfectum vice sua Moderatorem vidimus; pro istius muneris officio, studuit Leonem Henricium Provinciæ Lusitaniæ Præpositum, exitus Quadraginta Sociorum certiorem quamprimum facere. Collatis igitur accuratè oculatis testimonijs multorum, compertam exactè veritatem facti ei exposuit, Literis decimoquinto Kalendas Septembris datis: quæ licet maturè sunt redditæ; tamen strenuæ in factis illustrioribus enunciandis Famæ prævertere celeritatem nequiverunt. Omnibus Lusitaniæ Portubus quotidiè Naves invehebantur, quæ cæsæ Azevedianæ Cohortis, indicium afferrent; aliæ quidem confusiùs; aliæ clariùs: sed erat omnium mirè concors in rei summa consensio. Et qui postremi advenerant, rem à se visam memorantes, nullum dubitationi relinquebant locum. Toto igitur eo Regno velocissimè propagata est certa persuasio mortis pro Religione à Quadraginta Socijs obitę, unde passim celebrati pro veris Martyribus fuere;

17. Aug. 1570.

Præ-

Præsulibus Ecclesiarum rei evidentia convictis, exemplo ac prædicatione præeuntibus. Nam quod ex occasione superiùs de Mirandensi Episcopo retuli; alij quoque multi frequentarunt, pro Iure, illo adhuc tempore vigente, quo nondùm erat Sedi Apostolicæ reservata causarum eiusmodi cognitio: id quod anno demùm quinto & vicesimo supra sexcentesimum Vrbani VIII. Summi Pontificis Decreto fieri ceptum est. Nec contenti Lusitani quidam Antistites verbo asserere, scriptis etiam, & editis Libris Azevedij ac Sociorum verum Martyrium non dubitarunt profiteri: uti Rodericus de Acugna Archiepiscopus Bracarensis *a*. qui quàm gravis rei quantævis haberi autor debeat ex dicendis in huius fine Capitis liquebit. Porrò Henricius Diazij Literis acceptis, ad haustam inde notitiam, eam adiecit, quam è multis in dies appellentibus ex eorum numero, qui expugnationi Iacobeæ Navis præsentes adfuerant, otiosè ac diligenter auditis, colligere potuit. Moxque cum exemplo

45 A multis etiã Præsulibus ij pro veris Martyribus prædicantur & coluntur.

a In Catal. Episcoporũ Portuensiũ par. 2 cap. 36.

44 Literis Diazij è Materia Insula & Henricij è Lusitania. Mors Azev. & Soc. Romæ cognoscitur ante finem an. 1570.

plo Epistolæ à Diazio scriptæ, unam suam copiosiorem Romam misit ad S. Franciscum Borgiam Societatis Generalem Præpositum. Sic Italiam eadem fama pervasit, quæ iam Hispaniam & Galliam impleverat: priori quidem illata per Redemptos è manu Piratarum, alteri per duodecim, quos diximus delatos Rupellam à Piratis, & inde liberos, sed sine viatico, dimissos; coactosque ideò mendicare per Galliam, & casus suos quibusvis obvijs narrare. Ephemerides illorum temporum adhuc servatæ in hoc Archio Romano, satis indicant: eas Henricij, & Diazij Literas in Vrbem ante finem eiusdem anni septuagesimi perlatas. idemque præterea manifestè cernitur ex Editione Romę facta Epistolę Diazij è Lusitano Sermone in italicum conversæ. Hæc Hodieque visitur hoc titulo: *Excerptum è Literis 17. Augusti An. 1570. è Materia Insula scriptis ad Provincialem Soc. Iesu in Lusitania, de Quadraginta Socijs pro Religione Catholica interfectis. Excusum Romæ apud Hæredes Antonij Bladi, cum facultate Superiorum*

An.

An. 1570. Erat autem,ut aliundè certò ſcitur, eadem illa Bladi officina, Typographia Cameræ Apoſtolicæ, qua nihil niſi uſquequaque probatum evulgari ſolet. Vnde cum eo Libro illinc cum expreſſa mentione facultatis Superiorum prodeunte, diſertiſſimè affirmetur Quadraginta Socios fuiſſe occiſos pro Religione Catholica, intelligi neceſſe eſt, eandem veri eorum Martyrij perſuaſionem quæ per Luſitaniam, uti diximus, percrebuerat, in Romana quoque Curia ſine dubitatione acceptam invaluiſſe.

45 Libro Romæ edito cum facultate Superiorum in Typographia Cam. Apoſt. ij pro Religione Catholica interfecti dicuntur.

IV. Reddam hic iam, quæ in illis Adverſarijs, ſive Actis diurnis, Romani Tabularij reperi. Ad diem 13. Decembris an. 1570. hæc habentur. *Hodie in Indiam, Flandriam, Rhenum, Neapolim, Siciliam, Longobardiam, miſſa eſt circularis de Quadraginta Martyribus.* Apparet hinc, ſcriptam à Præpoſito Generali S.Franciſco Borgia circularem in omnes Societatis Provincias Epiſtolam, quæ vice ſuffragiorum, indici pro mortuis ſolitorum, invitaret univerſos ad agendas Deo gratias pro corona

46 S. Franc. Borgia Martyriũ Azev. & Soc. circulari Epiſtola Societati enunciat.

Qua-

44 Literis Diazij è Materia Insula & Henricij è Lusitania. Mors Azev. & Soc. Romæ cognoscitur ante finem an. 1570.

plo Epistolæ à Diazio scriptæ, unam suam copiosiorem Romam misit ad S. Franciscum Borgiam Societatis Generalem Præpositum. Sic Italiam eadem fama pervasit, quæ iam Hispaniam & Galliam impleverat: priori quidem illata per Redemptos è manu Piratarum, alteri per duodecim, quos diximus delatos Rupellam à Piratis, & inde liberos, sed sine viatico, dimissos; coactosque ideò mendicare per Galliam, & casús suos quibusvis obvijs narrare. Ephemerides illorum temporum adhuc servatæ in hoc Archio Romano, satis indicant: eas Henricij, & Diazij Literas in Vrbem ante finem eiusdem anni septuagesimi perlatas. idemque præterea manifestè cernitur ex Editione Romę facta Epistolę Diazij è Lusitano Sermone in italicum conversæ. Hæc Hodieque visitur hoc titulo: *Excerptum è Literis 17. Augusti An. 1570. è Materia Insula scriptis ad Provincialem Soc. Iesu in Lusitania, de Quadraginta Socijs pro Religione Catholica interfectis. Excusum Romæ apud Hæredes Antonij Bladi, cum facultate Superiorum*

An.

An. 1570. Erat autem, ut aliundè certò ſcitur, eadem illa Bladi officina, Typographia Cameræ Apoſtolicæ, qua nihil niſi uſquequaque probatum evulgari ſolet. Vnde cum eo Libro illinc cum expreſſa mentione facultatis Superiorum prodeunte, diſertiſſimè affirmetur Quadraginta Socios fuiſſe occiſos pro Religione Catholica, intelligi neceſſe eſt, eandem veri eorum Martyrij perſuaſionem quæ per Luſitaniam, uti diximus, percrebuerat, in Romana quoque Curia ſine dubitatione acceptam invaluiſſe.

45 Libro Romæ edito cum facultate Superiorum in Typographia Cam. Apoſt. ij pro Religione Catholica interfecti dicuntur.

IV. Reddam hic iam, quæ in illis Adverſarijs, ſive Actis diurnis, Romani Tabularij reperi. Ad diem 13. Decembris an. 1570. hæc habentur. *Hodie in Indiam, Flandriam, Rhenum, Neapolim, Siciliam, Longobardiam, miſſa eſt circularis de Quadraginta Martyribus.* Apparet hinc, ſcriptam à Præpoſito Generali S. Franciſco Borgia circularem in omnes Societatis Provincias Epiſtolam, quæ vice ſuffragiorum, indici pro mortuis ſolitorum, invitaret univerſos ad agendas Deo gratias pro corona

46 S. Franc. Borgia Martyriũ Azev. & Soc. circulari Epiſtola Societati enunciat.

Qua-

Quadraginta illis Socijs collata, pro quibus, utpote Martyrio defunctis, preces & piacula offerri non oporteret, iuxtà probatum, antiquo Ecclesiæ sensu & usu, effatum illud: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Estque in eam rem observandum extare pariter alias Ephemerides mortuales, quibus in dies singulos notatur, quo die pro quolibet mortuo indicta toti Societati Sacrificia & Rosaria sint. In ijs porrò neque ad diem 13. Decembris, neque alibi uspiam, ulla mentio fit Azevedij & Sociorum, cum cæteri omnes, quorum illo anno nunciatus Romam fuerat obitus, memorentur. Vt dubitari non debeat, quin loco indictionis suffragiorum illis pro more debitorum, illa Encyclica quoquoversum missa sit, eo quidem 13. Decembris die in expressas illic Provincias, ad quas aut Cursores publici tunc expedirentur, aut similis invitaret opportunitas: eadem Epistola diebus & occasionibus alijs ad alias Provincias vel iam destinata, vel destinanda. Literæ autem eiusmodi commu-

nes

nes non nisi re per otium cogitata post moram idoneam scribi, spargique consuevere; quæ causa suadet, aliquot ante diebus prima indicia mortis Azevedij ac Sociorum, Romam fuisse perlata. Constat verò ex alijs Adversarijs, quæ argumenta & summaria Literarum quoquoversum à Generali scriptarum in annum 1571. exhibent: interrogatum fuisse à Petro Gonsalvio Procuratore Provinciæ Lusitaniæ, S. Franciscum Borgiam Generalem, ecquid pro Azevedio & Socijs consueta essent suffragia imperanda? illic enim reperimus annotatum die 17. Februarij datas esse ad eundem Gonsalvium à Generali Literas, quibus admoneretur: *Romæ non videri: debere indici suffragia pro Quadraginta Martyribus*. Verisimile est istas Gonsalvi Literas longè post priùs memoratas Provincialis Henricij datas; ea fortè de causa, quòd quidam mirati essent, non indicta fuisse per Lusitaniam consueta suffragia ad primum Nuncium mortis Quadraginta Sociorum. Respondisse autem ijs quæ retulimus

47
Respondetur Roma Lusitanis, suffragia non debere indici pro 40. Martyribus.

verbis Sanctum Generalem, non solum è sententia Domestici consilij; sed & consulto super re tanta ipso Summo Pontifice. Sanè reputanti morem à Generalibus diligentissimè servatum, referendi ad Pontifices de Societatis occurrentibus negotijs, etiã minutis: prætereaque recordanti, S. Francisco Borgiæ peculiarem gratiæ locum apud B. Pium V. in Petri Cathedra tunc sedentem, Sanctissimi illius Pontificis singulari benignitate fuisse concessum: vix est, ut queat videri dubitabile, quin de Azevedio utrique notissimo, & paulò ante viso, post nunciatam eius Necem, sermo inter eos inciderit: & quin sibi propositam de suffragijs dubitationem cum Pontifice Generalis contulerit: adeòque quando respondet: *Romæ non videri: suffragia pro Quadraginta Martyribus indici oportere*, non suum solùm, aut Patrum Assistentium, Domesticique consilij, ea de re iudicium istis verbis indicaverit, sed Pontificis quoque à se consulti. Consultum autem mox ab acceptis Henricij Literis iam tum men-

48 Id responsum à Generali post consultum Pótificem credibile est.

mense penultimo anni Septuagesimi, res ipsa suadet, & usus vulgaris consuetudinis humanæ; qua indicia simul sunt accepta mortis Amicorum, cupidè ijs communicantur, quibus ijdem noti pariter & cari sunt. Cui ergo verisimile videri queat: altero tertiove duntaxat Mense post allatum Necis Azevedij Nuncium, de illa primùm cum Pontifice S. Franciscum Borgiam egisse, ad quem paratissimam semper admissionem inveniret: & quem non ignoraret doceri velle certissimè de casu tanto Viri nuper visi à se, insignibusque peculiaris affectus significationibus honorati.

V. Iam tum ergo à Novembri occisum causa Religionis Azevedium cognoverat, & crediderat B. Pius Pontifex; & preces piaculaque pro eius & Sociorum, utpote Martyrum, animabus offerri Deo non debere iudicaverat: haud secus censentibus Romanæ Curiæ Proceribus; cuius sine controversia recepti per Vrbem sensus, certum haberi signum debeat, editio de qua dixi Epistolæ Necem Azevedij

ac Sociorum referentis, Superiorum permissu typis Cameralibus ante finem anni septuagesimi vulgata, cum præfixo titulo *cæsos illos pro Catholica Religione* declarante. At quorsum vestigijs indagatum imus Pontificis de Azevedij & Sociorum Martyrio iudicium; cum eius manifestum ab ipso proditum monumentum habeamus. Extat B. Pij V. Constitutio die 7. Iulij An. 1571, ritè publicata: quam se idem Pontifex disertissimè testatur: *non ad Præpositi Generalis & Societatis, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis oblatæ super hoc petitionis instantiam: sed motu proprio ex mera liberalitate, & certa scientia*, concepisse ac vulgasse. Huius hoc est initium.

Pius Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

49 Constitutio B. Pij V. Martyrij Azevedij & Soc. significationem verisimilem habens.

Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ utilitatem attulerint Dilecti Filij Presbyteri Societatis Iesu; ac planè conspicimus, eos verè Mundi huius relictis illecebris, adeò Servatori suo se dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos ærugo & tinea comedit, lumbisque pau-

per-

pertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales & Occidentales Indias penetraverint: ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam, proprij Sanguinis prodigi, ut verbum Dei imibi efficacius plantarent, Martyrio voluntario se supposuerint, &c. Hæc ante finem anni vertentis à cæde Azevedij ac Sociorum, in Vrbe recentibus nuncijs eius rei personante, nulla tum magis crebra materia sermonum, à B. Pontifice qui Azevedium eundem paulò ante ad eam Expeditionem delegaverat, donisque ac gratijs autoraverat: cui non pronum arbitratu videatur dubitari vix posse, quin ex mẽte dicentis ad Azevedium eiusque Socios relata fuerint: quin isti *aliqui divino amore perstricti, proprij sanguinis prodigi, qui ut verbum Dei imibi* (hoc est in Occidentalibus Indijs, quarum pars magna Brasilia censetur) *efficacius plantarent, Martyrio voluntario se supposuerint*, Azevedius & eius Comites fuerint: quos *voluntario se Martyrio supposuisse* dum Pontifex ait, eò clarissimè respicit, quod in edita Romæ narratione

Vel potius evidentem, si quis cuncta attentè cõparet.

le-

legebatur: voluisse Azevedium cum novem & triginta Socijs in Nave S. Iacobi sola ex Insula Materia solvente proficisci, ad tantum subsidium Evangelij Præconum, Brasiliæ multùm hoc egenti, citiùs invehendum: utcumque intelligeret, esse maria illa Piratis Hæreticis infesta; nec sine præsenti in manus eorum incidendi periculo, talem navigationem suscipi: tamen satiùs duxisse vitæ suæ ac suorum aleam iacere, quàm deesse occasioni qualicumque immittendorum in Brasilicam iam maturam segetem spiritualium Messorum: quod prævisum periculum postquam re ipsa incurrisset, & prout futurum intellexerat, si caderet in manus Piratarum; tàm ipse, quàm eius Comites interfecti ab ijs fuissent; talem omnium illorum Necem B. Pontifex *Martyrium* appellat. Erit ne qui maxima hæc niti verisimilitudine inficiari ullus queat? alioqui dicat: quam aliam Pontificis verbis commodam subijciat sententiam? Quos alios *amore Christi, ut verbum Dei efficaciùs in Occidentalibus In-*

dijs

dijs plantarent, sanguinis proprij prodiges voluntario se Martyrio supposuisse; B. Pius intelligere potuerit? quod si est manifestissimum, quampiam rem gestam eius generis Menti ac Memoriæ Vicarij Christi talia scribentis obversatam: & si æquè certum, nullam ante id tempus paris casus mentionem auditam: an non pro indubitabili & irre- 50
fragabiliter vero habendum fuerit: Azevedij & Sociorum Necem à B. Pio V. Sum. Pont. Martyrij titulo fuisse cohonestatam? Hoc quidem ita tunc recenti re citrà ullam ambiguitatem credidit Vrbs primùm, inde Orbis universus, quoquò deferri contigit Diplomatis istius latè statim disseminati authentica exempla: prout in Tabulis Iuridicis Quæstionum legitimè de hac causa habitarum Conimbricæ, Eboræ, Bracaræ, iurati affirmant Testes duodecim omni exceptione maiores; quorum unus fuit *a* Illustriss. Dominus Rodericius de Acugna Archiepiscopus tunc Bracarensis Hispaniarum Primas, Vir nobilitate, vitæ integritate, prudentia, doctrina, dignitate inter

Inde patet à B. Pio V, necé Azevedij & Soc. pro vero Martyrio habitam.

a In Process. Bracaren. fol. 68.

pri-

primos ſui Sæculi conſpicuus: utpote qui ex Epiſcopatu quem primum geſſerat, Portalegrenſi translatus ad Portuenſem, mox promotus ad Archiepiſcopatum Bracarenſem, inde quoque magnis meritis exigentibus ad Vlyſſiponenſes Archiepiſcopales Infulas fuit tertiò transferendus. Extant Eruditionis eius præclara monumenta Doctiſſimi in Ius Canonicum Commentarij: & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ inſignia Volumina quatuor.

CAP. III.

Quo ordine & Progreſſu in Publicam perſuaſionem facti huius Fama proceſſerit. Viſio Sanctę Thereſiæ oblata Azevedij & Sociorum cum Coronis Martyrū Cœlos

los intrantium ipſo die quo ſunt paſsi. Aliæ Azevedij poſt mortem Apparitiones.

I. TEnemus ex modò dictis, qua via proceſſerit, uſque ad publicam, & pro indubitabili receptam Eccleſiæ ubique terrarum, imò Ætatis illius univerſę, notitiam, Eventus Quadraginta Sociorum Braſiliam petentium ab Hæreticis in odium Catholicæ Fidei morte affectorum. Nempe is primùm uſurpatus aſpectu præſenti eſt à maxima multitudine hominũ, Gente, Secta, Vitæ Inſtituto, variorum; partim in Oneraria Iacobea Luſitana, partim in Quinque Piraticis Rupellenſibus repertorum: qui omnes clarè audire à Duce Piratarum Soria imperari Necem Ieſuitarum, adiecta diſertè cauſa; quòd irent in Braſiliam ad diſſeminanda illic Papiſtica Romanæ Religionis Dogmata, quæ ipſe ut-

51 Idem per omnes Gentes fama vulgatum ex oculato teſtimonio præſentium.

pote Calvini Hæresiarchæ Sectarius, prava & perversa appellabat: & posteà in luce meridiana spectarunt, eosdem omnes partim Ferro, partim aquis interfici: unde cunctis illis irrefragabiliter constitit; Quadraginta illos Societatis Iesu Religiosos, Religionis causa fuisse necatos. Id mox Lusitani qui viderant, in Gomera & Materia Insulis, Vlyssipone, ac per cæteram Lusitaniam narrarunt. idem per Galliam divulgarunt Ioannes Sancius cum Nautis undecim Rupella sine viatico liberi dimissi, ac per illos Tractus mendicando vagati: quin & ipsi Hæretici tamquam egregio patrato facinore gloriantes, cædem eandem à se factam verbo & scriptis promulgarunt. Præterea Petrus Diaz superstitum apud Materiam Insulam Azevedij Sociorum relictus ab eo discedente Superior, & eo mortuo supremam nactus in eosdem Præfecti peculiaris potestatem, pro talis sui muneris officio, legitima instituta de Facti veritate Quæstione, quod tam de Cæde Quadraginta Sociorum, quàm de

52 Petrus Diazius Superior Sociorum legitima instituta de facto Necis illatæ Quæstione, quid compererit perscribit.

de causa ipsius, odio nempe Religionis, ex duobus oculatis & auritis compererat Testibus, ad Henricium Provincialem suum ritè perscripsit: & hic statim, quæ non solùm à Petro Diaz, sed & ab alijs ex visu & auditu rei coràm ipsis gestę de his certis, exceperat, ad S. Franciscum Borgiam suum Præpositum Generalem, Romam misit. Ea, communicante Generali, eodem, Summus Pontifex B. Pius V. cognovit, & credidit; & Christi causa cæsos, veroque Martyrio consummatos, scripto etiam per occasionem fortè oblatam edito est professus. Inde per Europam, & Ecclesiam latè universam sparsa rei Fama, facti notorij humanitùs certi autoritatem apud omnes tūc viventes obtinuit, ut nemo uspiam dubitaret, quin Iesuitæ Quadraginta, Duce reliquorum Azevedio, propè Insulam Palmam, circa medium Iulium Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo, à Calvinistis Hæreticis in odium Catholicæ Religionis Neci traditi fuissent. Hoc passim tunc omnium Nationum, omnium

Hinc Provincialis Lusitaniæ, Generalis Soc. & Pontifex certiores fiunt.

53 Latè pervagata eadem persuasio plagas omnes Terrarum innumeris Literarum monumentis, ubique Gentium editis demonstratum est.

Sectarum homines, uti cætera illo ævo in publicam notitiam transcripta, sermonibus celebrabant, scriptis consignabant. Hinc in ætatem post secutam persuasio eadem transijt, ex vigente in Filijs memoria auditarum è Parentibus rerum: vivæ famæ præconio personante aures Populi, admonenteque oculos indelebilium passim se oggerente suffragio monumentorum, & constanti asseveratione Historiæ, in Acta suis semel admissa Tabularijs, fidem semper Posteritatis adigente. Sic usque ad Nos evoluto iam Sæculo Facti eiusdem non minus certa, quàm celebris cognitio pervenit: quam qui hodiè insimulare temeritatis, & falsi postulare attentaret: sanè posset pari Iure magnam Partem omnis memoriæ veteris: atque in primis Tabulas venerandæ antiquitatis Vitas Mortesque Sanctorum in credulam Posterorum pietatem securè transmittentes, rescindere, ac pro fallaciæ suspectis, quin & fide cassis irritisque diffamare. Quod sanè quàm fieret immeritò, res ipsa loquitur: præser-

54 Idem divinis quoque Testimonijs probatum.

tim

tim poſtquam humanas hactenus expoſitas Teſtificationes, divina mox referenda Indicia comprobarunt.

II. Agmen ducat Viſum illuſtre mirabiliter oblatum Sanctiſſimæ Virgini Thereſiæ, de quo Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D.F.Didacus de Yepes Ordinis S. Hieronymi, Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui & eidem S.Thereſiæ, & Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi à Confeſſionibus fuit, agit his verbis lib. III. cap. XVII. Operis quod conſcripſit de vita eiuſdem Sanctæ Virginis: *Scivit etiam mortem Quadraginta Patrum, ac Fratrum Societatis Ieſu euntium in Braſiliam, quos Hæretici occiderunt. Ibat inter eos unus Conſanguineus Sanctæ Matris: quæ ſtatim ab ipſorum Nece, dixit Patri Balthaſari Alvarez ſuo Confeſſario, ſe illos vidiſſe cum Coronis Martyrum in Cœlo. Venit poſteà in Hiſpaniam Nuncius Martyrij, & Sortis felicis iſtorum Religioſorum.* Hactenus ille venerabilis Antiſtes, qui cum anno 1610, Quæſtione Toleti habita de vita & Actis S.Thereſiæ, de qua tum in Sanctarum numerum ritè adſcribenda

55 Opus de Vita S. Thereſiæ à Rev. Archiepiſcopo Tarraconenſi tanta fide ſcripta ut quidquid ibi dixit Iuramẽto firmarit.

tra-

Affirmat vero ibi visos à sancta Azevediũ & Soc. cũ Palmis Martyrũ.

tractabatur, interrogatus legitimè fuisset, ac iussus autoritate Apostolica, quidquid eam in rem compertum haberet, prævio iureiurando, expromere, Opus istud suum à se conscriptum, & typis editum Quæsitoribus consignavit, Deo teste affirmans, vera esse quæcumque illic scripsisset. Eandem S. Theresiæ Revelationem sibi

56 Eadem Revelatio ab Ægidio Gonzales iurato affirmata.

fuisse certò cognitam coràm Iudicibus iuravit P. Ægidius Gonzales de Avila è Societate Iesu, qui Provinciam Toletanam rexerat. Huius extat Testimonium exceptum Actis Quæstionis de vita illius S. Virginis Toleti habitæ an. 1609. Eademque Revelatio Romæ deinde, cum causa Canonizationis pressius agitaretur, à Sacræ Rotæ Iudicibus summo rigore discussa, uti validè probata, est admissa, ex eaque gravissimus ille Consessus iudicavit: *Constare, S. Theresiam spiritu prophetiæ fuisse præditam*. Prout attestatur, qui præsens affuit D. Coccinus, Venerandi tunc illius Concilij Præses, quippe, ut vulgò vocant, *Sacræ Rotæ Decanus*, in scripto nota eius manu exarato, quod ho-

57 Patres Rotæ Romanæ ex ista revelatione probata inferũt S. Theresiã spiritu Prophetico distantia coram vidente fuisse præditam.

hodieque servatur. Movit nimirùm Sapientissimos illos Iudices duorum, quos supra nominavi gravium Virorum consentiens assertio, Didaci de Yepes, & Ægidij Gonzales, quem utrumque norant adhibitum ab illa Religiosissima Virgine conscientiæ Arbitrum; qualibus illam constat solitam fuisse statim manifestare illustrationes Divinas omnes, & cœlestes afflatus, aut visa mirabilia, quæ illi experiri contingeret. Vnde non videtur dubium; quin quod referunt, ex ipsa audiverint, fatente suis Moderatoribus, prout ingenuissimè consueverat, se vidisse circa medium Iulium an. 1570. coronatos in Cœlo laureis Martyrum Quadraginta Socios, in Mari, dum Brasiliam peterent, ab Hæreticis occisos. Nec obstat, quod ambo illi affirmant, id ipsam P. Balthasari Alvarez suo tunc Confessario communicasse. nam & illi quem tunc habuit præsentem, quod recentissimè gestum erat exponere: & alijs quos diversis locis & temporibus conscios rerum intimarum fecit, quæ dudùm

58 Yepez & Gózales Confessarij S. Thereſię eã illi oblatam visionem ex ipsa cognoverunt.

ipsi

ipsi fuissent manifestata, declarare postea potuit. Prudenter tamen uterque in Testimonio de hac re perhibendo, non sibi posteriùs, sed longè antea Balthasari Alvarez factam eius facti relationem allegavit, quoniam cum hoc ipsi è S. Theresiæ ore audiverunt, fama cædis Azevedij ac Comitum, allatis tempestivè nuncijs increbuerat. Quamobrem Sanctæ Virginis narratio manifesto tunc Vaticinij experimento carebat: quale habuit irrefragabile narratio eadem à Balthasare Alvarez eo tempore audita, quo nullo humano indicio res in Oceano Atlantico procùl pridiè gesta sciri poterat in Hispania.

59 Cur tamen ipsi allegent id à Sancta dictum P. Balthasari Alvarez.

60 Peculiaris causa qua S. Theresia mota est ad eam visionem P. Balthasari Alvarez cómunicandã statim.

III. Nec videtur omittendum, præter usitatam causam manifestandi Moderatoribus penitissimos animi sẽsus, peculiari motam fuisse ratione S. Theresiam ad hanc P. Alvarez cœlestem Visionem sine mora indicandã; officio videlicet communis sibi, & illi caritatis erga Franciscum Perezium Godoium, unum è quadraginta visis in Cœlo Martyribus, qui, ut est di-

ctum

ctum, S. Theresiæ domestica cognationis necessitudine coniunctus, Baltasari verò Alvarez, alumnus in spiritu ac filius fuerat; nimirùm sub eius diù cura in Methimnensi Societatis Tirocinio educatus; ut propterea præsentem commodùm Alvarem, & iure solicitum de carissimi Discipuli, paulò ante casibus longinquæ navigationis expositi, fortuna, non potuerit humanissima Virgo non confestim impertire certo sibi cœlitùs allato nuncio felicissimi eius ex hac vita exitus, & in Cœlestem Patriam appulsus. Miretur fortasse aliquis, non citari de re tanta testimonium auritum Baltasaris ipsius. At id mirari desinet qui reputaverit, toto ante S. Theresiæ obitum biennio *a* mortum Baltasarem, evulgare quæ arcano sibi commisisset illa Virgo Sanctissima, salva secreti fide, nequivisse. Tantum credibile est, postquam Visioni clàm auditæ, suffragium à fama publica accepit, quibusdam illum Amicorum significasse, quæ tantò priùs cognovisset. deinde verò ipsam quæ viderat, Moderatoribus,

a Baltasar Alv. mortuus Ann. 1580. 25. Iul. S. Ther. obijt 1582. 4. Octobr.

61 Balthasar Alvarex biennio ante S. Teresiæ obitū mortuus. arcano sibi cōmissam ab ea re velationem, non debuit scripto vulgare.

bus, quos in demortui Baltasaris locum subinde adscivit, ea synceritate, qua cuncta cætera, declarasse, tum istud ipsum suum de Quadraginta Socijs Visum, tum eiusdem impertitam à se Confessario tunc suo Baltasari notitiam. Qua via id cognitum Yepez & Ægidius deinde Toleti apud Delegatos à Sede Apostolica Iudices iurati protulerint. Cæterùm comprobatam Rotæ Romanæ, uti dictum est, iudicio revelationem eandem, maior denique autoritas cõsecravit Summi Pontificis Gregorij XV, qui motus isto inter alia Vaticinij comperti eventu, & Testimonijs à Sacra Rota iudicatis idoneis probati, argumento, Theresiam Sanctarum Virginum Albo adscripsit, Constitutione Romæ data Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo, quarto Idus Martij, cuius est initium: *Omnipotens sermo Dei, &c.* Indidemq; excerptum, insertumq; Breviario Romano, iussu Sacræ Rituum Congregationis, Elogium ex eodem legitimis explorato inquisitionibus documento

Processf. Tol. An. 1609. et 1610.

62 Gregorius XV P.M. S. Teresiã spiritu fuisse prophetico prę ditam ex hac probata revelatione definit Constitutione edita.

In Brev Rom. 15 Oct. Lec. 3.

San-

Sanctam illam Virginem *Prophetiæ dono excelluisse* profitetur. quæ qui æquus reputarit, vix poterit, opinor, recusare, quin solemnem S. Theresiæ relationem in Sanctarum fastos Ecclesiasticos, certissimum fateatur fuisse præiudicium veri Martyrij, ac Gloriæ Azevedij & Sociorum, præsertim postquam fama de hoc ipso latissimè diffusa, cunctarum idipsum Gentium unanimi persuasione celebravit: prout præter evidentiam experientiæ ubique hodiernæ, sex & triginta gravissimorum testium iuratæ affirmationes adstruunt, exceptę Actis legitimè confectis Quæstionum de hoc ipso negotio autoritate Apostolica varijs locis & temporibus habitarum.

Processʃ. Brac. Conimb. Ebor. Bayensis Summ. Addit. De sign. supernat pag. 3. et seq.

IV. Alia fertur propria solius Azevedij Apparitio insignis, quam uti accepi breviter exequar. Præter Franciscum Azevedium fratrem iuniorẽ, cui principatum Domus, & Iura Primogeniti, abdicans, ut in loco dictum est *a*, res humanas, noster Ignatius transmisit, tertium idem habuit Germanum natu minorem Hieronymum

a Lib. 1. cap. 11. sect. 11.

63 Hieronymus Azevedius militans in India cum est Frater eius maior Ignatius occisus, eum vidit sibi apparenté.

nomine. Hunc Sebaſtiani Regis auſpicijs in India Orientali militantem, ſtatim à morte obita inopinatiſſimè Azevedius inviſit: ſolutum ſe corpore, ac vitæ melioris compotem docẽs. Vnde ille, quali par erat pietatis ac religionis affectus ſenſu, inſtituit ex tunc Maiorem Fratrem in peculiarem adſciſcere Patronum, & quotidiana veneratione res ipſi vitæ ac ſtatus ſui, ceptorum ſucceſſus, periculorum amolitiones commendare. Iconem ſibi fieri curavit formam eius exprimentem, quam ſecum quocumque pergeret circumtulit. Illius invocati præſens auxilium in bellicis pręſertim diſcriminibus experiri ſe profeſſus, multis annis forti & felici opera per militarium evectus honorum gradus, denique poſt annum ſuperioris Sæculi nonageſimum, ſupremum pro Philippo Rege Indiarum Imperium obtinuit, clariſque victorijs amplificavit; bello præſertim in Ceilano Inſula, cuius magnam partem Coronæ Luſitanicæ ſubiecit, feliciſſimè confecto. Cæterùm idem, ut Fratrem tanti Herois

64 Magnas de Hoſtibus Victorias Fratris Mortui ope reportat.

rois decebat, humana commoda & decora, longè infrà rerum æternarum rationes ducens, in id ſemper præcipuè venerabilis Germani favorem imploravit, ut ſibi à Deo impetraret gratiã, Vitæ Chriſtianè ductę terminandi fauſto exitu, & cunctis religionis præſidijs munito; cuius voti cumulatè compos eſt factus; redux enim in Patriam cum gloria ingenti, iam Senior Vlyſſipone, ritè perceptis Eccleſiæ Sacramentis, cum ſpe Regni cœleſtis optima deceſſit. Hæc in Actis Quæſtionum Eborenſis, & Conimbricenſis *a*. quatuor teſtium iuratis affirmationibus aſſerta referuntur. Quibus addere licet tertiam Azevedio & Socijs communem oblatam Ioanni Madureiræ morienti Viſionem, cuius Teſtimoniũ exhibent Acta Quæſtionis Eboræ habitæ *b*. Intercedebat Ioanni Madureiræ quaſi Domeſtica cum Azevedio neceſſitudo è Patre tracta Henrico Govea, cuius alibi *c* memoravimus apprimè cultam familiaribus & Chriſtianis officijs inter eos ambos amicitiam. Ergo auditum Azevedij Sociorum-

65 Et felicis in Patria mortis gratia donatur

a Proceſ. Conimb. fol. 106. Proceſſ. Ebor. fol. 47. 64. & 107.

b Proceſ. Ebor. fol. 64.

c Lib. 1. cap. 1. ſect. 4.

66 Martyrium Azevedij à Ioanne Madureira Henrici Goveæ filio versibus celebratum.

rumque Martyrium, qua præstanti pollebat Poëtices facultate Madureira splendidè ornavit, elegantibus illud Elegis celebrans: sed & imitari quos laudarat studens, multis impetratam precibus profectionem in Brasiliam suscepit, non multùm dispari ab ijs sorte. nam interceptus, & ipse in medio illo cursu ab Hæreticis Anglis, dū ab his vinctus in Angliam ducitur, gravi morbo absumptus est. Cui qui morienti adfuere, deinde referebant: illum habere semper antea in ore solitum, Quadraginta Brasilicos Martyres, cum extremis admoveretur, ingenti lætitiæ demonstratione dixisse adstantibus: *En video Azevedium cum sua Quadragenaria Cohorte. Hi me sibi aggregaturi veniunt. Ohe! libens sequor. nulla mora esto: etiam etiam eamus.* Atque in his expirasse vultu mirabiliter sereno. Hæc ferè habui, quæ de Ignatij Azevedij, huiusque undequadraginta Sociorum Vita & Morte, è varijs fide probata constantibus excerpta digestaque monumentis, hic proderem. Quibus ubi mantissam penè debitam adiun-

67 Is captus ab Hæreticis dū in Brasiliam tēdit, & in vinculis moriens Azevediū vocantē ad Gloriam videt.

adiunxero, de ſucceſſu Reliquorum Ignatij Comitum, totiuſque Claſſis Vaſcelianę ultima fortuna, utcumque perfunctum me ſuſcepto in hac ſcriptione officio putabo.

CAP. IV.

Vaſconcelius poſt longos per Maria Errores, à Capdevilio Pirata victus occiditur, die 13. Septembris anni 1571. Eadem occaſione & die quinque Religioſi Soc. Ieſu ab Hæreticis in odium Catholicæ Fidei necantur.

I. DVdùm indicavimus *a*: Vaſcon-

a Lib. 3. cap. 2. ſect. 1.

concelium Braſiliæ Prætorem, ſolvente Palmam versùs Iacobea Oneraria, detinuiſſe Claſſem regiam in Portu Inſulæ Materiæ, conſilio uſum Peritorum rei Nauticæ, eam quæ tunc erat tempeſtatem parùm accomodatam navigationi cenſentium. Poſt longam illic moram, viſis tandem Gubernatoribus meliora è Cœli ac Maris ſpe-

68 Solvit è Materia cum Claſſe Regia Vaſconcelius.

cie auſpicia captare ad curſum Claſſi deſpondendum proſperum, data vela ferentibus ventis ſunt: Proræque ad Heſperidas obverſæ. Inſulæ ſunt Atlantici Oceani Continenti Africæ affines, Gorgades alijs dictæ, quibus à Vicinia Promontorij Arſinarij, vulgò nunc, *Caput viride*, vocati, celebre hodiè nomen adhæſit Inſularum Capitis viridis. Simul eò perventum, vulgati per Nautas & Vectores morbi ex in-

69 Ad Inſulas capitis Viridis Luſitani morbis affiiguntur

ſalubri Cœli tractu, ſtrenuæ caritati duodetriginta Sociorum ea Claſſe vehentium, uberem materiam præbuere. Nec flexu hinc in prætentum Gvineæ littoribus æquor facto, mitigatum eſt incommodum. At contra Luis malignitas in tantum aucta, ut

ſtra-

ſtratis continua ſerie per foros & ima ſupernaque Tabulata Navium languidis, ſani qui miniſtrarent, deeſſent. Habebat Prætoria quatuordecim è Noſtris, Duce Patre Franciſco Caſtrio: Navis altera totidem alios, in his numerato P. Petro Diazio, cunctis ex quo Azevedius deceſſerat, uti dictum eſt, præfecto. Hi omnes tot ægris tam difficili tempore alia quavis ope corporum animorumque deſtitutis, utriuſque generis miniſteria, impigra ſedulitate diù noctuque adhibere: aures confitentibus, ultima Sacramenta Moribundis præbere, Mortuis iuſta reddere funebria; Medicorum ijdem ac Chirurgorum officia obire; quin & infima Famulorum præſtare obſequia. Hoc miſeriarum curſu, per ſeſe mutuò excipientes continuas iniurias Cœli ac Sali, venitur tandem ad proximum terræ Braſiliæ conſpectũ: Sed dira procella contingere vetante, ſalutatum votis dumtaxat anxijs à ſeſquimilliari deſideratiſſimum ſolum eſt. numquam, ne ultimis quidem exromptis contentionis ſummæ, artiſ-

70 Socij duodetriginta laborantibus lue Claſſiarijs ſedulò miniſtrant.

71 Classis Vascōcelij à proximo Brasiliæ conspectu, ventis immanibus in Novam Hispaniam abripitur.

que omnis nauticæ, conatibus, eluctari vim trudentis in transversum venti, applicando se littori, potuere: ac neflectere quidem Promontorium S. Augustini; supremam Orientem versùs trigoni Brasilici cuspidem: cuius in boreali latere sperabant aliquam à perfurente tunc australi tiphone requiem. Prorsum acti violentia fluctuum insana, flabrisque immanibus in novam Hispaniam abrepti, Vasconcelius quidem in Prætoria cum Castrio Insulam à S. Dominico nuncupatam tenuit. Diazij verò Comites in alterius illic Insulæ, Cubæ dictæ, Portum à S. Iacobo nominatum appulerunt.

72 Vasconcelius iterùm Brasiliā adire tentans repellitur, & post longos errores Angram appellit.

II. Vasconcelius per brevem isthic quietem Nave instaurata; primæ auræ paulò clementiori vela reddidit, cursu in Brasiliam retorto, nihilò felicioribus, quàm priùs auspicijs. Nam sæpe tentato in varias eius Oræ Stationes accessu, semper ex omnibus, quasi coniurata Maris ira, reiectus est. Postremò velut indignantium pertinacem contrà suos nutus tendendi constan-

ſtantiam, fluctuum atque ventorum, ineluctabili retroactus impetu, in Antilias, quas vocant, Inſulas à meridie Americæ obverſas, indeque poſt triſtiſſimos multorum Menſium errores in Angram extruſus eſt, Vrbem, ac Portum Tertiariæ Inſulæ, earum quas *Azores* nominant, principis. Hic, ut in loco Ditionis Luſitanicæ, liberiorem ſe ac ſuos reficiendi facultatem nactus, reparandis ſævæ ac longæ iactationis damnis dum otioſus incumbit, nonnullam recipit Comitatus ſui partem; Nave illuc Hiſpanica portatam. Nimirùm Petrus Diazius cum Socijs, quem è curſu Braſilico deiectum in Portum Cubæ Inſulæ à S. Iacobo nominatum appuliſſe diximus: Navem qua illùc erat vectus ita Maris & adverſæ tempeſtatis fractam iniurijs afflictamque deprehendit, ut eius reconcinnãdæ nulla iniri à quamlibet conantibus ratio quiverit. Igitur ibi conſtituunt operiri aliquam Navigationis facultatem: interiimque laboribus Evangelicis Colonos Europæos, Indigenaſque illorum Tractuũ

73 Petrus Diazius è Cubæ Inſulæ Portu à S. Iacobo dicto, in Portum Abanam tranſit.

impigrè, nec parùm utiliter excolunt. Sed cum inter hæc die procedente, nulla ſpes affulgeret Navis inde ſoluturæ quam poſſent conſcendere: audiunt ab uno è Noſtris Antonio Sedennio, à Patribus Floridæ Provinciæ curam gerentibus ad ipſos ſalutandos & iuvandos miſſo: eſſe alium in eadem Inſula frequentiorem Portum, ſexcētis Ortum versùs à Iacobeo milliaribus diſſitum, Abanam dictum, ubi copiam Navigij, ſeu Braſiliam, ſeu Europam cogitarent, facilè inventuri viderentur. Tali ſpe, Duce úſi eodem, qui viæ autor erat, laborioſiſſimo itinere, partim terreſtri, partim maritimo, ſe conferunt Abanam. ac Nave ibi reperta versùs Hiſpaniam ſolvente, in ea, naulum pacti, locum impetrant. Cum hac dum Angram obiter tangunt, ad Socios illic inventos exſcendere voluerunt. Lætatus in primis eſt Petri Diazij, ſui & Sociorum Præpoſiti, adventu Franciſcus Caſtrius: quo ſe ipſi ac Comites, ut par erat, ſubijciente, Diazius penetrare certus in Braſiliam, ultimo in eam ex-

74 Abanæ Nave inventa Diazius cum Socijs Angram pervenit.

pe-

peditionem delectu, quatuordecim è præsenti superstitum Sociorum copia secrevit. Nam è duodetriginta quos Materia eduxerat non paucos vel corporis valetudine, vel animi vigore laboribus impares, varijs occasionibus in Provincias remiserat: aliquos etiam Tirocinij experimentis Societati minus idoneos compertos, bona missione Suis reddiderat: postremò tunc quosdam è reliquis ob causas similes parùm aptos visos, in Lusitaniam destinavit. Ipse cum Castrio ac tredecim Socijs (omnes numero quindecim) sequi Prætorem decrevit. Vasconcelius enim, Vir planè fortissimus, minimè infractus tot adversis, etsi eis in cumulum modò accesserat acerbissimus Angræ acceptus ex Orientali India nuncius, extincti telis Mahumetanorum Goam obsidentium sui Filij Ferdinandi: tentare denuò toties obstructum in decretam sibi Provinciam aditum statuit, obfirmatissimo proposito, aut eò tandem appellendi, aut vitæ in conatu profundendæ. Ad eam rem, cum tot casibus, mortibus, transfu-

75 Diazius cum Castrio & tredecim Socijs solventem Angra Brasiliam versùs Vasconcelium sequitur.

fugijs quoque Militum, atque Nautarũ, Claſſis copias oppidò in arctum redactas, vix uni complendæ pares Navi cerneret, minimè omnium quaſſam infelicis navigationis malis, quandam è ſuis Onerariam delegit, quam ſibi pro Prætoria, Claſſeque adeò habens univerſa; ſolam in Braſiliam perduceret. Huius infelicium Navis caſuum, præter vulgatam à Noſtris *a* Maffæo, & Sacchino Hiſtoriam, nactus in Romano Tabulario prolixam & accuratè digeſtam narrationem, eam hic quàm breviſſimè ac dilucidiſſimè potero comprehenſam reddam. Eſt ea fide digniſſimi Autoris: quippe invicti Confeſſoris Catholicæ Fidei Sebaſtiani Lopez, ab Hæreticis Religionis odio in Mare deiecti: ſed divino beneficio mirabiliter morti ſubtracti; ac bimeſtri pòſt ſpatio Vlyſſiponem inde reducis. Vbi dum Tragœdiam, cuius ipſe pars magna fuerat, ex recentiſſima memoria Fratribus recitat, dicta eius relata in Commentarium ſunt à Patribus Collegij S. Antonij: miſſaque ſub finem Novembris ad

a Maff. Ep. Ind. lib. 2. Ep vlt. Sach. Tom. 3. lib. 7. n. 179. & ſeq.

76 Sebaſtianus Lopez ſuos & Sociorum caſus oculata fide retulit.

25. Nov 1571.

ad Præſidem Provinciæ tunc ab Vrbe abſentem, poſtquam ab eodem Sebaſtiano recognita; iterumque tamquam veriſſima confirmata fuerant. Hoc ego Scriptum habens præ oculis, ſimulque cum illo comparans planè congruentia teſtimonia Perſonarum autoritatis idoneæ, quæ Navi eadem vectæ cuncta pariter præſentes ſpectaverant, authenticis Tabulis excepta *a*, Rem iſtam univerſam hunc omninò in modum ſucceſſiſſe comperio. 77 Ex huius & aliorum teſtimonijs ſequens narratio contexta.

a Proc. Bay. fol. 32. pag. 1. & fol. 37 pag. 2

III. Solvit ex Angrenſi Portu cum Claſſe Braſilica in unius iam Onerariæ compendium coacta, Vaſconcelius Prætor, poſtridiè Nonas Septembris, feria quinta, anno ſuperioris Sęculi primo ſupra ſeptuageſimum. ac vento elatus à Puppi proſpero, die ſexto Canarienſe attigit Pelagus. Ibi vergente ad veſperam hebdomadis quarta feria, pridie Idus Septembris: apparent procul in alto Naves quinque: quarum curioſiùs obſervatarum è vexillis in ſummo extantibus, Nautæ intellexerunt, quatuor quidem eſſe Galli-

6. Sept. 1571.

78 Vaſconcelius ſolvit Angra 6. Sept. 1571.

12. Sept.

licas,quintam autem Anglicam: Prona hinc cunctorum animos coniectura pulsante: Hæreticos ijs Piratas vehi. solatio tamen fuit directus aliò, quantum apparebat,earum cursus: quem sine ullo in Lusitanam Onerariam respectu, tenere perrexerunt; quoad post Solis occasum crepusculo quoque vanescente, videri lucis defectu desiere. At mox apparuit, astu eos militari affectasse speciem innoxiè præterire volentium, quò se inobservati, beneficio tenebrarum,admoventes, inopinantibus; proindeque imparatis, mane supervenirent. Nequiverunt tamen acrem Lusitanorum vigiliam fallere: qui propter solicitudinem oculis eò unde timuerant adhuc intentis, animadverterunt quasi pharum inde mobilem versùs ipsos procedere. Nimirum cum constaret universa Classis piratica tribus maioribus Rostratis, & duobus minoris formæ Myoparonibus, alterum horum altè sublata præeuntem face signare viam Classi per nocturnam caliginem Piratæ voluerunt, rectà tendendo in desti-

na-

natam postridianę grassationi prędam. Intellexit subitò, pro sua Ducis veteris solertia, Vasconcelius quid hæc in-
» dicarent. ac raptim Militibus convo-
» catis denunciavit, certissimę immine-
» re vehementem ab Hæreticis oppu-
» gnationem; iniquissimè illam quidem
» comparatam, instructissimarum quin-
» que Navium in unam nõ multùm va-
» lidam. Cæterùm abundantia virtutis
» ex ipsorum, tot infestis casibus per-
» specta fortitudine, causæque optimæ
» conscientia sperandæ, exæquatum sa-
» tis iri qualecumque discrimen. sibi es-
» se deliberatissimum, pro Fidei Catho-
» licæ defensione vitam pacisci, nec an-
» te sanguinem funditùs exhaustum,
» exhalatumque ultimum spiritum,
» conatus extremos remittere in repu-
» gnando Dei ac Religionis Perduelli-
» bus. expectare se citra dubitationem
» ullam à Generositate ipsorum parem
» constantiam; cuius sibi tot pignora
» longo experimento militaris toleran-
» tiæ præbuissent. Hæc illis alacri significatione strenui obsequij accipientibus: iam nunc Prætor iubet compa-

79 Videns imminẽtes sibi quinque Naves Piraticas suos ad pugnam comparat.

rari de more ad prælium omnia. instrui ad expeditum usum ænea tormenta, promi cados nitrati pulveris, obtendi lateribus Navis infirmioribus culcitras præmollituras vim contra impactam globorum ferreorum, telorum copiam aptis disponi locis, stationesque describi, sua cuique quam tueretur parte assignata: sic Ducis officio providè perfunctus, Christianum quod decebat hominem, in manifesto mortis discrimine, piè præstitit. Francisci Castrij, quo à Confessionibus utebatur, advolutus genibus, vitæ ante actæ cum ingenti veri doloris indicio, perperam acta recensuit. Idipsum imitati Milites omnes, tota nocte reliqua duos è Nostris Sacerdotes, quot soli præsentes aderant, occupatos habuere.

80 Rostrata eadē quæ Iacobeam Onerariam expugnaverat Vasconcelij navem impugnat

IV. Primo diluculo feriæ quintæ ipsis Idibus Septembris, apparuit ad teli iactum admota Rostrata ingens; eadem quæ anno superiori Iacobeam Onerariam expugnaverat. Sed Dux erat diversus; Nam Soria obsequijs tunc alijs distentus Calvinianæ ad Ru- 13. Sep.

pel-

pellam Factionis; quæstu tamen paulò ante piraticis excursibus corraso salivam avaro movente novarum Rapinarum, è Classe cui præerat, Pacis nuper sancitæ legibus à deprædandis finitimis prohibita, quatuor satis validas Naves secreverat, quarum Prætoriæ, illi ipsi qua nuper ipse rem feliciter gesserat, fidissimum ipsi hominem, nec Catholicæ Religioni minus ipso infensum, pro se Ducem imposuit, nomine Ioannem Capdevilium, natum in Oppido *Salies* dicto, Benearniæ Provinciæ. Hunc Scriptores Lusitani Cadavilium appellant, & quidam ipsorum fuisse Hispanum autumant, errore, ut opinor, inde orto, quod ex Benearnico Principatu, olim parte Regni Navarræ hispanicis accenseri soliti, esset oriundus. Hic ergo adiuncta sibi obiter quinta Nave Anglica, mense huius anni Augusto invectus in Canariense Pelagus; & ibi Gomera Insula direpta, nunc Tractus explorabundus istos obiens, observatam Prætoris Vasconcelij Navem, eo quem dixi astu circumvenire inopinantem sa-

tagebat; quam ut telo contiguam habuit, ſigno conſuetæ clarigationis per diſploſionem innoxiam duplicis tormenti bellici edito, ei deditionem imperavit. Mox ubi Luſitanos reſiſtendi certos agnovit: ter impetu infeſto diverſis ſimul è partibus in Navem invehitur. repelluntur magna clade toties Hæretici, obtruncatis ex audentiorum numero circiter viginti, nec paucis alijs vulneratis. quin è Nave Luſitana emiſſi tubis maioribus globi grave damnum intulere: uno eorum perforante Prętoriam Roſtratam loco in primis periculoſo, quippe aquæ vicino per hiatum continuo influenti: altero perfringente Malum maiorem, unde antennarum vela ferentium conſecuta ruina eſt: tertio denique decem uno ictu Milites occidente. At hæc, ne poſſent ad victoriam proficere, periniqua Catholicis pugnæ conditio, adiuncta ipſorum paucitate, obſtabat. E multò editioribus Roſtratarum hoſtilium labris horribili plumbearum grandine glandium ferreis eiaculata fiſtulis, deſtinatò

81 Tres Piratarũ aſſultus fortiter à Luſitanis repelluntur.

tò

tò supernè petebantur, nullo in irritum cadente ictu. Principio in crura stantium, cætero corpore galeis & loricis tecto, procella incubuit; ferè cunctis procidere in genua coactis: ac sic tamen locum minaciter obtinentibus: utcumque ad latera singulorum superstitum multi globulis per oculares cassidum hiatus, aut thoracum commisuras nocendi viam rimantibus, interfecti iacerent. quarto tandem eodemque vehementissimo Latronum damnis irritatorum incursu, perruptus à Prora in Navem est aditus, quinque Viris fortibus, qui eum custodiebant trucidatis; & hostibus ad sexaginta illàc ingressis. Vasconcelius duobus traiectus plumbeis globis, quorum alter ipsi tibias fregerat, alter à pectore in vitalia penetraverat, invicto tamen animo de genibus extabat pugnans, quinque tantùm circumdatus manu strenuis & fide præcipuis domesticis Famulis. Nam milites circa omnes occubuerant. Forti tamen adhuc spiritu primos irruentium, ense ac clypeo numquam quoad spira-

82 Quarto insultu Piratæ Navem vi occupant.

83 Vasconcelius fortissimè pugnans occumbit.

vit

vit depositis, stitit. Donec ense cominus per ventrem adacto, & transverberatis lancea præcordijs, procumbens obijt. Duce ac præsidio extinctis, Nautæ deditionem se facere dixerunt. quod Victores ut serò factum aspernati, in quosque obvios sævierunt ferro; spoliatosque statim omnes, & in his sine discrimine Ducem ipsum, in Mare proiecerunt. Hic Ludovico Vasconcelio finis obtigit, haud dissentaneus perpetuo tenori vitæ anteactæ; quæ stadium tota fuit Sortis adversæ cum magna Virtute luctantis.

V. Dum hæc à Duce ac Militibus in Navi Lusitana gererentur, P. Petrus Diazius pro suo munere Præfecti Sociorum, iam tum à pridiana vespera, quando est certum indicium vulgatū Dimicationis instantis, congregatos »
84 Diazius Socios, ad Necē pro Christo subeundam hortatur.
eos omnes, admonuit: quam tot vo- »
tis optarant, tot mensium vagis per »
Oceanum erroribus, infinitis ærumnis »
immensis laboribus quæsierant, adesse »
in foribus occasionem fundendi pro »
Christo sanguinis, & Palmæ Patris »
Azevedij eiusque Comitum, subeun- »
da

„ da pariter illata in odium Religionis
„ ab Hæreticis cæde, adipiſcendæ. Ne
„ ſibi tam pretioſo momento deeſſent,
„ contenderent totis animis, Deique
„ Chriſti Domini ac Deiparæ Virginis
„ parato utentes patrocinio, in ſortem
„ tam invidendam ſe offerrent. Suade-
„ re ſe, quòd optimum duceret, ut iam
„ hinc omnes Sacerdotij expertes ex-
„ purgarent confeſſione tamquam mox
„ migraturos à corpore animos: ac ſub
„ eam coniuncti omnes una ſub Tabu-
„ lato Navis ſede perſiſterent, Deum
„ orantes ac ſe invicem adhortantes: in-
„ terim dum ipſe cum altero Sacerdo-
„ te Caſtrio audiendis Externorum con-
„ feſſionibus vacarent. Ea Diazius vultu alacri ac generoſam ſpirante fiduciam cum diceret, parem eius qua flagrabat Martyrij cupiditatem in cūctis accendit. Inde Caſtrio iam, ut indicatum eſt, comparandis ad certamen inſtans per Pœnitentiam Prætori ac Militibus operam dante, expiandis ipſe pari officio Nautis ac Vectoribus per noctem reliquam aures applicuit. Poſtquam in Foris Navis inter-

terfecto, ut dictum est, Prætore, debellatum fuerat: Piratæque Victores larga cæde iræ litantes, quotquot in Superioribus repererant, occisos & spoliatos in fluctus deiecerant: placari
85 tantisper ij visi sunt, clamore testati: se veniam reliquis dare: ad quam vocem prodire ausis è navali turba paucis, blandiri etiam Hæretici voluerunt, bonis eos verbis, confidere iubentes; atque ad fidem clementiæ faciendam capita eorum humerosq; mulcentes. Hinc descendere orsi in Navis interiora, quò repostas scilicet merces, prædam iam suam, scrutando cognoscerent: incurrunt primo aditu in exosissimum Hæreticæ impietati spectaculum, quo statim in diriores prioribus intemperias efferati sunt. Reperiunt videlicet sub Castello, quod vocant, Proræ, Submagistrum Navis immani vulnere saucium peccata sua Sacerdoti Francisco Castrio fatentem, & hunc moribundo præferentem signum Christi Cruci affixi, ducto in Crucis formam manus gestu supremam criminum absolutionem impertiri.

Piratæ Victores Dedititijs parcunt.

tiri. Ad eam ſpeciem Eccleſiaſticæ cerimoniæ immane quantum Phanatici exarſere. Conclamant, *rem indignam! non veritum Romanenſem ſacrificulum papiſticos ſe coram ritus uſurpare!* Hæc frementes ſtrictis omnes enſibus in unum irruunt Caſtrium, tam rabioſo furore, ut plus viginti quà gladiorum quà tragularum ictibus certatim undique ferientes confoderent: nec poſtquam concidit, mortuo parcebant: nequidquam iterandis in corpus locum novo vulneri vix habens, plagis. Ea vice rerum expeditis tandem confeſſionibus imbellis turbæ Mulierum ac Puerorum, ſub intimis penetralibus repoſtæ, P. Petrus Diazius aſſumpto ſecum uno è Fratribus Gaſpare Goiſio, conſcendebat in ſuperius Tabulatum, facilè opinatus, fore illic quempiam è ſpirantibus adhuc ſaucijs Sacerdotali opera egentem. Occurrunt eunti Hæretici cæde Caſtrij perfuncti, atque ambos, huius è veſte agnitos Socios, pariterque creditos Presbyteros, confeſtim crudeliter obtruncant.

86 Caſtrius ob adminiſtratū Pœnitentię Sacramentū ab Hæreticię trucidatur.

87 Diazius & Goiſius, quòd è veſte agnoſcerētur Socij Caſtrij, ab iiſdem occiduntur.

VI. Hinc memorandum ſe offert luctuoſus caſus, miſerabile documentum humanæ fragilitatis. Gaſpar erat Gonſalvius unus Sociorum, ſevera illa dudùm Valroſanenſis ſeceſſus Azevedio ſatis probatus Schola, duriſque deinceps longæ atque infauſtæ navigationis experimentis, multam virtutis opinionem adeptus: dignus idcirco habitus, qui bienni tirocinio ritè confecto, votis legitimis Religioni autoraretur. Is, ſive fucum Magiſtris fecerat, bonum quo carebat, artificio ſimulans, ſeu ex verè forti ac ſincerè Religioſo mutatus repentino metu eſt: cum tres modò nominatos Socios vidiſſet trucidari ab Hæreticis, à quibus tamen animadvertebat reliquos Navis Vectores humaniter tractari; horrore infelix ignaviſſimo correptus, à cœtu Sociorum ſe abiungit, captatiſque obſcuri anguli latebris, veſtem illic Societatis propriam, ne cauſa ſibi necis eſſet, abijcit: mox turbæ nauticæ caligatum ſe immiſcet; ita ſperans, ſumpta vilis famuli perſona, ſolis infenſos Ieſuitis Calviniſtas fallere, ac ve-

88 Gaſpar Gonſalvius viſa triũ Sociorum cæde territus, Veſte Societatis abiecta, Nautis ſe immiſcet.

vestimenti iactura corpus incolume servare; nimium imprudenter animæ securus, quam dum immensa fraudat gloria, ne illi quidem ipsi, quod ei præhabebat miser consuluit corpori. Siquidem Chirurgus, Administris aliquot comitantibus, missus à Ductoribus, ad vulnera exploranda plurimorum quos globi ferrei aut plumbei in Navem per prælium immissi variè læserant, cum mandato, artis impendendæ duntaxat ijs quorum leves & citò medicabiles plagæ viderentur; at graviùs saucios in fluctus exonerandi, quò sic opera & impensa lentæ curationis lucrifieret: ad confertam Nautarum multitudinem accedens, ubi aliquot ex primùm obvijs lustrasset, longi negotij pertæsus, propter observatum numerum capitum opinione maiorem, conversus ad Comites: *non mea*, inquit, *solùm pharmaca, sed & Classis alimenta, inutilis hæc brevi multitudo famelicorum absumpserit. Dimidio plus hic Ministrorum video quàm usus exigat operæ navalis.* Sic indicatam diram sententiam Medicus Carnifex Piratis

89 Cum his in mare deiectus suffocatur.

immanibus facilè probavit. Ergo vi correptos è densa citrà ullum discrimen turba circiter triginta homines, ne ijs pascendis fruges absumerentur, in Mare crudeliter evolvunt, reperta itidem aliqua iumenta eòdem cumulantes: inter hos deiectus Gaspar Gonsalvius in oculis frustrà miserantium quos deseruerat Sociorum, mari haustus interijt. Hoc viso undecim qui supererant Nostrorum, tristi salutariter admoniti exemplo, turpis defectionis fratris degeneris tam præsenti supplicio punitæ; tanto se se invicem ardentiùs ad fortiter toleranda quæcumque instarent, adhortabantur. Non omittam, videri: excidentem ignavo capiti coronam, ab ignoto Adolescentulo sublectam. Erat is, opinor, ex illo Grege Orphanorum quos iussu Sebastiani Regis conquisitos Vlyssipone, & in Brasiliam ad supplendas illic Lusitanas Colonias, destinatos, alias a diximus. Hic inter terrores præcedentis noctis, & strepitus paulò antè commissi prælij, peccata confessus Patri Petro Diazio, dum in-

a Lib. 2. cap. 6. sect. 1.

inde is, ut memoratum est, in superius Navis Tabulatum, deditione iam à Nautis facta, conscenderet, ei se comitem adiunxit; frustrà sæpe, cum ipso Diazio, tum huius comite, Goisio admonentibus, ut æqualium se cōtubernio redderet. Ac ne tum quidem cum occurrentes vidit Hæreticos infestis in Diazium armis irruere, iteratum fugiendi consilium admisit. quin potiùs arcto complexu stringens Diazium, nec avelli se ab eo sinens, pariter & ipse traiectus ferro, aquisque immersus, causæ consortium pro qua ille talia est passus, in suæ sociatæ cum eo mortis traxisse commendationem meritò creditur, eique adiunxisse veri Martyrij Decus. Mero namque odio Religionis Hæreticos Victores, iam professos se Deditis parcere, in solos Sacerdotes, aut ijs inhærentes sævijsse, manifestè apparuit, ex ijs, quæ post Diazium interfectum statim egerunt. Cum enim convasando è Cellis interioribus prædam, fortè in Capsas incidissent Ecclesiastica supellectili refertas (cuiusmodi rerum multam, ut

90 Adolescens Orphanus unà cū Diazio occisus eius coronæ participat.

di-

dixi alias *a*; Nostri copiam in Brasiliam his egentem deportabant) has cupidè in superiora delatas ad frequentem otiosorum, Scurrarum conventum exposuerunt petulantissimo ludibrio. Erat ibi magna vis cerearum Agni formarum, Crucicularum, Iconum Christum ac Sanctos referentium, Piacularium globulorum, partim insertorum funiculis, partim solutorum. Ea plenis impij manibus abrepta spargebant, discerpebant, cōculcabant, non sine vociferatione insanissima; cachinnisque procacibus. Insolentiùs bachabantur ad occursum repostarum ibidem sacrarum Reliquiarum: quas ubi è velis involucrisque explicassent, lectis nominibus Sanctorum ad quos pertinebant, horrendis hos convicijs proscindebant. Craniaque ipsa aut ossa eorundem contemptim effracta, consputa & in terram proiecta obterebant pedibus, aut in aquam iactabant. per similem lasciviam diripiebant è collo Catholicorum Rosaria, quæ vocamus, ac Coronas, ad indicium religionis, necnon pre-

a Lib. 3. cap. 5. sect. ult.

91 Hæretici Cruces, Icones sacras, Globulos piaculares & SS. Reliquias conculcant.

precationis usum, gestari palàm à plerisque Lusitanis solitas; eaque criminantes esse amuleta diabolica, & præstigias superstitionis idololatricæ, execrantes abolebant. Talia blasphemantibus alijs, venit in unius manus signū è ligno affabrè sculptum Christi è Cruce pendentis. tollit confestim atque ostentat. conclamant Impij: apage Idolum. mox stygio furore plures simul concurrentes in frusta comminuunt adorandam effigiem, & fragmina igne consumunt. Hùc attexam, quæ his consentanea posteriùs aliquātò fieri Sebastianus Lopez vidit; narrabat is; vicesimo post hæc die, quendam ex his scelestissimis Latronibus dum seductiores Navis angulos rimatur, reperisse arculam in qua erant signa duo perelegantia, Deiparam Sanctissimam alterum referens, altero Gabriel Archangelus eidem Beatissimæ Virgini Christi conceptum è Cœlo nuncians, specie Iuvenis alati exprimebatur. Hinc novorum ludorum ampla materies Impijs fuit. Circumferunt Nave tota convicio ingenti, &

92 Crucifixi effigiem in frusta comminutam igne absumūt.

93 Imago Deiparæ & S. Gabrielis Archāgēli pari sacrilegio violatæ.

pro-

probris fœdiſſimis inceſſunt veneranda Simulacra, mox corrumpunt atque dilacerant. Ac Sancti quidem Archangeli unus ex illa fæce Phanaticorum abſciſſum caput, infanda protervia per circulos Navis omnes oculoſque cunctorum uſque in intima conclavia portavit, irridens, inſultanſque Catholicis; atque horrendis interim blaſphemijs pias ipſorum aures vulnerans.

VII. Dum hæc Hæretici variè per Navem gerunt, perſtabant Socij ſuperſtites undecim in eo ſub foris loco, ubi ſimul hærere ipſos P. Petrus Diazius iuſſerat. Hos illic Piratæ ultrò citroque diſcurrentes etſi viderant, & quidam obiter curſando ex his aliquos fuſte percuſſerant: tamen, quod ad alia urgentiora vel quæſtuoſiora feſtinarent, plerique velut non agnitos eatenus præterierant. Iſta Noſtri quiete ad Deum precandum, ſe ſeque hortatu mutuo confirmandos, cum ſpatio ſat longo uſi eſſent: communi aſſenſu exiſtimarunt, prodeundum ſibi ex illis latebris, & ad ſuperius Tabulatum aſcendendum, quando cun-

cta per omnes Navis partes satis iam pacata viderentur: unà igitur omnes, veste induti Societatis, in area circa Malum maiorem latiùs patente, Victorum se conspectibus Militum offerunt. Statim apparuit haberi eos pro exceptis à venia cunctis post certamen finitum data; vestisque ac professionis invidia clementiam extingui, quam erga cæteros Vectores, Laicorum conditionem indumenti forma præferentes, Piratæ adhibebant; non solùm humanis consolantes verbis, & officiosis ultrò salutationibus compellantes: sed & ad corpora curanda benevolè invitantes; cibum quoque ac potum benignè suppeditantes. Longè alium in Iesuitas animum mõstrarunt. Hos enim visu primo exceperunt sibilis & sannis: tum circulo infestè iracundeque concurrentium undecumque ambitos, acerbissimis maledictis incesserunt. Papistas, Canes, pestes, ac carcinomata generis humani vocitantes. Audiebant ea silentes Nostri, & in modestæ patientiæ habitum compositi: nec respon-

94 Vndecim Socij superstites probra Hæreticorum patiẽter tolerant.

debant quidquam, nisi quis calumniaretur Ecclesiam Romanam, vel Fidem Catholicam; aut Dei ac Sanctorum honorem verbis impijs violaret: tunc enim aliquis Sociorum, tranquillo, sed tamen intrepido, negabat vultu, rem ita ut ille dixerat, se habere. Hanc Hæretici libertatem, sputis, pugnis, calcibus ulciscebantur: tum obverso ijs contemptim dorso, aliò subinde, quò usus quemque vocabat suus, emigrabant; alijs semper atque alijs succedentibus, qui Dei servos velut in comitio ad ludibrium expositos, scommatibus iniurijsque voce ac facto varijs impeterent. Die demùm ad vesperam vergente, universos illos missi quidam à Præfecto Satellites minaciter circumsistunt, instructi funibus, manusq; singulorum arripiunt, atque in tergum detortas invicem ligant. In ea vexatione Michaël Aragonius suspirium emisit indicem doloris quo eum pupugit attractio, in- inclemens brachiorum, aliquot impactis fustis ictibus paulò ante læsorum, loco & occasione supra memoratis.

Hoc

Hoc gemitu efferatus qui eum torquebat Lictor, Apage, exclamat, Presbyterum hunc canem eiulantem: simulque sævè correptum è Navis propinquo margine in Mare Aragonium deturbavit. Comprobarunt alij Latrones læto clamore factum. quod & imitari unus voluit. qui ducens Franciscum Paulum è Socijs alterum per viam proximè admotam Navis lateri, & hunc validè amplexus, altè sublatum quàm longissimè summo nisu potuit, in æquor est eiaculatus. Hi duo aquis extincti tragœdiam compleverunt huius diei Septembris decimætertiæ, quo quinque Socij ab Hæreticis odio Religionis undis immersi vitam Christo impenderunt; duo Sacerdotes, Petrus Diazius, & Franciscus Castrius, tres Sacerdotij expertes, Gaspar Goisius, Michael Aragonius, & Franciscus Paulus. omitto enim sextum Gasparem Golsalvium, qui veste Societatis turpi vitæ amore deposita, mortem acceleravit quam nimium horrebat, eiusque Decus ac solatium amisit; quippe non causa Religionis,

95 Michaël Aragonius & Frãciscus Paulus in Mare ab Hęreticis deiecti moriuntur.

ſed alimentorum parcimonia, deiectus in profluentem ab Hoſte immaniter avaro. quamquam de huius æterna ſalute haud deſperandum duxerim, qui nullum defectionis à Fide Catholica ſignum ediderit; veſte duntaxat religioſa exuenda, quòd huius aſpectu irritandos ad ſui Necem Latrones ſanguinarios exiſtimaret. In quo ſi quid humanitùs offendit, haud vanè autumare liceat: non defuiſſe apud inexhauſtam Divinæ Benignitatis miſericordiam; veniæ receptum, tempeſtiva dolentis animi priuſquam expiraret, conciliatæ pœnitentia.

VIII. Fuit Caſtrius cæſorum hoc die primus, tranſacto laudabiliter in Societate decennio, Sacerdos probatiſſimæ virtutis, ætate iam ultra virilem maturitatem devexa. Petrus verò Diazius annis quinque quadragenario maior, *Arruda*, quod eſt Luſitaniæ Oppidum, natus; iam ab anno

96 Diazij vitæ ſumma.

fluentis Sæculi quadrageſimo octavo, ætatis viceſimo ſecundo, Conimbricæ Societatem erat amplexus: & in ipſo

Tirocinio virtutem maturam grandi experimento monstraverat. Cùm enim, consueta & necessaria primis illis Societatis temporibus indulgentia, post aliquot probationis Menses, studijs Literarum à Moderatoribus fuisset adhibitus, & in ijs profectu laudabili non incapax optimarum Disciplinarum ingenium exerceret; repentè Superiorum, probare ipsius obedientiam volentium, inopinatissimo imperio, è Schola detrusus ad Culinam est: huiusque in vilibus & laboriosis ministerijs per annum integrum, non summa solùm diligentia, sed & mira pace animi, versatus, nullam umquam tædij sordium illarum, nullam desiderij honestioris sortis significationem edidit; planè semper demonstrans, se paratissimum ad vitam universam in eiusmodi officijs humilibus consumendam. Inde pari Maiorum, nec quæsito per ipsum, nec expectato, iussu, Meditationi Doctrinarum redditus, eatenus in Theologicis profecit, ut Ecclesiasticis functionibus docendi elementa Fidei, ac Sacramen-

97 Petrus Diazius è Schola in Culinā relegatus, patientissime fert per annū integrum.

menta miniſtrandi, ſecurè atque utiliter tractandis, abundè par foret.
98 Initiatur Sacerdotio.
Quare ritè initiatus Sacerdotio eſt: nec longè poſt, ſpiſſæ laborioſæque Procurationi præpoſitus colligendorum erogandorumque vectigalium Conimbricenſis Collegij. Vidit illum in eo munere Azevedius, dum Conimbricæ, uti dictum eſt a, Primùm studijs daret operam, deinde Provinciam Luſitanam Societatis, vice Turriani Romam ad Comitia profecti adminiſtrans, ibi moraretur. In eoque animadverſa (ut erat æſtimator prudens talium) pace imperturbabili

a Lib. 1. cap. 3. & 4.

99 Procuratione Collegij Conimbricenſis ſumma prudẽtia fungens, probatur Azevedio, qui eum ideo eligit in Comitem itineris Braſilici.

mentis, inter occupationes tumultuoſiſſimas, prudentia per flexus implicatiſſimos negotiorum nuſquam aberrante; in ferendis incommodis patientia, in iuvandis Domeſticis iuxtà Exteriſque caritate, dominante denique in his omnibus iugi attentione ad Dei ubique præſentis venerationem, nullo unquam interpellatam ſtrepitu curarum: hunc iam tum, ut hominem ſui planè genij, notavit. Vnde obſervato poſteà per primam

in-

inſpectionem præſenti ſtatu Braſilicarum Societatis Stationum, paſſim egentium Oeconomis in primis peritis; ſed qui ſimul & Operariorum partes, excolendis Exteris; & Præpoſitorum, informandis exemplo & præceptione Domeſticis, rectè tuerentur; eò rediturus cum arbitrio Comitum deligendorum, ante omnes Diazium optavit: paratum illum quidem, & quo flagrabat deſiderio multa pro Chriſto patiendi, iampridem votis ardentibus imminentem in occaſionem tranſmarinæ cuiuſpiam Expeditionis: at non facilè à Maioribus impetrabilem; idcirco quod, eius experti, operam ſimul utiliſſimam, ſimul amabiliſſimam ſanctiſſimamque conſuetudinem, Socij Conimbricenſes, ægrè Patrem ſuaviſſimum Sodalemque optimum ab ſe divelli paterentur. Vicit tamen tandem, non tam gratia vel autoritas Azevedij, quàm Divinæ Diſpoſitio Providentiæ, exequi quod, de Diazio ad vitæ Chriſto impendendæ promovendo gloriam, ſtatuerat, pergentis, ut accedente Superiorum nutu

tū, is inter primos tranſcriberetur in
100 Azevedianum Comitatum, ſupplen-
dæ Braſilicæ Societatis Coloniæ. A-
biens, Conimbricenſibus Socijs lon-
gum ſui deſiderium, cum dulci vir-
tutum eximiarum memoria, reliquit.

Dediriſſimus orationi, Proximos pijs ſermonibus iuvat.

Referebant Ianitores: ſe quoties il-
lum (quod ſæpiſſimè fiebat) cubiculo
evocarent, ſemper flexis genibus ora-
tioni vacantem reperire ſolitos. Cum
Externis agens, ubi cuique ſummâ
æquitate ſatisfecerat, tractationi ne-
gotiorum intexere norat, blandiſſimâ
gratiâ, pios de rebus divinis & ad ſa-
lutem animæ ſpectantibus, ſermones.
Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtran-
di ſingularem uſu & ſapientia dexte-
ritatem adeptus, à pleriſque in Con-
101 feſſarium optabatur. nec pacandæ
ſcrupulis æſtuanti, ſeu alijs turbatæ in-
temperijs conſcientiæ, quiſquam erat
conſultior ac felicior. quod in genere
memorant, uni è plurimis eo uti ſoli-
tis Arbitro Confeſſionum, ubi cogno-
viſſet quò ille migraret, indidiſſe im-
petum navigandi poſt ipſum in Braſi-
liam, & illic Domicilium figendi:

Pacandorum ſcrupulorum mira facultate præditus.

emi

emi benè tanto reputanti copiam præſentem Medici tam prudentis & efficacis ſuorum animi morborum. Porrò Azevedius quanti eum faceret, præſertim oſtendit, quando è Materia, ut in loco memoravimus, cum certo propinquæ ſuæ mortis augurio ſolvens, eum vice ſua Moderatorem cunctis quos illic relinquebat impoſuit Socijs: eum ſic non ſui ſolùm abſentis Vicarium inſtituens; ſed & deſtinans mox obituri Succeſſorem; quanto ſcilicet, vel ſuſtinendo fortiter oneri, vel gnaviter exequẽdo muneri, unum omnium cunctis naturæ ac gratiæ dotibus inſtructiſſimum putaret. In quo haud falſum ipſum ſuo iudicio, Petrus Diazius, cum totius deinceps vitę laudatiſſimo tenore, tum Necis tolerandæ invicta conſtantia monſtravit.

IX. De huius in morte Socio Gaſpare Goiſio non aliud Monumenta ſuggerunt, quàm bienni probatum tirocinio, nuncupatis ritè votis Religioni fuiſſe ſacratum. Recentior hoc in Societate Franciſcus Paulus, adhuc

102 Goiſius & Fráciſcus Paulus hic Novitius, prior à votis emiſſis recens.

inter Novitios censebatur, quando vita Christi causa per illatam vi ab Hæreticis demersionem profundenda, in longè augustiorem autorari Professionem meruit. Michaëli Aragonio Patria contigit Guissona, Oppidum Diœcesis Vrgellensis in Principatu Catalauniæ; sedes studiorum Civitas Barcino, cuius in Collegio Nostrorum curæ commisso, dum is adhuc Adolescens Philosophiæ naturali daret operam, in divina se ac Christiana profecisse iam tum plurimùm, exemplo sanè illustri demonstravit. Operiens Magistri adventum sub Scholæ horam in Impluvio Gymnasij, commisit se se animi gratia cum uno Condiscipulorum, concertatione umbratili, quæstionem nupera forte prælectione agitatam retractans, & argumentis oppugnans sententiam Sodalis, illo vicissim pro virili Assertum tuente. Exarsit acrior utrimque contentio, multis circum attentis, & variè, pro affectu vel iudicio, faventibus. Hic Michaël Syllogismo scitè nexo, Adversarium ita implicat; ut is nequid-

103 Heroica Michaëlis Aragonij patientia, in gravissima iniuria.

quam

quam extricare se conatus, ad extremum ira victus, sonoram Antagonistæ infregerit alapam. Rem enim vero indignam! fremere multi qui aderant fautores Michaëlis, & ad ferro expiandam Amici contumeliam se accingere. Ad hos ille placidè conversus: qui pro se moverentur, pro se quiescerent, oravit. Ipse protinus ad Percussoris pedes genibus positis, alteram feriendam, si luberet, malam obtulit. De facto quod Multi viderunt, Plures statim audierunt, cum varij varia sentirent; illorum appositius ad rem fuisse iudicium, eventus prodidit, qui Iuvenis, adeò Evangelium nō erubescentis, velox è mundana Militia transfugium ad Christi castra ominabantur. Quarto enim inde 104
vertente Mense, Michaël in Valentinam Societatis migravit Domum, Religionis illic auspicatus tirocinium septimo Kal. Septembris Anno Christi supra sesquimillesimum sexagesimo septimo. unde cum ad pridie Idus Septembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi primi (qui supre-

Ingressus eius in Societatem.

26. Aug. 1567.

mus illi dies fuit) Anni ſolidi quatuor, ſeſquimenſe inſuper abundante, computentur, manifeſtò deprehenditur; aberraſſe à vero eos qui ſcripſere a: Michaëlem Aragonium quando eſt mortuus, nondum bienne Probationis expleviſſe ſpatium. Ille verò iam tum primoribus Aſceticæ Inſtitutionis elementis, tanto compendio legitimæ moræ rudimentorum, culmen ipſum perfectæ virtutis, acri evectus niſu irremiſſæ contentionis, arripuit: ut paucis menſibus maturus deprehenſus, ad convictum Veteranorum transferri meruerit. Ergo in Collegio Valentino Theologiæ dare cepit operam. cui tertium iam annum inſudantẽ cùm illàc Roma redux tranſiens reperiſſet Azevedius, æſtate anni ſeptuageſimi ſupra ſeſquimilleſimũ, cupidè ipſum hoc optantem in Comitatũ adſcivit: quippe propter coniunctionem Ingenij ac Doctrinæ præſtantis cum infima ſui deſpicientia, & incenſo Religionis zelo, idoneum in primis viſum promovendis per Braſiliam ex vero ſpiritu Conſtitutionum

a Relatio M.S. Necis Soc. 12.

105 Poſt breviſſimam in Tirocinio moram Studijs Theologicis admovetur.

num S. Ignatij, ſtudijs Superiorum Facultatum. Sed Deo aliter viſum, qui Iuvenis luce pariter ſapientiæ & caritatis ardore conſpicui, deſiderijs Crucem Chriſti ſitientibus obſequi, ad repræſentandum ipſi mortis pretioſæ decus, quàm eiuſdem inſignibus talentis ad ſuam gloriam ſalutemque animarum, producendo illi vitæ ſpatio, uti præhabuit. Flagrantium eius iſtiuſmodi votorum luculenta extant indicia in Epiſtola ab illo ſcripta è Materia Inſula ad Socios Collegij Valentini XIII. Kal. Septembris An. 1570. cuius ideo partem aliquam ex Hiſpanica lingua latinè redditam hùc in ſpecimen attexere operæpretium putavi. Sic igitur incipit: *Vellem hac vobis alius Patres Fratreſque cariſſimi, mea vice ſcriberet: nec me ingloriè ſuperſtitem ad hoc ignavum officium Palmas Sociorum recenſendi, Dei meis peccatis offenſi iuſtum iudicium reſervaſſet. Quod etſi, ut par eſt, quando ita Domino placuit, boni conſulo, voluntatem propriam Divinæ ſubijciens, illa etiam ad id ſuccurrente ratione: ignorare nos plerumque quid Nobis expediat: & cum*

106 Flagrabat deſiderio patiendi pro Chriſto, ut eius Literæ oſtendunt.

ali-

aliqua nostram ad salutem visa conducibilia desideramus, meritò sæpe audire: nescitis quid petatis. Fateor tamen ita me commoveri iactura facta tam opportunæ occasionis, ut in ægritudine animi perpetua, quantum vitæ superest transacturus mihi videar. Narrat inde fusè quæ partim ipse viderat gesta Vlyssipone & alibi ante discessum Classis, & post eam solutam in navigatione Materiam versus, appulsuque illuc, ac mora. Tum quæ contigerunt Azevedio & Socijs usque ad ipsorum Necem, ex oculatorum iuratorumq; Fide Testium, recentissimè inde reversorum, refert. Quibus cunctis expositis hæc ad extremum subiungit: *Restat, Patres ac Fratres in Christo Iesu Carissimi, ut de Nobis Orphanis numero undetriginta in Insula Materia relictis, aliquid dicam unde intelligatis, quantoperè indigeamus suffragijs flagrantium vestrarum ad communem Dominum Orationum. Magnus omnes habet mœror, non ob Patrem cum tot Fratribus amissum, quibus potiùs sortem beatissimam gratulantur: sed quòd ipsis non contigerit pari ex causa cum Patre ac Fratribus occumbere. Vna in hoc nos tamen fidu-*

fiducia sustentat, quod certis auguramur indicijs, benignissimum Dominum, nobis quoque partem aliquam ærumnarum ac certaminum pro ipso subeundorum reservare. Argumento eius rei est constans affirmatio eorundem ex quibus superiùs memorata cognovimus: qui se audisse referunt Gallum Archipiratam cum iurans sibi planè constitutum affirmaret Classem, quandocumque hinc solveret, adoriri Lusitanam. nec recusare, quin nullius miles animi equestrique indignus loco censeretur, nisi certamen eousque obstinaret, quoad aut noster Prætor D. Ludovicus Vasconcelius in suam veniret potestatem, aut ipse illi victus succumberet. En quibus auspicijs quinto ab hinc die soluturi ex hoc Portu simus. Nam
24. Aug. *in nonum Kal. Septembris indicta Classi profectio est. Alacres imus tamen &, divino freti auxilio, in quævis adversa læti occurrimus: non dubij quin pro magnitudine laborum quos Paterna Dei Optimi nobis destinat Providentia, Famulis eadem suis adauctura vires sit. Equidem dum quas pœnarum acerbitates culpis olim meis meruerim reputo, gestit mihi animus quàm maximam potero earum partem perpessione gravium in hac vita malorum commutando redimere. Nec terreor obiecta*

spe-

ſpecie atrocium ærumnarum; certus, quantæcumque illæ ſint, adiuvante, quæ numquam deerit, Dei opportuna gratia, tolerabiles futuras. Hæc ibi Aragonius. undè apparet quanto is munitum heroicæ dudùm præſumpto robore virtutis pectus, extremo iſti obtulerit caſui.

CAP. V.

Alij Novẽ è Societate Ieſu, in mare ab Hæreticis proijciũtur: è quibus ſeptem aquis ſuffocantur, duo natatu evadunt.

I. REdditurus deinceps variam Fortunam novem hactenus Superſtitum, è quindecim Vaſconcelianam Navem ingreſſis, Sociorum; ante omnia verum eorum hic exhibendum arbitror Catalogum; ne inter res narrandas,è nominum parùm invicem

cem differentium affinitate oborta perplexitas, Personarum confusionem ipsarum, non sine molesta expetitæ totius eventus notitiæ interversione, Legentium animis obducat. Initium hos appellandi meritò duxerim ab Alfonso Fernandez: quod is à P. Petro Diazio cunctorum Rectore, dum viveret, in sui Vicarium, Ministri titulo, electus, eo defuncto ab universis ut Superior agnoscebatur. Secundus erat Andreas Pais, Tertius Ioannes Alvarez, Quartus Petrus Diazius, nomen idem & cognomen obtinens cum P. Petro Diazio Rectore mortuo; facili tamen, etiam dum ambo viverent, inter utrumque discrimine, cum Seniorem ab Adolescente, Presbyterum à Clerico Superiorem à Subdito, nullus distinguendi labor esset. Quintus numerabatur Ferdinandus Alvarez. His quinque pariter ortu Lusitanis, & legitima post biennium votorum emissione in Societatem ritè cooptatis, adiungebantur Novitij quatuor, eandem ipsi quoque Patriam Lusitaniam habentes: quorum erat

107 Verus Catalogus novem superstitum Sociorum.

primus, Petrus Fernandez, alter Sebaſtianus Lopez, tertius Didacus Fernandez, vltimus Didacus Carvalius. Hos omnes ſtatim poſt Michaëlis Aragonij & Gaſparis Goiſij in Mare deiectionem Hæretici contruſerunt in Conclave quo uſus pro cubiculo fuerat Prætor Ludovicus Vaſconcelius, ibique impaſtos in noctem inſequentem concluſerunt; cum non ignorarent ieiunos adhuc eos à pridiana Veſpera; & cunctis alijs per Navem Dedititijs non malignè ſubminiſtrarent alimenta. Vndè paulò poſt motus humano miſerationis ſenſu quidam Hæreticorum, clàm ad Vinctos beneficio tenebrarum adrepens, per oſtij foramen iniecit aliquantum panis nautici, ex quo æquè diviſo inter omnes haud plus una ſingulis buccella contigit. At exiguitatem cœnæ ferventes Chriſti Confeſſores producenda gratiarum actione compenſarunt. Nec alacrem, quam invicem caritate accenſis ſermonibus teſtabantur, ex illa Crucis participatione lætitiam, interpellabant ſubinde admoti extrinſe-

108 Socij ab Hæreticis carcere & inedia vexati.

ſe-

ſecus terrores ab ultrò citroque commeantibus Hæreticis; quorum nullus ianuam Carceris præteribat, quin ea iracundè pulſata, minas in Dei Servos diras & fœda convicia iactaret. Placida quippe interim illi fiducia gaudebant, dum ab uno audirent: *adhuc vivitis Ieſuitæ deteſtabiles, quos dudùm oportuerat exquiſitis tortos ſupplicijs necari*: alius diceret: *quieſcite Canes, cras vos laqueus expectat*. Alter è cœna ſurgens temulentus increparet lenitatem hactenus parcentium Præfectorum; & oſtio violenter ſuccutiendo, quaſi ſtudens effringere, furiosè clamaret: *quò hæc obſtacula Portarum? aut cur olim digni patibulo miti cuſtodia ſervantur? perrumpam hoc clauſtrum, & Canes impuriſſimos hac protinus manu, hoc gladio conſcindam*. Inter hæc magna noctis parte tranſacta, ſopitis pleriſque Sociorum, ſub dilucu-lum ſenſit Petrus Diazius ſtrepitum ac diſcurſum inſolitum excubantium ad ſolitam Navis cuſtodiam in ſuperiori Tabulato Vigilum: ex eoque, quod res erat, intellexit; parari ab ijs furcas & laqueos ad ſui Sociorumq; ſuſpen-

109 Inter minas impiorũ Chriſti Confeſſores ſecuri & læti perſtant.

dium in primam lucem destinatum. Quare dormitantes excitans Socios: *Nisi me fallit animus*, ait, *Fratres, admovemur extremis: & instans dies Exaltationi S. Crucis in Ecclesia dicatus, nos ipsa sui principio sublatos in patibula videbit, quæ parari Nobis ista quam auditis suprastantium nostris capitibus Militum trepidatione autumo.* Cui responderunt omnes: *læta nuncias, Frater; utinam ita sit. Accipe Christe Nos dudum tuos, & Crucis tuæ Sanctæ consortio dignare.*

II. In eius generis sensibus atque affectibus per quantum noctis superfuit, orando, seque invicem roborando ad mortem fortiter pro Christi Fide oppetendam, novem Socij versati, sub Solis exortum apertis cum tumultu Carceris foribus, à misso Armatorum manipulo, vinctis retrò lacertis protrahuntur ad locum, ubi pridiè Vasconcelius occubuerat, spatium latè patens circa Malum maiorem in suprema contignatione Navis. Hic stantem in medio reperiunt novum Navarchum capto Navigio impositum ab Archipirata Capdevilio Victo-

ctore. Ambiebat latus utrumque Cohors Satellitum, ensibus, tragulis, scloppis instructorum. Minaci omnes obtutu venientes Socios fixerunt. Quibus Præfectus altè subrigens superciliosam frontem, torvis oculis, tono aspero edixit: *Vobis Iesuitis, Presbyteris, Hostibus veræ nostræ Religionis, Emissarijs Papæ, Seductoribus Simplicium, instigatoribus seditionum, bellorum malorumque quæ dudùm patimur omnium causis, nulla pax à Nobis aut venia est. Clementia fuit supervacanea & prope impia Vos hactenus servasse: Ite agite Lictores suo quemque istorum aptatum laqueo suspendite; suffocatos in Mare devolvite.* Sic pronunciatam sententiam dum exequi undique festinantes Milites ferociter in Socios involant, trahunt, spoliant, ad funes novem, locis totidem, per antennas defixis, idoneo invicem intervallo, applicant, ac suam collo cuiusque restim induunt: auditur ecce à Mari rumor admoventis se captivo Navigio Rostratæ Prætoriæ. conversisque omnium oculis, apparuit extans altè Capdevilius, & manu è margine protensa:

110 Præfectus in eos pronunciat sententiam suspendij.

Si-

dium in primam lucem destinatum.
Quare dormitantes excitans Socios:
Nisi me fallit animus, ait, *Fratres, admovemur extremis: & instans dies Exaltationi S. Crucis in Ecclesia dicatus, nos ipsa sui principio sublatos in patibula videbit, quæ parari Nobis ista quam auditis suprastantium nostris capitibus Militum trepidatione autumo.* Cui responderunt omnes: *læta nuncias, Frater; utinam ita sit. Accipe Christe Nos dudum tuos, & Crucis tuæ Sanctæ consortio dignare.*

II. In eius generis sensibus atque affectibus per quantum noctis superfuit, orando, seque invicem roborando ad mortem fortiter pro Christi Fide oppetendam, novem Socij versati, sub Solis exortum apertis cum tumultu Carceris foribus, à misso Armatorum manipulo, vinctis retrò lacertis protrahuntur ad locum, ubi pridiè Vasconcelius occubuerat, spatium latè patens circa Malum maiorem in suprema contignatione Navis: Hic stantem in medio reperiunt novum Navarchum capto Navigio impositum ab Archipirata Capdevilio Victo-

ctore. Ambiebat latus utrumque Cohors Satellitum, ensibus, tragulis, scloppis instructorum. Minaci omnes obtutu venientes Socios fixerunt. Quibus Præfectus altè subrigens superciliosam frontem, torvis oculis, tono aspero edixit: *Vobis Iesuitis, Presbyteris, Hostibus veræ nostræ Religionis, Emissarijs Papæ, Seductoribus Simplicium, instigatoribus seditionum, bellorum malorumque quæ dudùm patimur omnium causis, nulla pax à Nobis aut venia est. Clementia fuit supervacanea & prope impia vos hactenus servasse: Ite agite Lictores suo quemque istorum aptatum laqueo suspendite; suffocatos in Mare devolvite.* Sic pronunciatam sententiam dum exequi undique festinantes Milites ferociter in Socios involant, trahunt, spoliant, ad funes novem, locis totidem, per antennas defixis, idoneo invicem intervallo, applicant, ac suam collo cuiusque restim induunt: auditur ecce à Mari rumor admoventis se captivo Navigio Rostratæ Prætoriæ. conversisque omnium oculis, apparuit extans altè Capdevilius, & manu è margine protensa:

110
Præfectus in eos pronunciat sententiam suspendij.

Si-

111 Capdevilius suspendium remittens pecuniam poscit.

Sinite hos, inquit, *utcumque meritos. quod mea clementia, non illorum sceleribus dignum est, annuo, ut mortem auro redimant, si, quam scio habere ipsos alicubi absconsam pecuniæ vim, ædificando in Brasilia Templo destinatam à Rege Lusitaniæ, cum Fide integram repræsentaverint, pati possum ipsos vivere. Eant, quærant, deferant. ni citò fecerint, esca mox piscibus futuri.* Ad eam vocem continuò non modo cervices laqueis, sed manus etiam post tergum ligatæ vinculis solvuntur; vestes redduntur spoliatis, liberique omnes dimittuntur, ea spe Impiorum; usuros illos ista fiducia, & quolibet eundi licentia, ad pecuniam in quodam ab ipsis, ut putabant, Navis angulo repostam, eruendam è latebris, & Archipiratæ numerandam.

III. Nostris, etsi grave fuit è tanta mortis optatæ vicinia, quasi è securi portus aditu, iterùm in vitæ incerta & procellas fluctuantis Pelagi repelli: venerati tamen omnes nutus divinæ Providentię; Deique moderantis vices humanorum casuum, temporumque momenta ignota hominibus in sua

te-

tenentis potestate, iudicijs acquiescentes, intervallum istud concessæ remissionis in occasionem colligendi sese, atque ad tentationes imminentes mutuis se hortatibus comparandi, contulerunt. Digressi ergo in Navis interiora, quasi somniatos avaris hostibus thesauros bona fide refossum irent, in locum ubi pridiè, prælij tempore, consederant, ad eadem illic quæ tunc agenda, preces videlicet Deo communiter fundendas, sermonesque invicem pios serendos, convenerunt. Vix ibi per horam fuerant, cum missis à Capdevilio inhianter expectante lucrum temerè speratum, nuncijs interrogantur: Ecquid iam expeditos haberent nummos? ne cunctarentur ire ad Ducem & Lytrum exolvere. Illi tranquilli responderunt: quantum extulissent è Lusitania modicæ ad Viaticum pecuniæ, hesterna iam luce compilatis ipsorum capsulis direptum: alterius repositi uspiam thesauri, haudquaquam sibi esse conscios. Relato responso Capdevilius se frustratum do-

lens,

112 Negantes se habere pecuniam Socios Capdevilius ad se transferri iubet.

lens, nec planè tamen adhuc spem abijciens expugnandi mora & multiplicato terrore quam in Nostris suspicabatur obstinatam pervicaciam pecuniæ celandæ, imperat transmitti ad se in Rostratam Iesuitas, relicto tamen in Navi capta uno & altero illorum, quos mandabat observari diligentiùs, si fortè ex motu actioneve quapiam ipsorum indicium expiscari aliquod auri latebrarum possent. nulla in parendo fit mora, relictis in Navigio captivo duobus Sociorum, Petro Diazio & Didaco Carvalio; reliqui septem ilicò in Scapham demissi transferuntur in Prætoriam. Excepti sunt ibi denso circulo intimorũ Capdevilij Familiarium & primariorum totius Piraticæ Cohortis, inter quos de more non deerat Magister Novæ Sectæ, Doctorculus è Schola Calvini ac Bezæ Genevensi recens. Hi universi tot simul oblatos Iesuitas, notissimum Rupellæ, unde plerique erant, & exosissimum hominum genus, stomachum aspectu primo in eos eruperunt, maledictis & probris ingerendis.

dis. *En*, aiebant, *Mundi facem, pestes generis humani, cladem Religionis, fomites discidiorum, moram universalis in vero Dei cultu concordiæ! Absque his foret dudùm Europa conspiraret in Reformationem à Calvino Divinitus ostensam. Hi seditiosis ubique concionibus per Germaniam, per Galliam, Populum in Nos concitant, Reges armant, Pios infamant. Quidquid persecutionum, insidiarum, oppressionum, angustiarum ubique Gentium nostra Secta patitur, vestro scelere Canes, Latrones, Satellites Papisticæ Tyrannidis, vestro Iesuitæ, mancipia Satanæ, detestabili furore patimur.* Ad hæc ingesta convitiorum plaustra serenos Socij vultus, tranquillo diù silentio fidenter renidentes, obtulerunt. Tandem quibusdam Hæreticorum tam placidæ aspectu patientiæ mitigatis, alijs defatigatis longa contentione vociferandi ac iurgandi, remissæ paululùm iræ sunt. Et Ministellus, ubi tempestas prima illa detonuit, tempus ratus suæ facundiæ promendæ. *Miror vos*, ait, *Iesuitas, quos Quidam cætera non indoctos putant, Papam Antichristum adorare, Idololatricum Imaginibus, Ossibusque Mortuo-*

113 Maledicta Hæreticorum in Socios.

tuorum cultum impendere, Missam Diabolicæ Superstitionis spectrum ostentare, Panem pro Christi Corpore venerandum proponere, Romanam Curiam, & Ecclesiam, sentinam errorum ac nefandarum Hæresum, adulatoria contumacia tueri. Talia blasphemantem Rabulam audacter interfatus Alfonsus Fernandèz, Hispanico sermone, plerisque Piratarum non ignoto; Papam Christi esse Vicarium asseruit, Piam, & ab Apostolis monstratam Sacrarum Imaginum & Reliquiarum venerationem esse, cæteraque similiter secutus capita Quæstionum cuncta intrepidè propugnavit. Exceperunt pro suo quisque zelo ac facultate, sermonem Socij cæteri; & partim Latinè, partim Lusitanicè, singulis Hæretici Agyrtæ calumnijs solidas Catholicarum veritatum defensiones opposuerunt, eminente in tota concertatione præsertim ingenio & acumine Didaci Fernandez, nihil impunè mentiri quemvis interloquentium sinentis; cuncta promptè ac feliciter quomodolibet obiecta diluentis. Vnde nomen illius percontati quidam

114 Blasphemias Hæreticorum Socij intrepidè confutant.

ad-

adſtantium, inter ſe deinde celebrarunt, haud aſpernandam indolem, nonnullo ſignificato nutibus ac mutuis aſpectibus erga Iuvenem experrecti animi, favore. Nec deerant qui reliquorum perinde Sociorum, ut quemque ſe prodere loquendo contigerat, nomina interrogarent. Sicque vicibus varijs producti multis horis colloquij, penè ſingulos appellare nominatim didicerant.

IV. Dum hoc ita certamen fervet, attenta circum Corona Præcipuorum & Militari Præfectura inſignium, Alius Globus Militiæ gregariæ oblectabatur in uno Sociorum variè vexando. Siquidem fæx illa hominum ex ingredientibus Roſtratam Ieſuitis ſeptem, ultimum ad ſe attraxerant: ne ſibi ludorum materia deeſſet, dum Primores Cohortis, Socijs alijs ignominioſè traducendis feros animos explerent. Cecidit ea ſors in Optimum Iuvenem Petrum Fernandez, Novitium Laici Ordinis, arte Fabrum lignarium. Is quod ſe tironem & Coadiutorē noſſet, Antiquioribus & Cle-

115 Inſignis Petri Fernandez Patientia & modeſtia.

ricis primas ſemper omnis honorifi-
centiæ ſolitus modeſtiſſimè concede-
re; tunc quoque de more, ſubeunti-
bus in Navem hoſtilem Socijs, extre-
mus ordine ingreſſus eſt. Quare cum
primi ad cœtum quem dixi Ducum
ac Tribunorum producerentur, Coro-
næ oculis in eos verſis, facilè Calones
iſti ac minorum Gentium Milites ul-
timo illo ad ſe abducendo fefellerunt.
Ac primò multa verniliter in Adole-
ſcentem verecundiſſimũ iocati: quod
is verbis procacibus nihil reponeret,
quaſi contemni ſe patientiſſimo Pue-
ri ſilentio ducerent, pugnis eum &
colaphis iactatum inter manus con-
tundebant. Inter quæ unus petulan-
tior pileum ipſi direptum procul
abiecit, alius Zonam exolvit: & multi
ſimul aggreſſi, veſte illum talari exue-
runt. cachinnis inde maioribus ſubla-
tis ad ridiculam Ieſuitæ ad meras ca-
ligas & ſubuculam nudati ſpeciem.
Hic bonum Tironem ſolicitudo in-
ceſſit; ne fortè ſpoliatus Societatis
veſte pro ſæculari haberetur, & ſic ip-
ſi contingeret paratæ Socijs, ſibique

exo-

exoptatæ Christi causa Necis pretiosa occasione fraudari. Tali cura instinctus expedivit se valido conatu retentantium undique Scurrarum manibus, & eluctatus occursum obstantium, perrupit vi aditum in maiorem conventum, Fratribusque illic in médio stantibus,& adversùs impugnantes Hæreticos disputantibus, se se applicuit, insigni vultus ac totius corporis modestia, & virginali deiectione oculorum,ad suæ Religionis indicium,vestis defectum supplens. Ista forma diù interfuit defendentium Doctrínam Catholicam Fratrum certamini; mutus ipse pro conditione gradus sui: cæterùm specie frontis & toto habitu serenam fiduciam spirante, multorum oculis notatus. Vnde cum se altercatio remitteret, quidam ex Hæreticis illum arripiens. *Heus tu*, inquit, *quisnam es? aut cur te istis aggregas tam dispari vestitu?* cui Petrus: *sum enimvero & ego*, ait, *Iesuita, licet indignus tanto nomine: nec qui vestem eripuit invito, detrahere potuit Religionem, cuius mihi character inest penitus animo infixus non delebiliter.*

Ri-

Riſerunt hæc audientes: ac ſuborien-te iam tædio Diſputationis ſeriæ, triſtitiam hactenus tracti ſermonis paululùm in iocos relaxandi oblatam cupidè rapuerunt anſam. Ergo unus & alter in ſeductum circulum attracto Puero: *quorſum*, inquiunt, *conniventibus oculis obſtipus perſtas? aperi ſis dormitantes iſtas atque huc pupillas dirige: an tales hos Viros ne intuitu quidem uno dignandos putas?* Inter hæc pulſatum alapis ad aliquam diſtantiam ſiſtebant, frontem attollere, ac circumſpicere iubentes. Mox illo, ut prius, tacito, in compoſitiſſima demiſſione faciei perſeverante, Nebulones excandeſcentes iterùm tundebant: quin arrepto aliquis Adoleſcentis vultu, altera manu mentum detinens, altera diſcludere ſatagebat palpebras nictanti. Subinde alius ludo indulgens, capite illi per vim erecto, collo ſuppoſuit furcillos, quibus ſi faciem iterùm demitteret, pungeretur. Iſtiuſmodi ludibria mira pace animi Iuvenis patientiſſimus ferebat. prout eſt intellectū voce hac illius inter tot contumelias audita: *Gratias Tibi*

Chri-

Christe Iesu: nam quando & ubi tantum meruì, ut me Crucis Sancta tua aliqua participatione dignareris? neç verò immunes alij opprobriorum similium fuerunt. soluta iam siquidem in scurrilem lasciviam quadam eatenus servata civilitate colloquij, qui adstabant temerè contrectare Socios ceperunt, trudentes, conspuentes, calcibus petentes, in ultionem responsorum audacter oppositorum, impugnationibus Catholicæ Doctrinæ. In quo genere bachabatur impotentiùs phanaticorum petulantia, quoties explorato Nostrorum vertice, tonsuræ in eò Clericalis signum invenerant. Tunc enim protervè cachinnantes: Apage, clamabant, characterem bestiæ, pugnisque locum rasi circuli crebrò ac validè pulsabant, excreantes insuper, eoque impurarum faucium eiectamenta congerentes, in contemptus & execrationis signum.

116 Petulantia Hæreticorum in Socios.

V. Antemeridianæ fermè horæ diei quartędecimę Septembris in eiusmodi contumeliosis vexationibus Sociorum consumptę in hunc modum à

Pi-

Piratis Hæreticis ſunt. Cauſa differendæ Noſtrorum cædis eadem erat Capdevilio, quæ Felici Syriæ Præſidi fuiſſe in Actis Apoſtolicis narratur *a*; S. Pauli nec abſolvendi nec dimittendi, poſtquam illius innocentiam clarè perſpexerat: ſpes videlicet accipiendæ ab ijs pecuniæ: ad cuius, ut putabat, abſtruſæ prolationem adducendos tandem ipſos perpeſſione incommodorum & metu mortis confidebat. In quo etſi nihil hactenus ſe videbat profeciſſe: indulgendas tamen horas adhuc aliquot expectationi quæſtuoſæ cenſuit: & manus ad prandium lavans, referentibus quibus id commiſerat; nondum quidquam Ieſuitas de nummis in Braſiliam portatis prodidiſſe; *denuò*, ait, *teneantur per quantum ſupereſt diei: niſi ante veſperam aurum repræſentaverint, prima nocte demergantur.* Diſcubuit his dictis, Pleriſque illorum qui Diſputationi paulò ante narratæ adfuerant, aſſidentibus. Alijs aliò ſimiliter ad curanda, ut hora ſuadebat, corpora dilapſis in propria cuiuſque contubernia: nemine tamen inediæ

a Act. xxiv. 26.

117 Mors Socijs in dicta ni aurũ repræſentent.

So-

Sociorum, quos iam biduò nihil gustasse constabat, curam ullam sublevandæ capiente. Nostri digressis omnibus soli in medio relicti, audiebant Petrum Fernandez, qui ut erat à modò narrata vexatione recens, nudo capite caligatus, quem conceperat tolerandis Impiorum iniurijs animi fervorem, his verbis à Sebastiano Lopez memoriter relatis, exprimebat: *Eia, Fratres, amplectamur offerentem se fortunam infelicis vitæ fine glorioso coronandæ: impendamus Christo libenter quantum superest spiritus. Tot iam mensibus per Oceanum ærumnis gravissimis erramus. Hic nobis dies, suggerenda occasione pretiosæ mortis, beatæ quietis en Portum pandit.* Hæc & id genus plura supra captum & conditionis & ætatis, Novitius Coadiutor alacri vigore oculorum, genarumque ardentis intùs indice caritatis rubore flagrantium, cum diceret, multum omnibus & afferebat consolationis, & animi addebat. Contulerunt pro se quisque sensa mentis arcana generis eiusdem: sicque longum precando, se seque invicem hortando, iucundè

118 Fervor Petri Fernandez.

ſpatium impleverunt. in quo primæ, ut par erat, partes erant Præfecti cunctorum Alfonſi Fernandez: cuius hæc ex ore præſens excepta Sebaſtianus in ſua Relatione recitat, totidem his verbis. *Feramus, Fratres mei, patienter omnes iniurias & contumelias quæ inſtant, graviores, ut licet augurari, iam toleratis. nondum enim uſque ad ſanguinem reſtititimus. Nec noſtris inniti nos viribus oportet. aut temerè confidere, quaſi Palmæ ſecuros, quam unum noxiæ ſocordiæ momentum, poſſet (quod Deus avertat) è manu iam tenentium excutere. Dei iuvantis auxilijs fiducia innixæ, metus propriæ fragilitatis ſalubriter admiſcendus eſt. Humilitate quippe ac ſui diffidentia in periclitantium ſubſidium Deus attrahitur: Diabolus extremis inſidians fugatur. Huius arma Hoſtis, hæc Hæreticorum in Nos odia ſunt. Eiuſdem laquei, fraudes omnes & artificia illorum ad nos à Chriſti fide vel errore ſeducendos, vel terrore depellendos, vel vi divellendos. Armemus pectus ad ultimum certamen invicta Fidei Caritatiſque conſtantia: ne in aliud tempus reſervemus ſummum virtutis conatum, utique hodiè (quod indicia monſtrant plurima) hoc ipſo in-*

119 Alfonſi Fernādez ad Socios verba.

quam

quam die morituri.

VI. Quo hæc aſſenſu à Cunctis exciperentur, quamque ſanctos ac dulces in ſingulorum animis cierent motus, accenſæ omnium facies, humentes pleriſque oculi; præſertim verò inflammata ſeraphico ardore vitæ Chriſto impendendæ deſideria, vocibus paſſim univerſorum ſignificata, teſtabantur. Nullus inter hæc ieiunis famis aut debilitatis ſenſus: adeò religioſum colloquium vice Cœnæ liberæ tempeſtivique convivij Dei ſervis erat. Per horas in ijs Cœli delicijs unam ferè atque alterã durarunt. Longiorem grati ſeceſſus requiem, expletorum iam epulis Piratarum repetita importunitas invidit. Primùm, ut è Menſa ſurgebant terni aut quaterni, ludi materiam quærentes, ad Noſtros maledictis inceſſendos, argumentis laceſſendos, accedebant, auditis mox reſponſis, aliò contemptim avertebantur. ſuccedebant Alij iocabundi cibo pleni ac vino; manu lentiſco armata, inter ſaturum dentiſcalpium ſcommata in Presbyteros Papiſtas riſu mul-

120 Pia inter ſe colloquia Sociorũ.

121 Socij biduum impaſti Saturis Hæreticis ludibrio ſunt.

to iacientes: iracundi alij minas & opprobria ingeminantes: non pauci male-feriati Scurræ verniliter ludificandis Christi Famulis otij solatium captabant. Post haud breve per eas illusionum opprobriorumque vicissitudines spatium transactum; inclinante demùm die in vesperam, densa circum Socios Corona undique cõvenit, lites solitas quasi iam seriò moventium Hæreticorum. Exarsit maximè certamen in articulo cultus & intercessionis Sanctorum. Quod Catholicæ Doctrinæ Caput blasphema vituperatione criminantes Heterodoxos, cum Nostri disertè ac fortiter refellerent; unus Procerum voce imperiosiùs sublata. *Nondum, ait, cacæ bestiæ, percipitis quod sensus apertè monstrat: quod experientia clamat ipsa: quàm stultum sit credere, Mortuos tam procul, in Cœlo, ut dicitis, degentes, vestros istos in terra & mari mussitantium susurros audire clanculùm immurmuratos, cum ne Stentoreos quidem clamores ad illorum aures ex tanta posse pertingere distantia evidens sit? Sin tamen insanire contumacia pergitis; age usu rem probemus.*

322 Impia Hæretici oratio contra Invocationem Sanctorũ.

even-

eventus vanitatem ſuperſtitionis anilis coarguat. Audivi veſtras vos hodie muginari Litanias. Ecquid Virgo Maria & Sancti quos invocaſtis adfuerunt, è noſtris vos eruentes manibus? An dormiunt? cur ceſſant? niſi quia ne ſentiunt quidem: & ubi verſemini, quo egeatis, quid velitis, non magis norunt, quàm Orbe hinc toto diviſi Antipodes? Veſanas Blateronis argutias intrepida Socij fiducia ſtatim elidere aggreſſi, os Hæretici obſtruxerunt celebri dicto Magni Gregorij de Beatis Deum videntibus: *Nihil eorum quæ ſcienda ſunt neſciunt qui ſcientem omnia ſciunt.* mox ficulneum argumentum in caput Sophiſtæ retorquentes: *iſto*, inquiunt, *in quo te protervè iactas, ſi vim haberet ullam, experimento auxilij non ſubitò ad preces impenſi, conficeres: nec Deum quidem vota orantium cognoſcere: quippe quibus plerumque non reſpondet exhibitione præſenti deſideratarum rerum. Audite igitur*, ſubiunxit his, ſolus loquens Alfonſus Fernandez: *& cauſam ex vero cognoſcite cur nos Deus & Sancti è veſtra poteſtate non eximant. Nobis nimirùm illi paternè conſulunt, & quia ſciunt nihil poſſe feliciùs Chriſtia-*

A Socijs audacter redarguta.

123 Alfonſi Fernãdez generoſæ voces.

Stia-

stiano contingere, quàm à Christi Hostibus in Religionis odium occidi: propterea ne Nobis simulatione favendi noceant, vestris Nos arbitrijs condonant: haud invitos profectò; ac non solùm promptos quidvis Christi causa perpeti: sed enixè cupientes quamlibet diram Necem oppetere in testimonium Catholicæ veritatis. Hæc spiritu ingenti proferentem Alfonsum, torvo fixum obtutu adstantium unus, manu excandescens arripuit: *habebis*, aiens, *ne dubita quod cupis; morieris hodiè bellua cum tuo isto Canum Grege, vel propter hæc quæ modò effutisti: Ego tibi, meam fidem testor, tuisque Gregalibus cervices hoc ferro frangam.* Avertit se his dictis, clamante Alfonso post abeuntis tergum: *Fiat quidquid te sinet Deus facere: Ego & Socij parati ad quamvis lanienam stamus.*

124 Furiosæ irati Hæretici minæ.

VII. Sol iam occubuerat; dilapsique, hora Cœnæ vocante, unus post alterum Hæretici, Nostros in loco deserunt; precum similiter aut mutuarum adhortationum fructum è concesso ipsis otio, & liberæ ab Arbitris solitudinis beneficio, captantes. Sub finem epularum, auditur ex inferiori

Con-

Conclavi, ubi Capdevilius cœnarat, vox nominatim accersens duos è Socijs, Didacum Fernandez & Sebastianum Lopez. Ambobus ad iussum accurrentibus, obtulit qui evocaverat, quasdam Mensæ reliquias & vinum, ut se reficerent, invitans. Vnde hæc homini clementia; quove discrimine duos è septem elegerit, in incerto est. Intervallo perbrevi postquam uterque vesci ceperat; audiunt ambo supernè strepitum tumultuosum, simulque notas Sociorum voces Iesu, Iesu, inclamantium: insequente mox sonitu evolutorum è Nave in fluctus corporum. Statim intelligentes, quod res erat, Fratres suos demergi; superatis raptim scalis, unde venerant se referunt. Acerbum spectaculum! Duobus Sociorum è fenestra in Mare deturbatis, octo aut decem robustos cernunt Milites, arripiendis spoliandisque alijs luctari; tum ut quemque veste talari exutum arcto complexu constrinxerant, in Navigij marginem attollere: indeque summo nisu per Noctis horrorem in Pontum quàm lon-

125 Didacus Fernandez & Sebastianus Lopez soli ab Hereticis cibo exiguo refecti.

Mox ijdē duo cum quinque alijs in Mare deijciuntur.

126 Petrus Fernandez & Ioannes Alvarez demersi suffocātur.

longissimè iactare. Par & ipsos continuò sors excepit. E septem sic deiectis Petrus Fernandez & Ioannes Alvarez nandi rudes, ilicò absorpti & suffocati aquis sunt. Quinque reliqui scita iactatione crurum & remigio lacertorum aquis extabant. Ne cernerent initio se invicem, obstiterunt tenebræ, obductis tum fortè Cœlo nubibus lucem intercipientibus stellarum: sonum autem vocis frustrabatur distantia: quòd studio Tortorum, solatium societatis invidentium Demersis, in loca quàm maximè disiuncta fuerant sparsi. Ita diù separati cum natando errarent: contigit sub alteram Noctis horam defluere largum imbrem è nubibus, auramque concidere à Puppi vela implentem: unde secuta Navium quies est. Sensit è clamore non ita procul exaudito Nautarum, & è quodam confuso per sublustrem caliginem prospectu Didacus Fernandez, diremptus à Socijs, haud longè abesse Classem: directoque hùc natatu, ad carinam citò pervenit unius Navium, nullo Vectorum ad-

127 Didacus Fernandez in Mare deiectus Clam adnatás in unam Navium penetrat, ibique latens servatur.

advertente, mox per zonas lateris ascensum molitus, clàm perrepsit inobservatus ad marginem, & in interiora se demisit. Profuit, ut tantum posset, instaurasse modica, de qua dixi, refectione, exhaustas inedia bidui vires. Nocte in latebris transacta, postridiè inter plebem nauticam minimè agnitus fefellit: ac ministerijs se non ignarus Navalibus immiscens, pro uno Classiariorum est habitus. Quatuor interim reliqui sparsim diù super dorsum Æquoris vagati, clamorum indicijs per Noctis silentium invicem exceptorum admonentibus, se se tandem admoventes in unum confluunt. Favebat Nantibus malacia, segnisque languor maris, nullo æstuantis tumore; quippe ventis feriantibus. salutantes occursu primo solantesque se mutuò communicatione suggestorum, cuique divinitùs sensuum, ad noctem ferè mediam fluitando perstitere. Tunc verò cunctorum Præfectus Alfonsus Fernandez deficere se sentiens, Psalmum est quinquagesimum exorsus, Socijs alterna versiculorum red-

128 Alij quatuor per Æquor sparsi coeuntes in unum se mutuo solantur.

ditione prosequentibus . ubi ad illa perventum verba: *Tibi soli peccavi,&c.* titubare haud dubiè linquique animo Alfonsus, nec brachijs iam elanguescentibus, posse, ut priùs, undas frangere. ne caput quidem obstupescenti constabat. Denique cum sæpiùs balbutiendo iterasset, Tibi soli peccavi, repentè defectus conticuit, spiritu oppresso. Silenti, & intermortuis se motibus supremùm agitanti circumnatantes Fratres, ut qua possent

129 Alfonsi Fernádez pia mors. exspirantem iuvarent ope, certatim undique Iesu & Mariæ sacra nomina acclamabant: symbolum quoque voce contenta insonantes Apostolicum, quò in Fidei constantia Moribundum roborarent. inter quæ aquis absorptus apparere desijt. Hic finis vitæ mortalis Alfonso Fernandez obtigit, cuius dulcis diù memoria in Eborensi Societatis Collegio viguit. Ibi enim ille religiosæ perfectionis illustribus exemplis, indolisque simul præclaræ, ingenijque præstantis edito specimine, cunctos in sui amorem venerationemque converterat. Superiorum

præ-

præſertim Diſciplinarum Philoſophię ac Theologiæ inſignem adeptus facultatem, ad ea ſtudia in Braſilicis Seminarijs promovenda, magno expetitus ambitu Azevedio contigerat: multùm inde illi carus, quoad ſimul vixerunt, ob heroicarum experimenta virtutum. Modico hinc intervallo 130 Andream Pais Ieſum ac Mariam crebrò invocantem Pontus Sorbuit. Duo his ſuperfuere Ferdinandus Alvarez & Sebaſtianus Lopez, ad horæ circiter ſpatium, numquam eo toto intervallo deſiſtentes, fidem profiteri, Chriſtum invocare, peccatorum veniam petere, Credo, &c. Confiteor, &c. Kyrie eleiſon, &c. Pios verſiculos Pſalmorum & pro ſe quiſque pronunciare & Socio forte ceſſanti ſuggerere; quoad animadvertẽs Sebaſtianus Ferdinandum tacere, ideoque ad illum ſolicitè converſus, videre amplius, hauſtum gurgite nequivit.

Andreas Pais & Ferdinãdus in Sanctis ſenſibus & affectibus moriuntur

VIII. At enim iſtum ſic tandem interijſſe, minus equidem miror, quàm Sebaſtianum tot extinctis ſuperſtitem duraſſe tantò etiam ulte-

riùs: qui etsi priusquam in fluctus deturbaretur alimenti aliquantum præsumpserat, tamen tot iam horarum vehemens in natando contentio, rigor gelidi quo circumdabatur elementi, geminante incommodum ingruente desuper pluvia; horror prætertea tenebrarum, Nocte cæca & illuni; tum è tot carissimis se coràm extinctis Fratribus mœror; omnis super hæc humani desperatio tristissima subsidij, abundè suffectura viderentur ad quemvis quantumvis robustum exanimandum: nisi hunc Nobis Divina Providentia servare Testem voluisset tot memoria dignarum uno illo docente cognoscendarum rerum. Is ergo animo tam infestis haud fracto casibus, cum fortè circumspectans, lumen procul observasset, è Classe propter malaciam fermè immobili, trans imbris & Noctis caliginem emicans, lacertorum adhuc valentium conatum eò fidenter intendit; emensoque sat velociter duorum circiter intervallo milliarium, ad Rostratam appulit, illam ipsam unde fuerat præ-

cipitio extrusus; verùm cum audito strepitu eius ascendere nitentis, quidam Vigilum despectans, Cohortem excubiarum admonitam eò totam convertisset, Hæretici nondum remissa crudelitate, ne subire pergeret, immani supernè clamore deterruerunt: ire in malam rem iubentes Iesuitam mori cunctantem, & tela minaciter ad eum, si perseveraret, utique arcendum intentantes. Sic inde submotus circum Naves errabat perfugium quærens. quando conspicatus humilem scapham remulco tractam, post unam Puppium, ei se admovit, & humaniorem in ea Navicularium nactus, admissus ab illo est, iam penè defectus viribus. Itaque ad egerendam, quam multam hauserat, aquam salsam, super remos transtris hinc inde decussatim innixos reliquum noctis pronus incubuit, extendente desuper penulam hospite. Luce dehinc prima, favore auxilioque illius eiusdem Misericordis Nautæ, clanculùm perreptando se intulit in Navem quę fuerar Vasconcelij, ad hoc idcirco ex omni-

131 Ascendere tentans in Navem unde fuerat deiectus, immaniter reijcitur ab Hæreticis.

132 Clam irrepit in Navem quę fuerat Vasconcelij.

nibus delectam, quòd à veterum illic caritate Amicorum tutas latebras, & vitæ ſubſidiorum neceſſariam copiã, ſperaret. Hùc receptum, eo ipſo die obiens fortè captivam Navem unus è Tribunis Piratarum, torvè Sebaſtianum intuitus, percontabatur è præſentibus, quiſnam, hic eſſet? quando Mulier è Grege Orphanarum, idipſum quod erat, verita, ne viſus heri ab hoc vultus exoſi Ieſuitæ aliquam fero Hæretico ſui notitiam moviſſet, tali avertendæ ſuſpicioni appoſitè occupavit reſpondere: Frater hic meus eſt. quod non inveriſimile, pro vero accipiens Pirata, aliò ſe avertit. Atque huic ſimilem in modum aliquoties itidem deinceps à diverſis ſemiagnitus, periclitatus eſt. Cæterùm à Vectoribus, antiqua ipſi familiaritate quæ viderant referentibus, cognovit hic Sebaſtianus: Petrum Diazium, & Didacum Carvalium pridiè in Nave captiva relictos, quando ipſe cum ſex Socijs eſt traiectus in Prætoriam, hora & ipſos Noctis prima præcipitatos in Æquor ab Hæreticis fuiſſe: & de-

133 Petrus Diazius & Didacus Carvalius in Mare ab Hæreticis præcipitati ſuffocantur.

Pe-

Petro nominatim addebant: ſumma ipſum loquendi libertate inter ſpoliantium & trahentium ad Necem Hæreticorum manus, cum Fidem profeſſum fuiſſe Catholicam, tum Calvini errores deteſtatum. Vnde quo animo illatam in odium Religionis mortem uterque ſubierit, ſat certum argumentum duci poteſt. Abſolvunt hi duo ſeptenarium Sociorum numerum die Septembris quartadecima Anni 1571. à Calvinianis odio Fidei Catholicæ, demerſione quam mors exceperit mulctatorum: quibus ſi quinque addas ab iiſdem pari cauſa die præcedenti menſis eius tertiadecima occiſos, numerum exactè confeceris duodecim Religioſorum Societatis Ieſu, quos, ultimas reliquias deſtinatorum in Braſiliam, Ignatio Azevedio Ductore, Colonorum, Hæretica in itinere feritas abſumpſit.

IX. Poſt hæc narrabat idem Lopez, diebus multis curſaſſe per illa Maria prædabundam Piraticam Capdevilij Claſſem, eoque ſpatio Navem unam ex Algarbia profectam, earum

for-

formæ quas *Charavelas* vocant, incruento incurſu ſe citò dedentem occupaſſe, venia Vectoribus conceſſa: ſub hoc anni iam ingraveſcentis in hiemem, tempeſtate revocante, Proras vertiſſe Domum versùs, ac tertio & triceſimo poſt Noſtros interemptos die, obiter ſe admoventes Piratas Oræ Gallæciæ, ibique ad ſinum Oraianum, è Portu Auria nominatum, prope Vrbem Baionam à Gallica cognomine diverſam; in terram Hiſpaniam expoſuiſſe quantum Vectorum & Nautarum, quorum non egerent opera, in ambabus Captivis ſupererat Navibus: ſicque Navigijs cum præda ſecum abactis, Rupellam curſum intendiſſe. Contigit hæc liberatio Captorum à Capdevilio Pirata in duabus Luſitanis Navibus multorum omnis generis Hominum, poſt medium Octobrem, ipſo anniverſario Natali Sancti Evangeliſtæ Lucæ. Erant in ea turba Mulieres non paucæ ex illo, de quo dixi Orphanarum numero Luſitanæ; nec alibi natæ deerant: nam ibi fuiſſe Dominam Aloyſiam Grimaldam Domo

134 Capdevilius Rupellam revertens in Orâ Gallæciæ Captivos inutiles exonerat.

Ge-

Genuensem, Vasci Fernandis Cotinij Vxorem, ex ipsa se audisse testatur Gaspar Diaz Religiosus Presbyter Ordinis Sancti Benedicti octogenario maior, in Actis Quæstionis Bayen-
a fol. 32 sis *a*. Erat ille Cotinius, Lusitanus locuples, Dominus ampli & uberis terrarum in Brasilia Tractus, apud Præfecturam à Sancto Spiritu denominatam: ad quæ sua Prædia cum nunc idem, Nave Vasconcelij conscensa, universam secum duceret Familiam, de cursu detractus per hactenus memoratum casum, eò paulò post feliciùs navigavit, Domiciliumque illic multis annis opulentum habuit. Qua occasione degens ibidẽ Gaspar Diaz è modò memorata Cotinij Coniuge audivit quod pro Testimonio iuratus dixit, *vidisse ipsam ab Hæreticis Vasconcelianæ Navis Expugnatoribus interfici Iesuitas odio Fidei Catholicæ: nec dubitare, quin ij veri Martyres essent*. Vniversa porrò illa multitudo sic in Ora Gallæciæ à Piratis Rupellensibus libera dimissa variè sibi consuluit; ad sua singulis,

135 In his fuit Aloysia Grimalda, quæ Necis à Socijs pro Christo obitæ oculatum reddidit testimonium.

quantum possent, redeuntibus. Nostri
136 quoque duo Didacus Fernandez, &
Sebastianus Lopez, quam proximè illinc distare norant Societatis Stationem à S. Felice nuncupatam petierunt. Ibi agniti, resumpta Societatis veste, atque è tot ærumnis brevi quiete refecti, Conimbricam se contulerunt: ubi diebus aliquot mira longorum errorum casuumque suorum narratione suspensos detinuere densos Nostrorum præsertim Iuvenum Circulos, in illo numerosissimo Provinciæ Lusitaniæ Seminario Literis operam dantium. Horum isthùc adventu cognito Vlyssiponenses Patres iure suo petierunt impertiri se se tam necessarijs & utilibus scitu nuncijs, allegato ad se altero istorum Testium oculatorum Cladis nuper acceptæ.
137 Delectus qui eò mitteretur Sebastianus Lopez est. Ideo quia plura idem viderat: quippe qui trium è Nostris, qui sunt ultimi aquis Oceani extincti, supremo casui præsens unus adfuisset. Ergo adulto iam Novembri appulsus Vlys-

Didacus Fernandez & Sebastianus Lopez inter liberatos à Capdevilio in Domum S. Felicis Collegio Conimbricensi subiectã se recipiunt.

Sebastianus Lopez accitus Vlissiponem, autor est Commentarij Romã inde missi, unde hoc hausimus.

Vlyſſiponem & Collegio S. Antonij exceptus, cum ſæpe retuliſſet quæ viderat, ea iuſſu Rectoris in Commentarium relata, miſſa ſunt ad Præſidem Prouinciæ, Literis datis 7. Kal. Decembris anni huius 1571. Quem Commentarium deinde à P. Prouinciali Romam miſſum, & in hoc noſtro Archio hodieque ſeruatum, explicatæ hic à me hactenus, ut dixi, deſcriptionis fundum habui. Attexere his debeo quod Petrus Iarricus Noſter de his ſcribens annis non multis poſt hāc rem tranſactam, (ſcribens autem Burdigalæ, in Vrbe hinc Rupellæ, illinc Benearniæ propinqua, & cum ambabus quotidiani commercij uſu promiſcuo, commiſſa) memorat *a* certis ſibi Autoribus compertum, qualium copiam, locorum & temporum vicinia præbebat. Ioannem nimirùm Capdeuilium non diù poſt hanc Piraticam Excurſionem, in Natali Oppido *Salies*, rixa temerè contracta, verbis contumelioſis in quendam fortè obuium ſuperbè iaciendis, impactæ ab hoc in-

25. Nov 1571.

a Petrus Iarr. Theſ. rer. Ind. Tom. 2. lib. 1. cap. 26.

138 Tragica & infauſta mors Capdeuilij.

maledici Caput securis ictu, repentè impœnitentem expirasse. Itemque unum è Comitibus istius ipsius Expeditionis, *Petrum* nomine, cognomento *Crassum*, parto ex obesi mole abdominis, natum in Oppido Maritimo Oræ Santonicæ, *Broagio*, vocato: cuius hominis fama celebris apud Rupellanos fuit crudelitas in Iesuitas exercita, cum ij Capdevilij iussu in mare demergerentur. Nam in ijs qui operam contulerunt illis spoliandis, & de margine procul in fluctus eiaculandis, palmam haud dubiè feritatis hic tulisse à Commilitonibus prædicabatur, gaudens ipse ac eo nomine glorians: hunc, inquam, refert Iarricus, se à quibusdam Rupellanis audivisse, cum otiosus aliquando è Rostratæ (fortè istius eiusdem Soriæ ac Capdevilij Archipiratarum Prætoriæ) alto margine Mare prospiceret, prolapsum inopinanter in subiectum Pontum, prægravante massa crassi corporis, fundo absorptum & præfocatum ilicò, malè perijsse: multis Dei iudi-

Et Petri cognomento Crassi qui Socios in mare demerserat.

cium

cium agnoſcentibus, ultionem ſceleri congruam Facinoroſis ſuo tempore reddentis: & quo loco ac modo impius hic Tortor Innocentes Dei Famulos in exitium miſiſſet, pari eum interitu perdentis.

LAVS DEO.

PROTESTATIO
Autoris.

Lector adverte: In his *quatuor Libris de vita & morte Ignatij Azevedij & Sociorum eius*, nonnulla interdum à me dici quæ Sanctitatem ijs videantur adſcribere: item quædam referri quæ cum vires aut ſcientiam humanas ſuperent, videri poſſint miracula, vel revelationes: demùm aliquibus Martyrij aut Sanctimoniæ opinionem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis Lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tamquam ab Apoſtolica Sede examinata & approbata: ſed tamquam quę à Sola ſuorum Autorum fide pondus obtineant. Proinde Apoſtolicum Decretum S. Congregationis S.R. & Vniverſalis Inquiſitionis anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè, iuxta Declarationem eiuſdem Decreti à S.D.N. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant: nec velle me cul-

cultum aut venerationem Ecclesiasticam ullam per has meas Narrationes Cuiquam arrogare, nec Decus Sanctitatis aut Martyrij adiungere; nullumque gradum facere ad futuram forte aliquando cuiusvis Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi seu revelationis comprobationem: sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusa hac mea Lucubratione, obtinerent; non obstante quocumque Longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua actione & scriptione dirigi.

Petrus Possinus.

APPENDIX

DE ANNO NATALI

S. FRANCISCI XAVERII

Ad RR. PP. Assistentiæ Lusitaniæ Societatis Iesu.

IOANNES PAVLVS OLIVA
Præpositus Generalis Soc. Iesu.

CVm Dissertationem de Anno Natali Sancti Francisci Xaverij à P. Petro Possino nostræ Societatis Sacerdote conscriptam aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, Potestatem facimus, ut Typis mandetur, si ijs ad quos spectat, ita videbitur. Datum Romæ 26. Martij 1677.

Ioannes Paulus Oliva.



Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædic. Sacri Pal. Apost. Magist.

RE-

REVERENDIS PATRIBVS Assistentiæ Lusitaniæ Soc. Iesu.

Petrus Possinus ex eadem Societate.

Pacem ac Salutem in Christo Iesu veram.

NVnc demùm erutam ex obscuro hactenus Sinu longi atque inveterati Silentij veram ineluctabiliterque testatam de S. Francisci Xaverij Natali Anno Sententiam, non ad Alios priùs deferri par fuit; quàm ad Eos qui Magnum illum Indiarum Apostolum peculiarem sibi iure antiquissimo quàm optimo teneant. Ii sine dubio vos estis. Etsi enim istam sui Sæculi Phœnicem Navarra genuit: Lusitania tamen adoptavit; vincenti dum viveret Arma & Campum; Triumphanti post obitum famam, plausum & venerationem dedit. Post illustratam igitur à me pro virili Memoriam Actorum Clarissimi alterius Herois Vestratis & multis nominibus singulariter vestri, Venerabilis P. Ignatij Azevedij: ad aliam en me navandam Vobis operam accingo: detersurus Nævum Parachronismi decem Annorum ex Historia S. Francisci Xaverij; uberrimè illa quidem splendidissimeque à Disertissimis & accuratissimis tractata Scriptoribus: sed quibus, citra culpam ipsorum, fraudi fue-

re, ne veram Epocham Natalium eius exprimerent, latebræ diuturnæ Monumentorum quæ nunc emersere serò tandem in lucem. Expono rem totam hoc Opusculo quod Vobis offero, vestrisque subijcio Censuris. Cui quæ hic præmittitur Nuncupatio, ne, si merè officiosa sit, quibusdam otiosa videatur; Novum in ea ponam nuperrimè animadversum Testimonium, non parùm utile detectæ per Dissertationem magis adhuc magisque adstruendæ Veritati. Doctor Martinus ab Azpilcueta Navarrus in suo Manuali Cap. xxIv. Num. 10. meminit S. Xaverij, quem appellat: Servum Dei Magistrum Franciscum ab Azpilcueta & Xaviere, cognatum suum & Amicissimum. *De cuius vitæ Actis & Morte sanctæ, Miraculisque post eam, ubi multa retulit, subiungit hæc ad extremum de eodem:* Exemplo suo adhortans nos omnes, ut Deum Optimum Maximum oremus ex animo & flagitemus quò multos tanto muneri aptos efficiat; eisque fortem animum inspiret commigrandi eò ubi tanta messis est,& tam pauci Operarij: ubi etiam ipse iampridem vitam finissem, nisi ille (*S. Franciscus Xaverius*) quando Vlyssipone discessit, Me iam senescentem, laboribus animo suo conceptis imparem iudicasset: scribens ut absentiam patien-

ter

ter ferrem, præſentiam ſperans in Cœlis. *Hæc ibi Navarrus. Ex quibus antequam aliquid elicio, ſtabilire opus eſt: verè illa fuiſſe à Navarro ſcripta. non enim defuit qui ea pro ſuppoſititijs expungeret. Quidam, cuius nomen ſcio; proditurus hic, ſi cum eius laude poſſem; curans Pariſijs recudi Manuale Navarri Anno 1587, hæc quæ deſcripſi omnia eraſit: autorque paria peccandi fuit ſecutis Editoribus duobus, Antuerpienſi Anni 1589, & Pariſienſi Anni 1602. Quamquam hos excuſari poſſe video: quòd forte ſpe quæſtus tracti ad recuſionem Libri vendibilis, non aliud quod exprimerent eius Exemplum habuerint, quam unum ex illis prima Pariſienſi Mutilatione ipſis ignota decurtatis. Difficilior defenſio eſt eius qui hoc primus attentavit, captato, ut apparet, inofficioſi auſi tempore ſtatim à Navarri morte, ne reclamare is valeret, quem ſciebat Romæ deceſſiſſe Menſe Iunio anni ſuperioris. In quo quid ſpectaverit, quodve pretium illaudabilis facti captaverit, in ipſius Conſcientia relinquens Aio, quod abundè ad fidem meam præſtandam ſufficit, manifeſtò conſtare, tam propria genuinaque Navarri eſſe illa quæ retuli verba, quàm quæ maximè: quippe in Romana eius Operis Editione ſub Autoris oculis Romæ tunc degentis facta Anno 1580, clariſſimè extantia; uti & in Lugdunenſi Anni 1584, Veneta Anni 1598, &*

An-

Antuerpiensi duplici; Priori Anni 1601, *Posteriori Anni* 1608, *sine ulla mutatione aut diminutione comparent. Nunc age videamus ecquid in his opportunum causæ nostræ circa Magni Xaverij ætatem indicetur. Affirmat hic Navarrus, se voluisse cum S. Xaverio in Indias solvere ad procurandam illic Conversionem Infidelium: sed ab eo*, quando Vlyssipone discessit. *per Literas dissuasum id agere: propterea quod Navarrum* iam senescentem *S. Xaverius, & tam longinquæ navigationis, & Prædicationis ad Gentes Barbaras Apostolicæ*, laboribus *imparem indicaret. Testatissimum habetur S. Xaverium discessisse Vlyssipone versus Indias die septimo Aprilis Anni* 1541. *cum autem constet, ex id affirmante Scriptore vitæ ipsius, Doctorem Navarrum natum esse die* 13. *Decembris Anni* 1493, *patet tunc illum proximum quinquagenario fuiße; quæ* iam senescentis, *uti verè ipse dicit, ætas est: iustam utique S. Xaverio recusandæ Cognati Navarri societatis in Expeditione adeò laboriosa, causam præbens: sed tunc duntaxat tantùm quando ipse Xaverius eadem palàm exceptione non teneretur, eandem propemodum cum Navarro ætatem numerans: quod profectò eßet, si, quod affirmabat Charta, quæ, ut Capite Dissertationis huius Octavo demonstravi, Tursellino errandi occasionem inevitabilem obtulit,*

An.

Anno 1496. *natus fuerat. Discrimen etenim solùm inter eorum natales Triennij fuisset: quantulo spatio in ætate qui discrepant, ij æstimatione communi, coævi & coætanei censentur. quare illa præoccupatus opinione Tursellinus, rectè in Præfatione ad Vitam S. Xaverij posuit, hunc Doctori Martino Navarro fuisse* pene æqualem, *hoc est, paris ferè ætatis. Ex his quis non videt: priorem illam, quæ S. Xaverium Anno* 1496. *ponit natum, sententiam, duplici omni exceptione maiori, S. Xaverij nempe ipsius, & Doctoris Navari, contrario Testimonio falsi convinci? Nisi enim se Xaverius sciret totis annis tredecim Navarro fuisse Iuniorem quando Vlyssipone solvit in Indias, non potuisset bona fronte repellere à talis viæ comitatu offerentem se ultrò Cognatum, obtentu eius* iam senescentis *ætatis; utique cum se illi nosset,* penè æqualem *&, exiguo modò triennij discrimine, coætaneum. neque non ipsi Navarrus, qua erat prudentia, talis allegationis inconsequentiam obiecisset; nisi, utcumque ignorans quo præcisè anno editus in lucem esset Xaverius, tamen evidenter, experientia congressuum, & cætera familiari notitia, perspectissimum teneret, se illo tunc esse toto saltem decennio Seniorem.*

Hæc Vobis, Reverendi Patres, hic putavi exponenda: sperans pro vestra benignitate,

non displicitura : uti neque Mirifico Indiarum Apostolo : cuius ad aliquam gloriæ partem pertinere iure credimus, quod nunc demùm, ex eius famæ Monumentis arte summa & magnificentia speciosissimè substructis, tamquam è Templi marmorei pavimento, aut vertice Statuarum ex auro & gemmis, casu vel ævi longinqui vitio inspersus fortè pulvisculus everratur. Valete omni semper prosperitate florentes.

PE-

PETRI POSSINI E SOCIET. IESV,

De Anno Natali S. Francisci Xaverij.

DISSERTATIO.

CAP. I.

Hactenus vulgatæ de anno S. Xaverij Natali, sententiæ incertitudo, difficultates, & incommoda.

I. HIstoria vitæ atque Actorum S. Francisci Xaverij quæ anno primùm superioris sæculi quarto & nonagesimo Romæ prodijt; omnibus quidem artis & diligentiæ numeris ab accuratissimo disertissimoque ejus Autore Horatio Turselino absoluta censetur, quoad pertingere summum ingenium pari conjunctum industria potuit: laborat ea tamen uno, nulli Scriptoris culpæ imputabili incommodo, quod tanti viri, cujus res gestas memoriæ commendat, natalem annum ex certo authenticoque testimonio non signat. Necessaria rei talis indicatione sic Turselinus defungitur. *Franciscus Xaverius nascitur anno post Christum natum circiter MCCCCXCVII.* Quis unquam Pater, quis Parochus, Lib. 1. cap. 1. nati sibi, aut à se Lustralibus aquis tincti Pueri memoriam, domesticis aut Ecclesiasticis consignans tabulis; annum quo id contigerit dubitandi adverbio adjuncto incertum prodidit? utique igitur manifestum est, qui anno *circiter MCCCCXCVII.* natum Xaverium scribat, cum non è D. Ioannis de Iasso, à quo genitum illum constat, familiari Commentario; non è Codice Curiali, quo Ecclesiarum singularum Præsides initiatorum apud se Lustrali Sacramento Infantium notare ortum & regenerationem per baptismum solent, imperfectum istud & vagum indicium hausisse.

II. Ac de Turselino quidem, pro ea fide ac diligentia, qua in cæteris quæ scripsit usus cernitur, dubitare nefas est, quin quanta summa potuit accuratione incubuerit ad ex-

quirendum, quo anno in lucem venire contigisset Heroi cujus Acta in famam publicam transcribere aggrederetur. Sed quod, ut ipse præfando queritur; quæ ad primam Francisci ætatem pertinent *Familiares ipsius, cum minus clara esset ejus virtus, negligentiùs observassent*: Frustrà circa investigationem talem diù conflictatus, coactus ad extremum est, rei de qua sileri flagitium foret, cum certam non posset, saltem dubiam, qualiscumque ferebatur, Operi suo memoriam inserere. in quo tamen pertinere ad suam fidem putavit, non simulare certiorem; quàm qua re vera esset instructus, ejus facti notitiam; aut, absolutè scribendo: *Natum S. Xaverium anno* 1497. dare occasionem Lectori judicandi, ex indubitabili id ipsum monumento sumpsisse: prudens igitur pudensque adjunxit dubitationis indicem vocem: & *circiter annum* 1497. prodiisse in Mundi lucem Sanctum Xaverium, verecundè posuit: adeò non præjudicans feliciùs forte quandoque circa id instituendis inquisitionibus Posterorum: ut potiùs excitare quasi voluerit curiosa ingenia Legentium: invitareque ultrò ad distinctiorem, si quis alicunde quondam posset exculpere, istius, sibi dum scriberet haud ad liquidum explorati, momenti scientiam venandam.

III. Quærat aliquis: unde igitur ista opinio manavit, quam, quia deesset alia melior, Historiæ suæ Tursellinus inseruit? dicam. Cum latè per Europam literis Indicis præclara S. Xaverij adhuc viventis, in adjunctione ad Ecclesiam Orientalium Barbararum Gentium, cepta & eventa celebrarentur: cumque eodem vivis exempto, mira incorruptio corporis, prodigiaque quotidiana ejus invocatione perpetrari solita, magis magisque famæ præconio inclarescerent; venit, (prout pronum erat) plurimis in mentem, commendare divinam eo nomine Providentiam, quòd quando illi placuit pervium occiduorum Europæorum Navigationibus Orientalem Indiarum Oceanum reddere; atque ista ratione Christianarum Nationum cum penitùs repostis in Oriente ultimo Regnorum Idola venerantium Populis commercia vulgare, virum eodem tempore destinaverit donis ad hoc cœlestibus egregiè paratum; ut Apo-

stoli

stoli Gentium Indicarum officium explere cumulatè, ac mereri appellationem posset. Vascum Gamam constabat primum Lusitanorum omnium, superato immani Promontorio, quod viginti jam sæculis cursui Europæarum Orientem versus navium metam intransmeabilem fixerat, circiter annum à Christo nato millesimum quadringentesimum nonagesimum sextum in eius navigationis cogitatione & apparatu versatum. Anno enim sequenti 1497. solvisse illum Vlyssipone septimo Idus Iulij, & decem mensium ærumnis eluctatum immanes procellas in flectendo Africæ capite, Calecutum Emporium Indicum appulisse XIII. Kal. Iunias anni 1498. ex Barrosio, Osorio, Mariana, Maffeio, Annales Ecclesiastici tradunt. Hinc adeò passim ferebatur, Natum Franciscum Xaverium anno 1496. ut Navarri quoque Populares ejus, & ipsi è domo Ioannis Azpilcuetæ Fratris ipsius affines aut consanguinei, re non altiùs explorata cum Vulgo loquerentur, ut ex charta capite septimo proferenda intelligitur. Spond. Ann. 1497 num. XI.

IV. Esse tamen istam undecumque conflatam opinionem ægrè accommodabilem cæteræ indubitatæ memoriæ Actorum Xaverij, manifestè patebit consideranti quæ mox subiiciam. Docent summo consensu Turselinus & omnes alij qui de rebus Xaverij scripserunt: Iassum ejus parentem, qui, licet nobilissimus, militiam non exercuerat, togæ honoribus contentus, Franciscum postremum liberorum ab ipso statim initio ferentis disciplinam pueritiæ, studiis literarum applicuisse: quod eum destinaret peculiarem imitatorem vitæ ac sectæ quam ipse tenuisset: Doctrinas & juris prudentiam, civilemque gubernandi scientiam meditando. Satis enim se putabat Reipublicæ ac consuetudini Familiarum Nobilium detulisse, dicandis professioni armorum prius sibi natis filiis; ut hunc novissimum jure sibi suo seponere, atque officiis vitæ togatæ, qua ipse præstiterat; aut, si sors & Pueri genius ferret, Ecclesiasticæ, posset addicere. Addunt omnes (id quod experimenta vitæ totius facilè adstruunt) ingenio Xaverium docili, perspicaci, & ad discendum veloci, jam à principio rudimentorum apparuisse, & eundem postea servasse toto Iuvenilis Institutio-

nis spatio tenorem. Nec defuisse illi, puero, vel puberi valetudinem ferendis studiorum laboribus abundè parem, quisquam illorum refert, aut ullo ex inaicio potest colligi. Iidem unanimi conspiratione tradunt, post primam in domo paterna sub Magistrorum cura Pueri Xaverij culturam, simul per adultioris robur Iuventutis, perque idoneum in primoribus literis profectum, maturum esse visum est, Lutetiam Parisiorum ad parandas illic graviores doctrinas fuisse missum. Hæc si quis attentè reputet, simul omnia plane persuadent: iter Xaverij è Patria Lutetiam, non ultra duodevigesimum ejus ætatis annum fuisse dilatum. Igitur qui ponit eum natum anno 1497. profectionem ejus Parisiensem conferat necesse est in annum Christi 1515. à quo cum ad Novembrem desinentem anni millesimi quingentesimi trigesimi sexti, quo, uti certum est, & apud omnes in confesso, Xaverius adhuc persequens cursum studiorum Lutetiæ morabatur, biennium ultra duas solidas annorum decadas intersit: quis statim non sentit, aut hebetis ingenij, aut desidis nimium tardæque naturæ (quas ab eo labes omnis vitæ memoria repellit) fuisse Xaverium credi debere, si tot annis opus habuit ad eum gradum scientiæ parandum, quem Novem alij Primi conditores Societatis, partim posteriùs nati, partim conflictati incursu casuum Literalis infestissimorum profectibus, dimidio paucioribus attigerunt.

V. Non comparabo Xaverium cum horum singulis, ne sim longior; conferre tamen ei breviter tres exempli gratia, non omittam. Lainius anno 1512. memoratur in lucem editus: Salmeron autem anno 1515. quare illum oportuit Xaverio, si anno 1497. natus est, iuniorem annis saltem quatuordecim fuisse: hunc verò non minus duobus deviginti. Tamen hi ambo, licet nullis benignioribus naturæ aut fortunæ ad proficiendum in doctrina præsidiis instructi: anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto desinente Lutetia discessere, decursis Facultatum omnium legitimis spatiis, & omnes promeriti Academicorum Laureas honorum: cum Xaverius, Philosophicis duntaxat exercitationibus peractis, & ejus Literaturæ propria coronide,

Magi-

Magisterio, quod vocant Artium, ornatus, nondum ad metá evectus Theologici curriculi, ne à Sociis divelleretur, imperfecta unus relinquere potiora illa studia sit coactus. Quod diserte Turselinus, & Orlandinus affirmant: Ille sic scribens initio capitis quarti. *Paululum jam aberat à meta Theologiæ cum ei in Italiam demigrandum fuit. . . . casus constitutum iter maturavit. Omissa Theologici cursus conficiendi cura, ægrè scilicet Xaverius, sed tamen sapienter eam jacturam tulit, haud pulchrius ratus doctrinæ studia Dei causa persequi, quam relinquere.* Illius Lib. 1. num. 104. hæc leguntur verba: *cæteri autem discessere Lutetia decimo Kal. Decembris, tanta animorum conspiratione atque alacritate, ut nec Xaverius Theologicis ab studiis, quorum jam calcem spectabat, avelli se molestè ferret; nec Lainius gravissimi morbi reliquias, quo proximè laboraverat, pertimesceret. Quippe & ille Theologiæ iter jam propè confectum, Christi causa deserere, non minori sibi ducebat gloriæ, quàm ad extremum usque persequi, &c.*

VI. Quid de ipso dicam Ignatio? qui, cum, Pueritia in Aulis, Adolescentia in castris, non parva virilis ætatis parte in propugnatione Arcium, in longa curatione Pompelonensis vulneris, in annuo Manresano secessu, in plurimorum peregrinatione mensium Ierosolymam usque, & lento hinc difficilique in Hispaniam reditu, transactis; demum anno ætatis suæ trigesimo tertio, Christi 1524. (quo jam ab annis saltem novem Xaverius, si vetus de ejus ætate opinio probetur, altiorum meditationi Doctrinarum Lutetiç vacabat) prima grammaticæ Rudimenta Barcinone instituisset ponere, progressus in stadio inde literario per summas difficultates, inopiæ, morborum, insectationum, avocationum in religiosa opera, carcerum, migrationum, Barcinone Complutum, hinc Salmanticam, postremò ex Hispania Lutetiam, & illinc in Normaniam, in Belgium, in Angliam, excursionum variarum: tamen illud curriculum feliciter absolvit anno jam tum 1535. inde tunc mense Aprili in Hispaniam reportans Magistralem Lauream, Philosophicorum pariter Theologicorumque coronam studiorum ultimam: quò ut posset Xaverius pertingere, ne adjectum quidem, ut vidimus, ipsi post discessum Ignatij Biennium ulte-

ulterioris moræ propè solidum sufficit. Hæc mihi quidem monstri similia videntur.

VII. Scio esse qui hunc nodum diffindendum hoc cuneo putet. Extant Acta authentica cujusdam Inquisitionis juridicè habitæ de Francisci Xaverij Nobilitate, in quibus recitatur Testimonium Sancij Ramirez de Peralta, consanguinei, ut ibi dicitur, Familiæ Xaveriæ, affirmantis: moratum se tribus mensibus in Palatio Xaverio post mortem Domini de Iasso, vidisse illic Franciscum Xaverium à Matre, Vidua defuncti Iassi, tanquam filium curatum. Vnde constare arbitratur qui hoc allegat: Franciscum Xaverium, etsi anno 1515. Lutetiam iverit: indeque discesserit studiis Theologicis nondum peractis, sub finem anni 1536. non tamen totis illis viginti, & quod excurrit, annis Lutetiæ continuè moratum, utique cum à Peralta post obitum Iassi Patris visus apud Matrem in Castro Xaverio fuerit; Patre autem vivente profectum eum Parisios, & diù ibi versatum, constet ex Epistola Sororis Francisci ad Patrem scripta ut eum dehortaretur ab eo Parisiis revocando. Ita ille: addens: id sibi abundè sufficere ad infringendum robur argumenti à me propositi. cui repono ego: parvo esse contentum cui tantulum est satis. Equidem numquam putavi aliter Xaverium Lutetiæ in Literarum studiis versatum, quàm quo modo Nobiles Adolescentes in Academiis morari multis annis solent; revisendo interdum per vacationes anniversarias, aut alia extraordinaria occasione, paternos Lares. Itaque redijsse illum in Navarram nunciato Patris aut morbo, aut obitu, etiam si Ramirez iste non diceret, facilè crederem: concessurus etiam id eum aliàs fecisse, quem ex Epistola ad Fratrem Ioannem Azpilcuetam data intelligo, juvenili fuisse alacritate promptum ad vias longas citatis equis pervolandas; quo pacto Consobrinum quemdam suum Parisiis fuga elapsum se se insecutum ibi ait. *a* Quid autem hoc, per omnium Hominum fidem! juvat ad minuendum incommodum transacti à Xaverio Lutetiæ vicennij & duorum ferè insuper annorum; cum octennio illic solo *b* S. Ignatius, præterquam Grammaticam uno ferme anno

a Pag. 9.

b Orland lib. 1. num. 95.

anno recoluit; etiam Philosophiæ ac Theologiæ consueta curricula plenè absolverit ?

VIII. Atque ut nemo rectè argumentaretur ad impugnandum istud Octennium à nostris Historicis disertè traditum studiorum S. Ignatij Parisiensium, ex eo quod certissimis Autoribus testatum habeatur, ter quaterve Ignatium isto spatio in Belgio fuisse visum ; adeoque per unum ex istis excursibus Antuerpiæ agentem,ibi reperto Petro Mercato Hispano Negotiatori prædixisse , fore ut in Patriam suam Methymnam Campi reversus , olim in ea Societatis Iesu Collegium conderet : item fuisse qui illum eodem intervallo Londini cernerent ; quò semel ad corrogandas à suis illic Popularibus negotiorum causa versantibus eleemosynas processit : denique Rothomagi in Normannia conspectum per eos annos eumdem ; eò quippe ad ministrandum ægrotanti cuidam pessimè de se merito, caritatis heroicæ instinctu se contulit ; omnes enim ejusmodi exceptiones facilè submoverentur à respondentibus : nihil istas breves excursiones, è quibus subinde se Lutetiam reciperet, veritati octennis illic commorationis obstare: ita continuationem & perseverantiam in statione Parisiensi Xaverij ex ejus perspectis principio ac fine, juxta veterem de Anno ejus natali sententiam manifestè ad annos duos supra viginti se extendentem , nullo modo infirmabit aut refellet testimonium demonstrans, semel eum intra id tempus in domo paterna comparuisse .

IX. Repetierit igitur sane Patriam audito vel periculo vel obitu Parentis sui Xaverius, fueritque apud Matrem , Patre mortuo , vel totis, si placet , tribus mensibus (quamquam se, non illum in Castro Xaverio trimestri moratum , Peralta testetur) at postea tamen , ad studia scilicet continuanda, Lutetiam redierit . Quare si quis in hoc adversari nobis perget,aut testem det oportet ex visu affirmantem , toto saltem decennio Fr. Xaverium, longo vale dicto Parisiensibus Scholis, in domo materna desedisse ; quod qui diceret , Historicos vitæ ipsius omnes nihil tale memorantes supinæ negligentiæ reos perageret : aut fateri cogatur, constare adhuc totam & integram suam vim argumento meo :

quip-

quippe cui allegatum hoc solum in contrarium Sancij Ramirez de Peralta testimonium, nihil planè deroget; nec alius omnino ei satisfaciendi excogitabilis modus est, quàm si qua forte aliunde probabilis iniri ratio queat, istius superfluentis incommodissimè decennij, de summa potiùs ipsa Xaverij ætatis, quàm de Parisiensi commoratione recidendi.

CAP. II.

E sensu communi Primorum Societatis Patrum, adjuncto suffragio Historici nobilis, infertur: Iuniorem S. Xaverium quàm vulgò hactenus est creditum, videri fuisse quando S. Ignatio se adjunxit.

I. QVi natum S. Xaverium anno Christi 1497. ex vulgata opinione posuerit, recusare is non potest, quin eundem, quando Lutetia simul cum octo Sociis discessit Venetias tendens sub finem Novembris Anni 1536. annum ætatis proximè accessisse quadragesimum fateatur. Erat ergo Sodalibus suis longe omnibus senior. Quod ut demonstrem, quæso mihi per Lectorem liceat, distinctiùs hic exequi quæ de octo Xaverij sub S. Ignatio Condiscipulorum ætate notata reperiuntur. Iam dixi Lainij & Salmeronis natales à vitæ Amborum Scriptore Ribadeneira signari, illius quidem anno 1512, huius autem anno 1515. Fabrum ortum in lucem circa Festa Paschalia Anni Christi 1506. Orlandinus Opere de vita ipsius edito affirmat. De Pascasio Broëto Scheda extat *a* in nostro Archio Romano ipsius S. Patris Ignatij manu conscripta anno 1546. cum de Patriarcha in Æthiopiam destinando tractabatur, qua eum tunc: *ætatis mediæ, annorum circiter quadraginta* fuisse asserit. Vnde patet natum illum anno circiter sexto ineuntis ejus sæculi. Codurius moriens anno 1541. dicitur ab Orlandino *b* ætatem attigisse S. Ioannis Baptistæ, annorum nempe unius alterius-ve supra triginta: ex quo apparet, ortum eum anno sæculi nono aut decimo. Nicolao Bobadillæ anno 1590. Laureti morienti Sotuelus *c* noster annum

a Exscribit eam Alegambe cap. 4 Vitæ Paschasii in Heroibus caritatis pag. 8.

b Lib. III. num. 19.

c In Tabula Obitus decem Primorum PP.

annum ætatis nonum & septuagesimum assignat; sic innuens natum ipsum anno 1511. Claudij Iaij & Simonis Rodericij nusquam reperi notatos natales annos: sed ex cætera ipsorum memoria verisimiliter infertur, utrumque circiter septimum octavumve sæculi quo floruere annum, editum in lucem. Vnde sequitur, nullo Sociorum octo, minùs quàm novennio provectiorem ætate fuisse Xaverium, si anno 1497. in lucem est ortus: quorumdam etiam, vt Codurij, Bobadillæ, Lainij, Salmeronis natalia totis annis, tredecim, quatuordecim, quindecim, octodecim, vivendo præcessisse.

II. Atqui universa in memoria, quam habemus distinctam & uberem Originum Nostræ Societatis, nec vola usquam nec vestigium apparet tantæ istius in Xaverio supra omnes socios majoritatis. Fabro eos impertivisse uni video maximam post Patrem Ignatium reverentiam: quòd is primus omnium S. Patri adhærens, Primogeniti ex hoc quandam velut autoritatem trahere videretur; in quo tamen non multum erat Xaverio superior. Hic enim proxime post Fabrum, multò ante quemquam alium, Ignatij se Disciplinæ subjecit. Cui autem non videatur consentaneum, ut qui tam grati & verecundi erga Fabrum essent ob tam modicam Conversionis prioritatem, honorificentia pariter aliqua prosequerentur adeò notabilem illam Xaverij præcellentiam ætatis; præsertim cum idem vocationis antiquitate, totque aliis eximiæ claritatis, omnigenæque laudis insignibus, haud parùm supra universos emineret? Itàne, inquam, paucorum modò antecessione mensium in Societate ineunda, tantùm Faber emeruerit venerationis à Condiscipulis, ut *dignus sit habitus* (verba sunt Orlandini) *a cui non modò antiquitatis & dignitatis facilè primas, verùm etiam virtutis & probitatis alij deinceps Sodales octo deferrent*: Xaverius qui cunctos præter Fabrum in Ignatij Discipulatu prævertisset; qui eorum quibusdam pater per ætatem esse potuisset; aliis decem, undecim, tredecim esset annis senior; splendida præterea stirpis nobilitate cunctis haud dubiè præcellens; peracto denique nuper optime in Academia Parisiensi Magisterij Philosophici biennii curricu-

a Lib. I. num. 83.

riculo, præclaram ingenij atque doctrinæ famam adeptus; nihil tamen habere humanissimis & consideratissimis octo Sodalibus visus est, ob quod à minimo ipsorum ulla discernendus honoris delatione judicaretur? Hæc profectò si quis ex sensu hominum communi,& civili æstimet judicio, prodigij ni fallor affinia censebit: nec inducere umquam in animum poterit, tam æquos & humanos viros, tam fœdam, uno Xaverio debitis ætatis observantijs fraudando, inofficiosissimæ rusticitatis labem in se ultrò suscepisse. Cum ergo sit manifestum, à nemine ipsorum quidquam illi umquam ætatis tanto provectioris nomine tributum præ cæteris, id pro signo haberi evidenti debet, haud quaquam ei talem revera convenisse antiquitatis autoritatem: perspectumque Fabro, Pascasio, & quibusdam aliis fuisse; Xaverium anno pariter secum circiter sexto sæculi fluentis natum; adeoque esse ipsis æqualem; reliquis duntaxat paulò majorem: quod tantulum, à vitæ simplicitatem profitentibus, nihil attineret scrupulosiori officiorum sedulitate discerni.

III. Persuasissima igitur ijs erat omnibus æqualitas quædã annorum & ætatis Xaverij cum ipsis; quam, si familiares voces audivisse ipsorum aut scripturas legisse cõtigisset, disertè ab ijs sine dubio videremus expressam. Neque aliunde Nostrũ Orlandinum, qui multas cum aliorum è decem Patribus, tum Fabri præsertim, cujus vitam peculiari volumini mandavit, Epistolas & schedas subjectas oculis habuerat, hausisse crediderim quod lib. 1. num. 85. scribit his verbis, de Xaverio loquens: *Ergo post salutares illas Fabri, quas supra commemoravimus Exercitationes, CUM ANNUM FERE SEPTIMUM ET VIGESIMUM AGERET, egregieque docendi munere functus esset, ingenti quodam metu suæ salutis admonitus, se ipse collegit, & pugnis interioribus, quibus ad dies aliquot anceps ac nutabũdus hæserat, superatis, illucescente Deo, reputare cum animo suo cepit rerum humanarum inconstãtiam; & varietatem cum veritate, momentũ cum æternitate conferre: dum denique sui victor in sinum B. Patris tantò prolixiore & fidentiore animo se proiecit, quantò antea angustiore atque obstinatiore refugerat.* Ita primus Societatis Histo-

Pag. 24. vers. 5.

ricus

ricius S. Xaverij ad S. Ignatium adjunctionem exprimit: eam certa temporis nota consignans. Antea num. 81. & sequentibus, fusiùs retulerat, Exercitationes asceticas obitas à Fabro, fervore tanto, ut sex totos dies cum totidem noctibus sine ullo prorsus cibo aut potu, in summo hyemis rigore, absque fomento, humi cubans exegerit. Mox pag. 23. vers. 17. addit eodem illum anno quo istis est Exercitationibus perfunctus (quem ait fuisse *seculi trigesimum quartum, ætatis vero ipsius*, nempe Fabri, *duodetrigesimum*) consecratum fuisse Sacerdotem. Cum igitur descriptis supra verbis ait Orlandinus: post illas Fabri Exercitationes adhæsisse Ignatio Xaverium, annum ætatis tunc agentem fere septimum & vigesimum, id fecisse illum anno fluentis sæculi quarto & trigesimo, aut ad summum sub initium sequentis, indicat. Qui autem anno 1534. aut 1535. ineunte, ætatis ferè septimum & vigesimum numeraret, manifestum est longè infra annum 1497. fuisse in lucem editum; ac plane novem saltem annis seriùs, quinto nempe vel sexto inchoantis sæculi sextidecimi, nasci debuisse. Quod disiunctim annum 1534. vel 1535. conversioni S. Xaverij assignavi, hoc feci, quia è recitato Orlandini testimonio non plus eruitur. Aliunde autem certò scimus, anno plane 1534. illam convenire. Quippe cum, Orlandino & Turselino id clare testantibus, S. Xaverius unus fuerit ex ijs Sociis qui cum Ignatio in monte Martyrum isto anno, die Assumptæ Deiparæ sacra, vota Societatis prima ritè conceperunt. Quin & oportuit id factum primis ejus anni mensibus: ut Lainius, Salmeron, Bobadilla, Rodericius, qui omnes post Xaverium eodẽ anno, temporibus diversis se se Ignatio aggregarunt, id egisse tempestivè potuerint ante Diẽ 15. Augusti, qua vota prima hoc in monte Martyrũ nun cuparunt.

IV. Eandem S. Xaverij tempore suæ conversionis ætatem alia quædam certis consignata monumentis adstruunt. Ex his primum sit quod Turselinus his verbis refert: a *In campo suburbano Adolescens inter Aequales Gregalesque suos, saltu (unus hic ludus cordi fuerat) libenter se impigreque exercens, aliquando corporis agilitate, qua reliquos longè anteibat, nimium sibi placuerat. Igitur, ubi resipuit, levem*

a Lib. 1. cap. 111.

noxam minimeque diuturnam vindicavit multorum dierum supplicio. Dies quippe aliquot continuos exegit noxijs membris funiculo, non sine acri dolore, constrictis. Vbi resipuit, inquit vitæ Xaverij Scriptor: hoc est statim à narrata modò conversione, qualemcumque culpam, paulò scilicet ante consciram, tam vehementi sibi ultrò pœna inflicta studuit expiare. Reputet autem prudens Lector, an sit verisimile: Xaverium, si, cum Ignatio se addixit anno 1534. octo & triginta esset annorum, paulò ante in campo suburbano Civitati Lutetiæ dedisse operam corporis agilitati saltibus ostentandæ. Hoc *Adolescentem* (qualem eum hic cordatè Historicus nominat) decere potest; virum, minimè. Adolescens autem dici nequit, opinor, nisi qui citra trigesimum ætetis annum stat. Quis credat igitur iam virum, atque adeo ætati quadragenariæ vicinum, nobilem prætetea, & existimationis ac dignitatis tunc plus etiam æquo (nam hoc de illo tradunt omnes) retinentem, fuisse solitum Parisijs loco publico; nimirum in campo suburbano tunc Studentium ludis per ferias attributo ad Sequanam, *Prato Clericorum* ideo dicto, spectantibus cunctis certare cum Sociis, quis longius expedito saltu prodiret; aut latiorem junctis pedibus fossam transmitteret? Paulò ergo post quàm id, remissione Iuveni non indecora, cunctis ob ætatem permittentibus, egerat, in confiniis annorum quinti aut sexti supra vigesimum, perfectè conversus ad Deum Xaverius est: & istius, concessæ licet ac tolerabilis levitatis, graves à se pœnas exegit. Vnde apparet: anno 1497. natum ipsum haud verè dici. Tanta enim ætas cum hoc testatissimo eius facto adeò non quadrat, ut disconveniat enormiter.

Le Pre aux Clercs.

CAP. III.

Eadem junior ætas S. Xaverij novis indicijs adstruitur. occurritur exceptionibus quibus infirmari posset autoritas Xavarianæ cujusdam idem suadentis Epistolæ.

I. EDidi ante hos annos fermè decem, Libros septem Epi-

Epistolarum S.Xaverij, quas *Novas* vocavi, quòd ex numquam ante id tempus in lucem prodierant. Harum prima est inscripta Ioanni Azpilcuetę fratri Xaverij majori, S.Ignatij manu ipsi reddita: qua cum alia quædam non alibi obvia docentur; tum, ni fallor, signa extant non obscura minoris in Xaverio dum eam scriberet, quàm quanta è veteri sententia colligitur, ætatis. Vt conjecturis circa id meis, proponendis capite sequenti, fundamentum hic solidum substernam, necesse ante omnia est observare pauca, quorum hoc primum sit. Non esse revocabilem in dubium harum Literarum veritatem; quippe quarum archetypum autographum hodiè monstretur, notissima ex aliis ipsius indubitabilibus Chirographis, S.Xaverij manu conscriptum. Illius apographum servatur in Complutensi Societatis nostræ Gymnasio: cujus mihi copiam benignè fecit R. P. Laurentius de Colomes ejus tunc Rector Collegij, anno 1665. Editionem ego inde hic Romæ parabam: cum de hoc ipso familiaribus Amici literis factus forte certior R. P. Michaël de Arbizù, Præpositus Provinciæ Castellæ Societatis Iesu; ultrò, pro sua humanitate, consilium cepit conatus ejus mei opportunissimo subsidio juvandi. Petitam videlicet è Scriniis sui ex Fratre nepotis Illustrissimi Comitis de Guindilayn, originalem illam S. Xaverij scripturam summa fide ex archetypis apicibus expressit: istudque apographum ad R. P. Martinum de Ezparza, à quo suprà memoratum indicium acceperat, misit; adjunctis literis 6. Maij anno 1666. datis, quarum partem Notis ad eam Epistolam vulgavi, præ festinatione quiddam omittens, quod prætermisisse serò pœnituit. Non enim adjunxi quod sequebatur post verba illic à me descripta: *se* (P. Arbizù) *ex ipso protinùs autographo Xaverianæ illius Epistolæ, Obani apud sui Fratris Filium Comitem de Guindilayn servato, id quod mittebat exemplum exactione maxima effingendum curasse*.

II. Vnde perlatis postmodum in Hispaniam Exemplis Editionis meæ Novarum S. Xaverij Epistolarum, Idem Illustrissimus Dominus Franciscus Ayenz de Arbizù Comes de Guindilayn, Toparcha Sothesii, aliorumque

Castro-

Castrorum, literis ad eundem R. P. Martinum de Ezparza,
» Romam datis, expostulavit de me; quòd ea particula
» Literarum P. Michaëlis de Arbizù Patrui sui supprimenda,
» invidissem Publico notitiam sibi perhonorificam, nec non
» ipsi mihi utilem; quippe cujus intererat editionis meæ fi-
» dem tam robusto & ineluctabili testimonio firmari. Se
» vero sane Familiamque suam (ad quam Ioannes Azpil-
» cueta, ducta olim in uxorem Proavi sui sorore, arctæ affini-
» tatis nexu fuerat adstrictus) in parte gloriæ fuisse numera-
» turos, palàm sciri, tam pretiosum manus ac Chirographi
» Apostoli Indiarum Monumentum in suo Archivo custodiri.
Eam ad me querelam deferenti P. Martino de Ezparza,
ultrò sum fassus, justam esse; meamque damnans negligen-
tiam, promisi, prima, quæ se commoda offerret, occasio-
ne defectum illum suppleturum. Nunc ergo fidem meam
libero: & non tantùm hujus primæ Xaverianæ ad Fra-
trem Majorem Azpilcuetam Epistolæ; sed & alterius ad
Doctorem Navarrum scriptæ, quæ in mea Collectione,
Libri primi quinta est, Archetypa Chirographa in Tabu-
lario Domus de Arbizù Sothesiæ, cujus præmemoratus D.
Franciscus de Ayenz Comes de Guindilayn, dignissimum
hodie vivens Caput est, religiosè, ut sacras tanti Cœlitis Re-
liquias, servari testor; gratusque profiteor, inde mihi utriuf-
que copiam benignissimè suggestam.

III. Ex his liquidò apparet, quàm non obnoxia suspi-
cioni exceptioni-ve ulli; ac potiùs quàm Venerabilis &
Sacrosancta istius de qua modò agimus Epistolæ censeri
debeat autoritas. Cæterùm circa illum cui cernitur in-
scripta, notari præterea hic in antecessum convenit: Pri-
mogenitum illum suum à S. Xaverio dici; verissimè utique:
quamvis talis ab initio non fuerit. Constat enim quodam
tempore post Domini de Iasso S. Xaverij Patris obitum,
summum Patrem familias Domus universæ Xaveriæ fuisse
D. Michaëlem, Castri Xaverij Dominum; tunc nondum
ad Comitatus dignitatem, qua gaudet hodiè, promoti.
Huic Michaëli sine prole defuncto successisse in Maioratu
Familiæ Xaveriæ Ioannem Azpilcuetam, proximum vi-
delicet natu Germanum, è Sancti Francisci Xaverij, qui

scire

scire optimè omnium potuit, indubitatissimo testimonio ea disertim Epistola perscripto ineluctabiliter] evincitur: insuperque id satis longo antequam eæ literæ scriberentur, temporis intervallo contigisse. Nam impensè ibi ei gratias agit ob curam & solicitudinem quam ex longo jam tempore sui peregrè in studio literarum occupati sedulam & benevolentissimam gesserat. Quod cum non alio ex officio quam Capitis & Patris-familias Domus universæ Xaveriæ debuerit aut potuerit facere, ut patet; in hunc ipsi locum contigisse, Michaëli Fratri Majori morte subtracto succedere, diù ante eam scriptam Epistolam, fatendum necessariò est. Nec erit inutile, si quà possumus, indagare talis eventus quàm proximè licuerit verum & individuum momentum. Ad hoc non alia quàm conjecturarum panditur via. Harum ansam præbet aliunde comperta memoria cujusdam Inquisitionis de Nobilitate Francisci Xaverij tunc Lutetiæ degentis, in Castro Xaverio legitimè interrogatis testibus habitæ, subscribente ijs supra memorato Michaële, ut Domus Xaveriæ Primo-genito, & Franciscum Fratrem suum se agnoscere profitente. Quando autem Tabulæ istæ confectæ, & ista interrogatio Testium rite acta fuerit, quibusdam investigare signis in hunc modum licet.

IV. Ante omnia certum & in confesso est, poscente illam urgenteque, datis in Patriam Lutetia Literis, Xaverio institutam. In hoc ille indulgebat studio laudis & claritatis vanæ. Quare pro manifesto habendum, id eum optasse jussisseque priùs quam res spesque humanas generoso proposito Evangelica consilia sequendi prorsùs abdicasset. Fecit hoc ille, ut diximus primis mensibus anni 1534. igitur mandatum ab eo missum in Patriam, ejus Inquisitionis, quæ suæ ambitioni serviret, exequendæ, anno saltem toto submovendum retrò est: imo ulteriùs aliquantò, si Scriptori qui recentiùs & accuratissimè res Xaverij tractavit, habenda, quam meretur, fides sit. Affirmat ille; Xaverium *jam à die quintadecima Martij anni 1530. insignitum Doctorali Philosophiæ Laurea, inde post legitimè probatam Nobilitatem stirpis suæ, fuisse creatum ejus Disciplinæ Magi-*

Bartolus par. 1. dell'Asia lib. 1. pag. 6. n'hebbe Grado di dottore in Filosofia à quindici di Marzo, l'anno 1530. indi fatte le prove in fede della nobiltà del suo legnaggio, ne fù creato Maestro, insegnolla publicamente.

Magistrum, eamque docuisse publicè. Ex his manifestum est: Acta priùs memorata, quibus Xaverius legitimam suæ Nobilitatis Academicis Parisiensibus fidem fecit, illùc è Castro Xaverio perlata, & ab eo fuisse oblata, antequam is *Magister Philosophiæ crearetur*, & publicè interpretari Aristotelem inciperet. Quod biennio agere perseveravit (est enim bienne isthic Philosophiæ Curriculum) cum autem id dicatur factum pauló post xv. Martij Ann. 1530. oportuit jam tum pervenisse Lutetiam Tabulas authenticas ejus quam sæpe memoravimus Inquisitionis. Quam ideo necesse sit dicere, circa initia anni 1530. vel etiam pauló priùs, ritè actam in Castro Xaverio fuisse.

V. Nactus hic forte Romæ, dum hæc meditor, Amicum Doctorem Sorbonicum, recenti longi temporis experientia callentissimum omnium usuum & rituum Academiæ Parisiensis, eum de his consului; quærens: ecquando illic soleant à Candidatis Graduum Academicorum istiusmodi Nobilitatis probationes adhiberi? Respondit, id fieri consuevisse, quando illi rectè decursis Philosophiæ spatiis ad *Magisterium*, quod vocant, *Artium* promoventur. In ea enim promotione fit aliqua differentia Patriciorum à Plebeijs: non autem in petitione facultatis docendi publicè Philosophiam; in qua concedenda nullum tale, ut ajebat, discrimen observari solet, etsi plerumque qui id affectant stirpis claritate præstent: semper autem admodum juvenes, ac saltem tricenarijs minores sint. Hæc ille: quibus iam dicta confirmantur: nimirum; ante illum quem supra laudatus Scriptor vocat *Doctoratum Philosophicum*, hoc est, solemnem promotionem ad Magistralem Philosophiæ lauream, quam refert, Xaverio fuisse collatam xv. Martij Ann. 1530. exhiberi Parisijs debuisse Acta legitima Inquisitionis de Nobilitate Francisci Xaverij unde est consequens, idoneo priùs intervallo illa fuisse in Navarra confecta. Ab hoc porrò tempore ad conversionem Xaverij, quam anno 1534. contigisse ostensum supra est, anni sunt solidi quatuor. eo currente intervallo decessisse Michaëlem Xaveriæ Familiæ caput, apparet: eique ut dictum est, Ioannem Azpilçuetam, fratrem natu proximum,

in

in iure atque officio Primogenituræ successisse. Vnde in hunc cura deinceps incubuit subministrandi minimo fratrum Francisco peregrè in studijs versanti, quæ illi opus ad victum & cultum erant. Quod cum, scribens 25. Martij An. 1535. Franciscus idem, diù illum & sedulò fecisse, gratus, & se ipsi obstrictum eo nomine ferens, memoret pronum creditu est: uno saltem altero-ve ante id tempus anno Azpilcuetam id exercere officium cepisse. Vnde non inepta conjectura, Michaëlis obitus in annum circiter 1532. conferri videtur posse.

VI. Vt ut de his sit, illud certò & evidenter constat: istum ut vocant *Processum*, sive legitimam interrogationem Testium circa Francisci Xaverij Nobilitatem, multis annis præcessisse scriptam ab hoc Ioanni Azpilcuetæ quam de agimus Epistolam: &, si quæ forte Tabulæ eius juridicæ Actionis anno 1535. consignatæ uspiam monstrentur (nam inaudivi tale quidpiam) eas sine dubio falsatas & in nota temporis mendosas esse: quippe quas manifesti convincat mendacij, Sancti ipsius Xaverij Chirographum palam extans, ac cuivis cognoscere volenti monstrabile. Ipsa, inquam, Archetypa huius Epistolæ scriptura, notam ex comparatione indubitabilium aliarum, S. Xaverij manum præferens, Obani hodie adhuc, ex quo eam isthuc S. Ignatius, fidus utique Tabellarius, pertulit, religiosè asservata. Nec novum est in Monumentis Archivorum quæ authentica putantur, inopinatissimas, præsertim in numeris Chronologicis, deprehendi falsitates. Talium exempla illustria magno numero suggerunt Viri Doctissimi Henschenius & Papebrochius, è Tabularijs Ecclesiarum, Monasteriorum, Principum quinetiam & Regum, in eruditissima Dissertatione quam, titulo *Propylæi Antiquarij*, præmiserunt Tomo secundo Aprilis sui, anno superiore in lucem dati, ubi regulas etiam & vias tradunt errorum istiusmodi, seu fraude seu casu inoleverint, ad lumen veritatis explorandorum.

VII. Interim ex mentione fortè illata Magisterij Philosophici à Xaverio Parisijs exerciti, non contemnendum obiter eruere argumentum libet ad demonstrandum: minorem

norem ipsum natu esse debuisse quàm olim proditus eius
natalis monstret. Sed antequam id explico, reddere hic
aliud opus est ex ijs quæ à superiùs memorato Sorbonico
» Doctore didici. Aiebat ille: Cum inter Parisiensis Aca-
» demiæ Collegia Sorbonicum emineat, ab optimis quibus-
» que pro summo expeti, adlectionem in peculiare contu-
» bernium Domus illius, ac, prout illic loquuntur, *fieri Socium*
» *Sorbonicum*. ad eam sortem paucissimi è plurimis legun-
» tur: nec id nisi rarissimis conceditur ex eorum numero
» quibus alioqui suprema Doctoratus Sorbonici laurea ple-
» nissimè merentibus fuerit collata. Ad illam porrò alteram
» superexcellentem prærogativam, inter alia exquisitissima
» experimenta, requiritur: prælegisse publicè biennio Ari-
» stotelis Logicam, Physicam, & Metaphysicam. Qui ergo
» ad eius eximiæ honorificentiæ decus adspirant (e quibus
» tunc apparet fuisse Xaverium) ijs solemne est ambire, post
» editum extraordinarium ingenij & solertiæ specimen, ut
» iudicio Magistrorum, Aristotelicis Prælectionibus publicè
» habendis præficiantur. In quo præter istam spem non
» usquequaque certam, aliud indubitabiliter eventurum præ-
» mium affectant, famæ ac laudis ex illa doctrinæ atque in-
» genij ostensione comparandæ. Pertinere visum est sum-
mis Viris Academiarum Reginæ Moderatoribus, ad De-
cus Literarum, præter ordinarios Peripateticæ Philoso-
phiæ Professores justis autoratos stipendiis, alios interdum
extraordinarios privilegio præficere Scholis istiusmodi
habendis, quos ut sua nobilitas & opulentia eximeret om-
ni suspicione mercenarij quæstus; ita illustris, & severissi-
mis periclitationibus evidenter perspecta, scientiæ ac fa-
cultatis excellentis præstantia facilè in his suppleret, quod
ad idoneam autoritatem deesse forsan posset ætati. Iuve-
nes enim, ut dictum est, non raro infra vigesimum ad hoc
deliguntur. Novi ego familiariter, cum Parisiis essem,
unum, ingenio & stirpe prænobilem, qui anno ætatis duo-
devicesimo id egerat.

VIII. Referamus hæc ad Xaverium: quem, cum an-
no 1534. Sancto Ignatio se adjungeret, biennne jam tum
spatium Aristotele in Scholis interpretando peregisse, hæc
Orlan-

Orlandini jam descripta superius verba testantur: *Cum annum ferè septimum & vigesimum ageret, egregieque docendi munere functus esset*. Ita ille. Vnde apparet ex ejus Historici sensu, Xaverium anno circiter ætatis Quarto & vigesimo honorarium istud Scholæ Philosophicæ regendæ munus expetitum impetratumque capessivisse. Nec sanè hoc suscipere senior potuit, nisi & neglecta decori ratione, & suis ipse rationibus pessimè consulens. Nam neque, uti dixi, gratiam haberet ullam optata præter morem juvenilis Provincia viro tantum ultra ætatem tricenariam evecto; sicque illi periret famæ ac dignitatis, qua trahebatur, spes: &, cui restaret adhuc prælongum illic (nam Sorbonicis supremi Ordinis, ad quem adspirasse Xaverium hoc ipso ex facto intelligitur, solet esse non brevius septenni) Theologiæ curriculum emetiendum; imprudentia utique joculari, vir ætati quadragenariæ admotus (talis enim certò foret si juxta veterem opinionem Natalis ejus ultra initium tunc fluentis sæculi quadriennio exiret) serò peractis Philosophicis studiis, Theologiæ auditioni moram tantam, tamque supervacaneam, spissi ejusdemque arbitrarij negotij superinduceret; id sedulò visus agere, ut non prius quàm consenuisset, Theologici metam stadij posset attingere. Quis hæc prudenti arbitrio æstimans, non statim videt, ex sic ambita sicque gesta à Xaverio Scholæ Philosophicæ Præfectura, palmare argumentum duci ad sententiam modò recitatam Orlandini de Xaverij ætate Turselinianæ præferendam.

CAP. IV.

Orlandinus ab inconstantiæ nota vindicatur.

I. VErum ne quid retrò immunitum relinquatur; operæpretium fuerit obstruere hic semel Exceptioni facilè occursuræ circa istud allegatum à nobis plus vice simplici Orlandini testimonium, S. Xaverium asserentis, quando S. Ignatio se subjunxit anno 1534. annum egisse *ferè septimum & vigesimum*. Pronum enim est in nostra

Historia versatos incurrisse in alium ejusdem Scriptoris
a Lib. XII. nu. 109. locum his verbis conceptum: *a Xaverius . . . extremum spiritum edidit quarto nonas Decembris .... anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, ætatis quinto circiter & quinquagesimo.* Hæc ibi. Quæ non cohærere cum verbis antea descriptis palàm est. Cum constet evidenter de eo qui anno Christi 1534. dicatur egisse annum *ferè septimum & vigesimum*, haud consequenter affirmari, morientem eundem die secunda Decembris Anni 1552. egisse *annum ætatis quintum circiter & quinquagesimum*.

II. Respondeo: Fatendum necessariò, alterum horum locorum suppofititium esse. Neque enim cordatus & accuratus Historicus, qualem inter omnes convenit fuisse Orlandinum, contraria seque invicem perimentia in uno codemque Opere scribere potuit. Historia Orlandini prodiit posthuma, totis annis Novem post Autoris obitum, qui contigit anno 1606. ut apposita ipsi Præfatio docet: in ipsa vero ejus Operis Romæ primùm editi fronte annus Christi MDCXV. consignatus cernitur. Cum igitur fieri nequeat ut locus uterque iste ex uno ejusdem Orlandini calamo fluxerit, haberi pro certo debet, unum ex his tantùm ipsius esse. Exploremus autem; num quæ notæ appareant idoneæ ad prudenter discernendum proprium ab alieno, verum à ficto. Cum in hac Historia manum duntaxat duo posuerint, Scriptor & Editor, quæ oppositæ invicem duæ in ea sententiæ leguntur, in ambos partiendas videri, nemo æquus recusaverit. Vna igitur harum Orlandini est; Editionem Curantis, altera. Iam consideremus, utro loco probabilius sit supplendam ætatis notam visam Editori fuisse: in eone ubi eam nemo Lector expectaret; an in quo ex communi consuetudine Scribentium exprimi, & à Legentibus requiri solet? opinor in hoc potiùs. Quis autem, quæso, ubi Xaverii conversio narratur, ætatis annum quo præcisè contigit, magnoperè designari posceret? in ortu aut obitu ista legitime notantur: in actione singulari quapiam talis diligentia vix probari, nedum exigi consuevit: utiq; speciem habens cujusdam supervaca-

neæ,

neæ, & quasi affectatæ sedulitatis.

III. Fingamus igitur animi gratia expressam fuisse hac planè forma Orlandini Stylo illam quæ legitur loco nuperrimè indicato sententiam: *Ergo post salutares illas Fabri, quas suprà memoravimus, Exercitationes, Xaverius egregiè docendi munere functus, ingenti quodam metu suæ salutis admonitus se ipse collegit, &c.* Fuisset ne cur ista cuivis ad Editionem recensenti venire potuerit in mentem; temporis notam, tanquam à properante Scriptore casu quodam omissam, à Lectore vero desiderandam, suppleri oportere? minimè id quispiam unquam sensu præditus communi suspicari opinor queat. Non ergo ista ætatis ibi designatio supplemento Editoris imputanda; sed in veræ propriæque Historici sententiæ ac primigeniæ scripturæ habenda censu est.

IV. Longè aliter se res habet in loco libri XII. num. 109. illic enim narratur Xaverij mors. Ætatis notam omnis ibi Lector requireret. eã ideò, ex vulgatissima tunc multis Turselinianæ Xaverij vitæ Editionibus opinione, addendam Editor putaverit. Secunda igitur hæc assertio Editori; prior Autori verisimillimè attribuenda est: sive omnem illic ætatis mentionem, ne receptæ jam Turselini sententiæ frustrà, vel non sine certamine, suam prius expressam opponeret, Orlandinus omiserat: seu consentaneè suprà scriptis, posuerat: *paulò minus duodequinquagesimo ætatis anno*: Quæ verba, ne contra præceptæ opinionis torrentem objecta, lite animos intempestiva distraherent, accomodanda vulgari crediderit sensui quisquis ille fuit posthumæ Curator Editionis, pro ijs hæc substituendo: *ætatis quinto circiter & quinquagesimo*; quæ illic hodiè leguntur: aut tunc immemor prius in contrarium ab Orlandino scriptorum: aut, si recordabatur, verecundè temperans à loco illo quoque minùs obvio, nec offensioni adeò exposito vexando; elidendisque sic stirpibus ubique ac seminibus cunctis diversæ à Turselini sensu, Orlandini sententiæ: quam, utcumque tunc oppressam & consensu obrutam; emersuram fortè aliquando, seseque probaturam non desperaret.

a Lib 1. num. 85.

V. Sanè priorem illam aſſertionem *a* Orlandini genuinam & ex mente intima profectam ſcribentis tunc Hiſtorici ſuadent cætera ibi dicta memorataque ab eo proximè, omnia minorem tricenario monſtrantia Xaverium. Sunt hæc: ludus oſtentatæ ſaltibus in campo ſuburbano agilitatis: ambita honoraria Præfectura Philoſophicæ Scholæ ſolos nobiles Adoleſcentes decens: ſenſus communiſſimus omnibus indiciis palàm extans Primorum Octo Patrum, nullam in Xaverio præ ſe ſingulis notabilis majoritatis præſtantiam agnoſcentium. Hæc & alia ex præſentis meditatione argumenti undique menti obverſantia Scriptor intuens, non ſe continuit, quin, quod ijs tacite, indiciis ſignabatur, ſtylo ſemel exprimeret, extraordinariè illud ubi non expectabatur inſerens: *fluxiſſe tunc Xaverio annum ætatis ferè ſeptimum & vigeſimum*. Quæ verba, ſicut aiunt de ſigillo Phidiæ in Clypeo Palladis, arcanis fibris latentium quaſi radicum toti cui adhærent corpori conſerta commiſſaque penitùs, quin verè ſint Hiſtorici, dubitare Hiſtoria non ſinit, rebus paſſim ipſis afferens quod eæ voces aſſerunt, ſicque multiplicato illas nec recuſabili teſtimonio confirmans.

VI. Quæ cum ita ſint, habemus, opinor cauſas idoneas non dubitandi, quin prior illa Orlandini autoritas propriam ex animo intimaque perſuaſione ipſius expreſſam ſententiam exhibeat: poſteriorem autem ei affictam, aliena manu in Opus intruſam poſthumum, cenſendi. Præſertim cum manifeſtiſſimum aliunde ſit, quædam Hiſtoriæ Orlandini ab Edentibus addita, quæ Autori nequeant adſcribi. Unum exempli cauſa proferam quod Libro XVI. num. 137. his verbis legitur: *Anno* 1609. *Idem Pontifex* (Paulus V.) *omnium ferè Principum, Aliarumque Chriſtianarum Poteſtatum rogatu, de ſententia Cardinalium ſacris Ritibus præfectorum; poſt ritè diligenterque cognitam cauſam, venerabilem virum* (Ignatium) *declaravit Beatum*. Qui, quæſo, hæc anno 1609. geſta noſſe aut ſcribere Orlandinus potuit, quem eſt certiſſimum, anno 1606. finem vivendi feciſſe?

CAP.

CAP. V.

Alia einsdem minoris S. Xaverij ætatis indicia ex ipsius Epistola observata.

I. Consideremus nunc illam, de cujus indubitabili veritate & irrefragabili autoritate sat multa paulò ante *a* dicta sunt Epistolam à Xaverio die 25. Martij Anno 1535. S. Ignatio Lutetia in Hispaniam proficiscenti commendatam, ut ab eo propria manu redderetur Ioanni Azpilcuetæ Fratri Xaverij majori, cui tunc, & à sat longo jam tempore, incumberet cura, ut Patri-familias Domus Xaveriæ, providendi subministrandique necessaria minimo Germano peregrè dudùm degenti studiorum gratia. nisi errant qui censent natum Xaverium anno 1497. numerabat is dum eam scriberet Epistolam, ut minimum, Octavum & trigesimum vitæ annum: & tamen in ijs literis eam Fratri observantiam defert, quam nemo prudenter æstimans non judicet, magis convenire nuper ex Ephebis progresso Iuveni, quàm viro plenæ jam maturitatis.

a Cap. III. num. 1, 2, 3.

II. Ait: *b Frequentissimè se se multis vijs, operæ haud parcentem scriptitare ad ipsum literas suæ in eum observantiæ devinctissimique testes obsequij, impulsum officio quo se adstringi ei sentiat, pietatis veneratione conjuncta*. Compellat eundem his verbis: *c Domine mi ac Germane major omni observantia colende*. Quis umquam ferè quadragenarius Fratri paulò majori, tanta humilitate se substernat? Præterea ostendit ibi solicitudinem ingentem inde ortam quòd audiverit *graves de se querelas* à malevolis ad ipsum delatas: quibus diluendis non minùs anxia insistit cura, quàm quivis ferulæ obnoxius Adolescens apud severum & superciliosum Magistrum purgare se ab objectis satagat, scuticam metuens ni causam probet. En ejus verba: *d Si dignaris mihi credere sanctè affirmanti, falsa ea & ex vano hausta malitiosè impingi prorsùs innocenti fraterculo, &c.* Hæccinne à corroborato duodequadragenaria ætate viro, magnorum præsertim spirituum, non ad Fatrem; sed

b Pag. 2.

c Pag. 5.

d Pag. 4.

sed ad penè æqualem Germanum, Primogenito nuper subtracto fortuitu suffectum, tam fracta & supplex ærumnosæ verecundiæ demissio exhiberi debuisse, aut ex usu potuisse, videri queat?

III. Quid quod statim profitetur: *incautam inventutem suam adversus exitialia pericula familiaritatum cum Hominibus in Hæreses prurientibus* opportune *ab Ignatio fuisse præmanitam*. Hoc in tempus sine dubio convenit paulullum præcedens perfectam Xaverij Conversionem; quando is Ignatium, quem initio contempserat; delinitus ejus obsequiis,& inflexus admiratione virtutum, aliquo jam habere numero ceperat,anno videlicet 1533. quo ei, si anno 1497. fuerat natus, currere sextum & trigesimum ætatis oportebat. Quantò aptiùs illa *incautæ juventutis* mentio in decennio juniorem cadat,quis non sentit statim?

IV. Pag.3. hæc leguntur: *& relatione Amicorum & signis cæteris idoneis, plenè persuasum mihi est: compati Te ex animo ærumnis contentionis hujus in studijs meæ, commorationisque peregrinæ: nec ferè minus Domi isthic tuæ, ubi omnibus abundas commodis, sentire Te labores vigiliarum mearum .... quàm me ipsum Lutetiæ, &c.* Potuit ne hæc credere & scribere; Qui sibi esset conscius, se jam tum ab anno 1515. Lutetiam ad studia profectum; & ibi adhuc, inde scribens anno 1535. studiis ijsdem implicitum se perdurare fateretur? nonne potiùs vereri debuerat, ne quæsitis prætextibus extendi ab eo Domestici quererentur longè ultra exempla omnia productam affectatamque in Parisiensibus studiis sumptuosam moram? An cum certò sciamus ipsum Xaverij amantissimum Parentem, post alterum aut tertium à Filio in Parisiensi Academia transactum annum,pertæsum expensarum, de illo domum revocando cogitasse; perfecturum, nisi literis Magdalenæ Filiæ ab ea mente deduceretur: non erat multò credibilius, non jam Patri, ac ne primogenito quidem heredi Michaëli fratrum maximo; sed subrogato in hujus defuncti locum Ioanni Azpilcuetæ,visum iri nimium,nec jam propter impendia tolerabile, adhuc se porrò post vicennium exactum porrigens studiorum Parisiensium spatium? Metueret igitur

jam

jure Xaverius, à fratre pecunias his literis flagitans, & quò eum ad sui miserationem inflecteret, memorans *ærumnas contentionis in studijs commorationisque peregrinæ*, metueret, inquam, justius, ne à Germano rescribente audiret: *Nam quousque contendis in studijs; quamdiu peregrinaris? Alios isthinc videmus decenniò ad summum peracto Scholarum curriculo, laureis insignes se domum recipere: Tibi quartum ibi lustrum evolutum est; nec metam adhuc tenes; ne vicinam quidem spectas; sed in cursum adhuc longiorem viaticum postulas. Quem tandem reperiet infinita hæc temporis & sumptus absumptio terminum?* Ita sanè quivis putaret responsurum fratri fratrem talia roganti. Cui ergo ex humano usu res prudenter æstimanti non planè videatur, haud umquam hæc scripturum Azpilcuetæ fuisse Xaverium, si se jam ab anno 1515. domo profectum meminisset. Vnde rectè infertur, haud rectè pro vero accipi, natum ipsum anno 1497: ex quo assumpto illud perabsurdum necessario, ut supra demonstravimus, sequitur.

V. En aliud palmare, ni fallor, ad idem evincendum argumentum ex hac eadem Epistola, cujus 4. pagina hæc extant: *Verùm quoniam ijdem scelerati sycophantæ Hominem omnium innocentissimum ac Sanctissimum D. Magistrum Ignatium in eandem mecum criminationem involvere non sunt veriti, &c.* Quæ erat hæc criminatio? illa sine dubio qua impulsum Orlandinus *a* quemdam Xaverij Clientem narrat, ad Ignatium occidendum; quòd is Patronum, in quo Sortis adipiscendæ melioris spem collocaverat, de cursu ambitionis deductum, ad vitæ sanctioris professionem hortando traduxisse; hoc est, ex sensu mundanæ sapientium, seduxisse, putaretur. Nam simili de causa damnatus idem à Parisiensibus Magistris ad plagas fuerat: qua de re sunt hæc Orlandini verba: *b Hoc innocenti* (Ignatio) *supplicium Ioannes Penna Magister, nondum planè hominis perspecta virtute, paraverat, eo duntaxat nomine, quòd Auditores per pietatis speciem, ut ipse interpretabatur, à se abduceret.* Quam abductionem idem Historicus mox clariùs explicans, subdit: Ignatij Condiscipulos eidem secum Magistro Pennæ Philosophiam tradenti operam dantes,

a Lib. 1. num. 86.

b Lib. 1. num. 71.

monitis & exemplis Ignatij motos, *festo quoque die pro ludorum oblectamentis, & Gregalium liberiore convictu, sacras Aedes & Oratoria religiosa terere; animosque tum suavissimo Mysteriorum usu, tum orandi jucunditate consuevisse pascere*. Ergo non videtur dubium; Quin ubi est animadversum idem in Xaverio, Amicorum & familiarium ejus nonnulli ad Azpilcuetam scripserint: *Germanum ipsius Franciscum juvenili levitate se depravandum præbuisse cuidam Ignatio vafro homini & subdolo*. En crimen de quo verbis supra recitatis agitur, æquè Ignatium & Xaverium involvens: in priori fraudulentiam astutam, in altero credulitatem inconsultam damnans.

VI. Iudicet modo Lector sapiens, & circumspectis attentè omnibus, humana prudentia statuat: ecquid talis accusatio Xaverij apud Azpilcuetam videri queat verisimilis, adhęrentibus veteri de illius natali sententiæ, juxta quam is, cum est delatus ad Fratrem, quasi sibi prava persuaderi colloquiis nescio cujus, stulta facilitate, sivisset, annum jam expleverat ætatis octavum & trigesimum. Ne Pater quidem ipse Dom. de Iasso, si tunc viveret, talem admittere tam grandis natu Filij cirminationem sustineret: nedum illam reciperet Frater paulùm modò senior; isque Militiæ deditus, & rudis literarum, contra Germanum duodequadragenarium, summi virum habitum judicij; & viginti jam annis in præstantium Doctrinarum meditatione versantem. In Adolescentulos improvidos, indoctos, necdum usu rerum tritos, istiusmodi suspiciones cadunt: Viris jam plenæ maturitatis, eleganter institutis, eruditione præstantibus, impingi ab iis solum possunt, qui aut parùm ipsi sapiant, aut desipere illos temere autument. Quod profectò numquam auderet in Franciscum Azpilcuetã, metu ne ab illo, quem nescire non posset, altum spirare, nec valde patientem contumeliæ putari, continuò audiret? *Quid tu me puerum existimas, propè jam quadraginta natum annos? Magistrale istud supercilium & censuram paternam Pupillis, si quos habes commendatos, & Filiis tuis serves censeo: mea me dudùm ætas Tutorum arbitriis exemit*. Longè igitur natu minorem quàm vulgò creditur, decennio videlicet

licet juniorem, par est arbitrari fuisse Xaverium cum se S. Ignatio subjecit: & eo nomine delatus, ut hinc discimus, ad Fratrem majorem est, quasi se decipi à quodam Ignoto, incautè noxieque passus esset.

VII. Decem annis vivendi progressu Homines in aliud quasi hemisphærium transeunt, ac mutato velut horizonte, nova detegunt; retrò relicta non amplius vident, aliter sapiunt, diversè judicant, dissimiliter operantur. Neque solùm, ut Sanctus scribit Paulus a Parvulorum ubi profecerint in viros, sensus, locutiones, motus, acta mirabiliter mutantur: sed etiam Ephebi ac pueri primulùm puberis, ejusdemque deinde nova jam lanugine asperantis genas, vox, species, inclinationes, gestus, tenor vitæ omnis tantùm discrepant, quantum credi vix posset, nisi quotidiana esset experientia perspectum. Hinc, ut vini ætates gustu ipso periti distinguunt: & licet in dolij cortice non legerint consulem decenne falernum ab horno aut bimulo, etiam priùs quàm labris admorint, colore ac spiritus fumo discernunt: ita in scriptis & stylo signa graduum ætatis Lectores non hebetes observant: ut tametsi unus color sit, & idem quasi textus, dictatorum à Tullio, exempli gratia; quæ tamen is junior composuit proprio charactere differre cernantur à scriptis ab eodem ad consulares jam evecto annos: rursusque hæc ab ijs quæ vergens in senium edidit, sua nota diligenter inspectantibus observabili dirimantur. Ea mihi occasio istam olim penitiùs introspicienti Epistolam fuit, hæc de illa literis ante menses complures ad Reverendos Patres Henschenium & Papebrochium datis, scribendi: *Ac quando in huius Xaverianæ Epistolæ casu mentionem incidi, profiteri non omittam; inspectanti olim mihi eam attentiùs, quando ex archetypo Hispanico Latinam feci, penè singulis ejus sententiis, cunctisque, vt sic dicam, apicibus absterreri visum à communi ampliùs opinione circa natalem annum S. Xaverii sequenda; quod ea cogat dicere proximè quadragesimum ætatis suæ annum istas eum literas scripsisse. Ita in iis ubique floret, ac velut exultat, ridens quædam & adolescentiam redolens alacritas ingenua libertatis, simul intexta longè demissiori veneratione in paulò majorem*

a 1. Cor. XIII.

rem fratrem, quàm convenire quadragenario, hoc est fermè æquali videatur posse. Qui characteres, ni fallor, potiùs sint propè admotæ virilitati juventutis, quàm excoctæ ad plenum maturitatis, in viro utique quatuor ferè jam solidas annorum decadas emenso. Sic ego ibi. Dissimulare tamen, & mihi privatim secretam habere istam oppositam vulgò dudum receptæ sententiam decreveram, quoad novum alicunde quodpiam idoneam de his indicium existeret, cui posset plausibiliter inniti non inverecunda, in hoc uno duntaxat articulo à Summi Viri Tursellini autoritate discessio. Est quod autumem hoc nuper mihi, prout eram confisus, evenisse: de quo fero arbitros æquos Lectores, ubi capite ab hoc tertio referenda cognoverint.

CAP. VI.

Aliæ idem suadentes rationes ex actis Mariæ Magdalenæ Xaveriæ Abbatissæ Gandiensis: & ex Testimonio Philippinensi.

1. INterim duas hic alias proponere conjecturas placet: quibus in eadem Ego quidem opinione confirmor. Prior ducitur ex Memoria quæ certa superest, Vitæ atque Actorum Sororis S. Xaverij: de qua refert Ioannes Lucena Noster, *a* Extremis eam vitæ suæ annis rexisse Cœnobium Excalceatarum Gandiensium, Abbatissæ titulo; in quam dignitatem magnis suis evecta meritis fuerat; & vitam laudatissimam sancto fine terminasse die xx. Ianuarij Anno MDXXXIII. Fuerat illa, ut idem Autor è monumentis authenticis se certò comperisse profitetur, antequam Religionem iniret, honoratissimo loco in Comitatu Reginæ Castellæ. Vnde abdicans generoso proposito spes Humanas magnas, quæ undique blandissime arridebant ambitu ingenti tandem exoravit facultatem conferendi se Gandiam, & Institutum illic Excalceatarum suscipiendi, quo nullum habebatur austerius. In eo fervorem tyrocinij semper crescentem ad multam ætatem perferens, heroicæ virtutis ea dedit specimina quæ magnam ei sanctitatis famam

a Lib. 1. vitæ Xav. cap. 1.

mam pararent: quam etiam Deo confirmare testatissimis „
miraculis placuit. Inter quæ, vacans forte, Abbatissæ Prio- „
ris obitu Cœnobij suprema Præfectura, unanimi jus eligen- „
di habentium consensu demandata ipsi est. Quam illa „
administrationem ijsdem gerens virtutibus quibus merue- „
rat, extremis, ut dictum est, vitæ annis, absolutum omni- „
bus numeris Religiosissimæ Abbatissæ Sanctis illis Virgi- „
nibus exemplum exhibuit: Quoad, quo dixi die & anno, „
evocata ad præmia laborum à Christo Sponso, ex humanis „
cessit. „

II. Extremos istos vitæ Magdalenæ annos si justo calculo á Ianuario anni 1533. retrò numeres, non facilè ultra quintum & vigesimum sæculi extendas. Constat autem, Epistolam Magdalenæ ad Patrem D. Ioannem Iassum, qua eum deterrebat à revocando Parisiis Francisco Fratre, ab ea jam Abbatissa fuisse scriptam. Malè ista cohærent cum vulgò recepto, & veteri Turselini sententiæ innixo systemate: juxta quod, ut est dictum, Franciscus à Patre Iasso Adolescens annorum octodecim anno 1515. Lutetiam missus est. Ab ea profectione fluxisse duos tres-ve annos res suadet ipsa, quibus Benjamini dudùm absentis desiderium, adjuncto tædio è bienni jam aut trienni experientia immanium sumptuum, movisse patrem senem potuerit ad consilium ineundum, & familiaribus literis Natæ carissimæ declarandum, dulcissimi filij domum ad se retrahendi; quæ fuisse dicitur occasio Abbatissæ, istius ad Patrem Epistolæ scribendæ. Hanc igitur oportuisset datam anno 1518. Quo tamen, & multis sequentibus, Magdalena in statu privatæ Monachæ, nondum Præfecta regimini, Gandiæ degebat. Apparet hinc quantò aptiùs quadret istarum scriptio Literarum in annum circiter sextum & vigesimum fluentis tunc sæculi, qui erat à profectione Xaverij Lutetiam tertius. Nam hunc anno 1524. quo juxta nostrum calculum duodevicenarius esse jam ceperat, jussu Patris se contulisse in Galliam credimus. Nec ab his abludit, quod, ut sæpe dictum est, Xaverij perfecta conversio ad vitam Apostolicam, primis mensibus anni 1534. contigit: anno videlicet vertente post Magdalenæ

ad

ad Cœlos transitum, ubi eam est verisimile impetrasse Fratri suo Francisco primum & necessarium apparatum Apostolatus Indici, ei, prout, oraculo vivens ipsa didicerat, destinati; quando ille velis remisque spes ambitiosas sequens, alienissimus à negotio tali videbatur. Vt aliunde quàm à divina revelatione affulsisse sanctissimæ illi Virgini notitia nequiverit tam inopinati, atque humanæ omni prudentiæ planè tunc insuspicabilis, eventus.

III. Incumbunt hæc omnia ad magis magisque suadendum, non anno, ut ponitur, 1497, S. Xaverium; sed 1506. in hanc lucem exisse. Cui veri Xaveriani Natalis Epochæ mirabiliter aliud congruit, è quodam Philippinensi, ut vocant *Processu*; hoc est Actis authenticis Inquisitionis legitimæ apud Insulas Philippinas habitæ, testimonium descriptum. Ibi Rodericus quidam, juratus testatur: *Visum à se in Insulis Amboini anno* 1546. *Xaverium*, quem ait ex specie putasse, *fuisse tunc annorum quadraginta quinque plus minus; capite jam sparso aliquibus canis*; *barba verò adhuc nigra*. Ita ille verbis totidem. Quæ ad Xaverij ætatem à Turselino proditam accommodari nequeunt: Si enim S. ille Indiarum Apostolus anno 1497. vivere cepisset, utique anno 1546. quinquagenarius jam foret. Adaptantur autem satis commodè ad nostram hypothesim, quæ natum eum ponit anno 1506. Etsi enim juxta eam tunc tantum quadragenarius S. Xaverius fuisset; tamen cum ex specie Rodericus judicaverit, facilè ipsi potuit homo curis, vigiliis, contentionibus Apostolicis confectus, speciem præ se tulisse quinquennio ferè senioris quàm revera erat.

IV. Sic Christum Dominum Iudæis apparuisse quadragenario majorem, utcumque nondum excessisset annum quartum & trigesimum ætatis, quorumdam sententia colligitur ex illis eorum ad ipsum verbis, Ioannis VIII. 57. *Quinquaginta annos nondum habes*, *&c.* Quasi neglectu sui, laboribus, & victus cultusque duritie, sibi squallorem induxisset, ætatis plusquam quadragenariæ indicio fallentem. Sanè Xaverium tot ærumnis itinerum, navigationum, concionum, pervigilatarum post diurnos sudores in oratione noctium, addita penuria victus, vestis, tecti, in sum-

summis Iaponicæ brumæ rigoribus, senectutem sibi præcocem admovisse, intelligimus ex eo quod Tursellinus refert: a oblatum eum Regi Bungi, ex oris canitie venerabilem visum esse. Contigit primus iste congressus S. Xaverij cum Rege Bungensi anno 1551. Vnde cum barba ejus jam tum incanuisset, quam anno 1546. Rodericus in Insulis Amboini *adhuc nigram* viderat, apparet quantam fatigatio quinquennis in eo mutationem fecerit accersitæ longè ante senium canitiei. Vnde prona est conjectura, canos quibus sparsum Xaverij caput à Roderico est observatum, quos ille in argumentum traxit ætatis quadragenariam quinquennio supergressæ, sollicitudinibus ærumnisque magis ejus quàm annis imputandos. Quæ qui æqua lance perpendet omnia, non ægrè opinor adducetur ad fatendum: Testimonium jurejurando firmatum istius Roderici, Tursellinianæ de anno S. Xaverij natali adversari sententiæ, nostræ favere.

a Lib. 4 cap. 11.

CAP. VII.

Monumentum ex Archivo Domus Xaveriæ nuper productum. Quo antiqua de Anno S. Xaverii Natali sententia corrigitur.

I. HVcusque argumentatus sum ad meam veteri oppositam de Anno S. Xaverij natali opinionem suadendam, ex ijs duntaxat testimoniis & signis quorum notitia publicè extabat ante annum hoc millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, quo hæc à me scribuntur, proximè superiorem. Nec sanè diffiderem, æquis me ac præjudicio vacuis probaturum vel sic Arbitris: haud aspernendam, & nimis inverisimilem eam videri debere sententiam, quæ præterquam disertæ inniteretur Historici præstantis autoritati: etiam à tot aliis, è rei visceribus ipsius, atque indubitabili memoria rectè conclusis, rationum firmamentis fidem acciperet. Temperavi tamen, meque continui ab ea publicè proponenda: veritus delicata fastidia quorumdam, vera præ assuetis nauseare paratorum: & constan-

stantiæ laudabilis in parte consentium, obstinare perseverantiam in esu glandium etiam post inventas & oblatas fruges. Sed dum huic otiose indormiscerem Proposito, conceptum de his sensum tacita conscientia premendi: perfertur ecce ad me, nihil tunc minùs expectantem, mense Novembri Anni Iubilæi 1675, Chartæ recens inventæ in Domo Xaveria indicium: quod an invidere Públic o citrà inofficiositatis notam potuerim, judicet ubi cognoverit (mox enim hic describam) sapiens & bonus Lector.

II. Iosephus Moretus Societatis Iesu, fidem facio: Inter Monumenta Illustris Familiæ Domini Ioannis Antonij Comitis Xaverij, nuper repertam Schedulam ante annos circiter nonaginta, ut apparet, sciptam; in qua agitur de Majoribus & anno Nativitatis S. Francisci Xaverij. Atque in ea apparet, post errorem commissum de Nativitate ejus anno 1496, lineam hujus erroris fuisse deletam. Et invenitur supra scriptum: natum fuisse P. Franciscum Xaverium Anno millesimo quingentesimo sexto. Et in margine qui correspondet lineæ deletæ, reperitur rursus notatum: Natum fuisse die 7. Aprilis Anni 1506. Et in fine ejusdem Schedulæ reperitur Hispanicè notatum: Hallo-se la razon del tiempo che el S. P. Francisco Xavier nascio, en un Libro Manual de su Hermano el Capitan Iuan de Azpilcueta. La qual sacò de un Libro de su Padre Don Iuan de Iasso. Id est: Reperta est ratio temporis quo S.P. Franciscus Xaverius natus est, in Libro Manuali Fratris ejus Ioannis de Azpilcueta ductoris Militum; quam ipse extraxit ex Libro Patris eorum D. Ioannis de Iasso.

Fidem etiam facio in eadem Schedula contineri: Sororem S. Xaverij, nomine Annam, in Matrimonium datam Domino Palatij de Veyre: & ex eo Matrimonio natum fuisse P. Hieronymum Xaverium, quem notat, tunc temporis apud Indos degere.

Hæc omnia supra scripta in prædicta Schedula, multis meis precibus quæsita, & tamdem reperta, & à me eidem illustri Comiti reddita, contineri, Sacerdotij, quo, licet

indi-

indignè, fungor, fide interposita testor. Rogavique P. Antonium de Arrieta Rectorem Collegij Pompelonensis, ut hanc Chartam Romam à me transmittendam ad R.P. Generalem Ioannem Paulum Olivam, manu sua signaret, & Sigillo Officii muniret. In Collegio nostro Pompelonensi, die octavo Septembris, Nativitati B. Mariæ Virginis Sacro, anno à Nativitate Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto.

ANTONIVS ARRIETA
Rector,

IOSEPHVS MORETVS.

Locus
Sigilli
Rectoris.

III. Hanc R. P. Iosephi Moreti Chartam, rite subscriptam & sigillo munitam, cum mihi tradidisset, qui ad hoc ipsum eam acceperat, R.P. Martinus de *Ezparza*, consideravi eam perattente, multisque ostendi. Ac cum non deessent, qui anceps id testimonium & exceptioni obnoxium, eo præsertim nomine ducerent, quòd non satis in eo, ut ipsis videbatur, evidenter extaret, utrius habenda potior autoritas videretur, primi ne Scriptoris, an supervenientis illi Censoris, qui transverso figere calamo prioris verba, & diversam suam deletis imponere sententiam non dubitasset: adivi eundem P. Martinum de Ezparza, orans ne gravaretur, ex Moreto per literas quærere: numquod ex inspectione præsenti veteris illius schedulæ duci argumentum posset, quo certò probaretur, plus fidei tribuendum Emendatori quam Autori. Fecit benignè quod rogabatur P. de Ezparza, & alterum post mensem Responsum P. Moreti, Pompelone die Decembris 26. Anni 1675. datum, ostendit, unde hæc ad Verbum ex Hispanico Latinè reddita, describo:

IV. *Quod attinet ad testimonium de S. Xaverio, apparet certum, correctioni multò majorem inesse autoritatem quàm*

sententia correcta. Primùm quia omnis correctio; ut pote ex nova causæ cognitione profecta, vitiumque animadvertens in priùs scripto quod delere audet, emphasim tali fiducia præbet clarè deprehensæ contrariæ veritatis. Nam quis sanus, nisi fretus indubitabili firmamento, erumperet ad revocandum falsique damnandum quod disertè ab alio affirmatum reperit? Vnde illud est Græco veteri adagio celebratum: secundæ cogitationes sapientiores. *Deinde quia in ea quam vidi, nec totam priori Excerpto descripsi, Charta, alia extant quæ certissimè demonstrant: priorem Autorem cum formidine scribere. Hæc enim ante illa priùs à me posita leguntur ejus verba:* Non scitur certò annus quo natus est P. Franciscus Xaverius: Vulgò tantùm invaluit: à quibusdam natum eum dici, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Quid verè in re sit, speratur perspectum meliùs fore Doctori Navarro; qui posset consuli nunc Romæ degens. *Hæc illic his oculis vidi: simulque animadverti, verba illa:* non scitur certò annus quo natus est P. Franciscus Xaverius, *adacta per medium linea, diffissa; item ut illa alia quæ priori meo scripto similiter confixa exhibui:* natum eum dici anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. *Deindeque apponitur è regione in ora marginali correspondendente:* Natus est die 7. Aprilis Anni 1506. *Pauloque inferiùs reddens Censor rationem correctionis suæ, adiungit Hispanico idiomate quæ priùs descripsi:* Reperta est ratio temporis, &c. *Quæ scriptura ejusdem manus est cum glossemate imposito deletis verbis, quod exhibui scripto priùs misso. Ex quibus videtur posse ac debere P. Possinus omnem dubitationem animo pellere.* Hactenus posterior Epistola P. Iosephi Moreti ad P. Martinum de Ezparza.

CAP. VIII.

A quo, quando, & ad quem, qua occasione exarata fuerit ea Scriptura quæ hoc producto nunc primùm Monumento correcta cernitur.

I. NOn est cur me pœniteat consulti secundò P. Iosephi

phi Moreti; cum ejus alteræ pauló superiùs à me descriptæ, quas sic elicui, Literæ multa præcipui usus, & quantivis ad summam rei quæ agitur momenti, me doceant. Primum inter ea numero, quod ex ijs intelligitur, Chartam quam emendavit posteriùs in eam incidens Censor, fuisse Epistolam à quodam Familiæ Xaveriæ domestico Latinè rescriptam & missam Romam in responsum alterius inde acceptæ, qua erat quæsitum: è qua stirpe, quibus Parentibus, & Majoribus, ubi, quo anno in lucem hanc ortus Franciscus Xaverius fuisset: cujus rescripti exemplar, ut solet in ijs fieri, domi retentum, sub peritiores posteà oculos veniens, ea fuerit censura sanatum cujus vestigia videmus.

II. Tempus quo consultatio ista contigit, innuitur ex ætate illic expressâ redditæ ad ipsam continuò, prout humano usu fieri amat, responsionis. Si ergo (quod disertè Moretus fide oculata testatur) ipsi eam Chartam anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto inspectanti, apparuit ante annos circiter nonaginta scripta: manifestum est, anno illam circiter millesimo quingentesimo octogesimo quinto fuisse conscriptam. Venisse consultatricem Epistolam ab aliqua extera Hispaniæ Regione, ostenditur ex eo quod ei Latinè responderetur; qua scilicet lingua qui consultarat, usus fuerat. Romam porrò remissum hoc responsum; illùc nimirum unde interrogatio venerat, demonstrat mentio, Romæ tum degentis Doctoris Navarri, ad quem Consultans à Consultato remittitur, cum spe certioris ex eo notitiæ trahendæ anni vere Francisco Xaverio natalis, cujus non nisi dubiam, & vulgi rumori titubanter innixam, opinionem se interim proferre, quód nihil habeat certius, Scriptor ingenuè fatetur.

III. Hæc manu nos ducunt ad valde verisimiliter opinandum: à Tursellino ipso, scriptionem Vitæ S. Xaverij jam tum anno 1585. Romæ meditante, datas in Navarram ad Domus Xaveriæ Superstites, literas; quibus de stirpe & ortu Indiarum Apostoli doceri postularet. Edidit Opus istud suum primò Romæ Tursellinus anno 1594. Versatum autem diù, ac facilè novem retrò annis, in ejus apparatu

ac conquisitione rerum in eo tractandarum, haud ægrè suaserit quod idem in ejus præfatione profitetur : *se Amicissimorum* suasionibus & *Superiorum autoritate invitatum ad id opus, libenter pro sua erga Xaverium veneratione, aggressum succisivis operis tanti viri memoriam Posteris prodere*. Notentur illa verba *succisivis operis* quæ longæ in istiusmodi commentatione moræ verisimillimam præferunt emphasim. Quare productum in lucem anno 1594. Librum de tali argumento, decennio anterius fuisse destinatum ab Autore, incudique impositum, jure potest censeri : quippe quem non irremissè continuati acrimonia conatus, indesinenter urgendum; sed *succisivis operis*, hoc est, ex intervallis subinde resumpta laboris vice, lentè ac sensim per opportunitates promovendum, Autor profiteatur suscepisse.

IV. Cum igitur jam ab anno 1584. Historiam Vitæ atque Actorum S. Xaverij elucubrandi Turselinus consilium inivisset, quis dubitet scripsisse illum ad eos qui è stirpe Xaveria supererant, quærentem ijs docentibus cognoscere, quæ de tanti Viri origine ac primordijs aliunde sciri non possent? Hoc primum, opinor, venit in mentem inquirenti de stirpe ac natalibus cujuspiam, Cives ejus, Cognatos ac Domesticos consulere. Quare id omisisse Turselinum qui affirmaret; næ is temerè famæ Laudatissimi, & magno suo merito percelebris Historici fœdum pudendæ negligentiæ probrum inureret. Scio alios qui longè posterius de Rebus S. Xaverij scripserunt, ad Navarram & & Domum Xaveriam, parandæ inde notitiæ spe ac gratia, recurrisse. Recordor idem factum à me quoque, cum ante annos decem, occasione Collectionis novæ Xaverianarum Epistolarum edendæ in lucem, curam concepissem aliquam, certius, si possem, aliquid vel serò de Indiarum Apostoli primis originibus discendi. Nec forte id frustrà feci. Etsi enim exculpi tunc nihil potuit: tamen cum Nostri Pompelonenses, quorum ad id opem per Amicos imploraveram, etiam postquam respondissent, se nequidquam eatenus conatos; ab ulteriùs instando, urgendoque non cessarent, unus eorum P. Iosephus Moretus, longanimis in

tali

tali officio perseverantiæ fructum postremò aliquem retulit: *multis* ejus, ut ipse loquitur, *precibus quæsita & tandem reperta Schedula*, superiùs descripta. Minimè igitur fuisse praætermissam à solo Tursellino tam communem omnibus cum cura scribentibus diligentiam, haud solùm ut verisimile propono: sed ut planè certum & indubitabile posse ac debere affirmare mihi videor. Cap. 7.

V. Cum ergo, ut hinc constat, omninò per literas Roma consuluerit, anno circiter 1585, Posteros tunc viventes Domus Xaveriæ in Patriis sedibus Tursellinus: quid ultrà quærimus unde, à quo, & ad quem sit scriptum hoc à Moreto visum manu censoria correctum exemplum Epistolæ eodem tempore isthinc Romam redditæ de S.Xaverij Natalibus agentis? quædam sunt, rerum etiam à conspectu remotarum, ita vehementes conjecturæ, ut dubitationem excludant. An non hæ tales sunt? aut est qui ambigere prudens valeat de his quæ res per se quodammodo ipsa clare videtur ac diserte affirmare? Age, vtrum horum inficiari aut refellere quamvis contentiosus ausit quispiam? An inquisivisse à Domesticis de Xaverij ortu Historicum optimum se accingentem ad ejus Acta literis mandanda? An illi responsum redditum à quopiam in Domo illa tunc reperto, qui bona fide quantum de re quæsita scivit, protulerit; & certiorem, qui facilè consuli à Romæ degente, diversans ibidem Doctor Navarrus, posset, de sibi haud liquidò cognitis indigitarit Autorem? scribi sane Latinè vix potuit ab Hispano domi suæ per literas agente de rebus propriæ Familię, nisi respondendū is haberet Epistolę Latinæ à Regione quadā Extera delatæ. Ætas autem ejus Chartæ deprehensa, ut dictum est, anno 1675, annorum nonaginta, manifestè annum 1585. scriptioni ejus assignat. Præterea mentio intexta viventis Romæ Doctoris Navarri, præterquam, ut est notatum, indicat id responsum dirigi ad hominem Romæ degentem: etiam certum habet Characterem anni proxime saltem præcedentis annum Christi 1586, quo idem Doctor Navarrus, xi. Kal. Iulij, diem ibidem clausit extremum.

VI. Acceptas denique illas à se literas, tantùm non

diser-

disertè profitetur ipse Turselinus, ijs se obsecutum, his verbis sub Præfationis finem, declarans: *Ac de prima ejus* (Xaverij) *ætate pueritiaque pauca quædam exponam, quæ ex Martino Azpilcueta Navarro, homine cum probitate, tum doctrina inclyto, eodemque Xaverij cognato & ferè æquali, paucis ante ejus obitum mensibus ipse cognovi.* Hæc ibi. Ex quibus cernitur, quàm aptè cuncta cohæreant. Responsum ad se è Domo Xaveria datum anno 1585, sub finem ejusdem anni aut initium sequentis Romæ Turselinus acceperit. Nec moram fecerit indicatum illic sibi oraculum consulendi. Adierit igitur Martinum Azpilcuetam Navarrum primis mensibus anni 1586, puta Ianuario aut Februario: ex quo ad Iunium anni ejusdem, quo ut est dictum, Navarrus obiit, tres omninò menses intercedunt. Vt appareat, quàm integra fide scriptum à Turselino sit; se ex eo cognovisse *quædam de prima Xaverij ætate paucis ante ejus obitum mensibus.*

VII. Suggeret hic cuipiam forte Legentium tacita cogitatio: cur igitur edoctus à Martino Navarro Turselinus non est de anno S. Xaverij verè natali, utique de illo ipsum ex præscripto consulens? Causa in promptu est. Quia ipse Navarrus eum ignoravit: falsusque opinione sua scripti Autor ad Turselinum missi fuerat, cum existimaret, natalem Xaverij, quem sibi ignotum fatebatur, Navarro perspectum fore. Sciebat modò certò, ut dixi superius *a* Navarrus, Franciscum Xaverium notabili spatio pluriū annorū Iuniorem se fuisse: quanto præcise intervallo distarent amborum Natales exploratum usquequaque non habebat. Nec mirum est Martinum Azpilcuetam, jam anno 1493. Varasoayni, longe à Castro Xaverio, natum; à prima pueritia domi occupatissimum in elementaribus studijs; qui deinde Adolescentiam Compluti, Iuventutem procul inde trans Pyreneos Tolosæ in Gallia transegerit, de nati Xaverij vero tempore nihil ex se proprie ac familiari conscientia compertum habuisse; de quo ipsi etiam Domestici ejus, ac multò arctiore illi cognatione admoti, dubitarent. Audivit igitur è Navarro Turselinus *de prima Xaverij ætate pueritiaque quædam*, ut ait; de anno natali nihil certius eo

a P. 543.

quod

quod rescripta è Navarra suggerebat Epistola. Quare illa notitia contentus fuit; exploratiorem exactioremque nancisci se posse desperans.

VIII. Minimè verò: inquiet aliquis. Natum enim Turselinus Xaverium ponit anno circiter 1497: cum Charta quam autumas ad illum missam, anno 1496. ejus ortum assignet. Fidei hoc ego & prudentiæ Turselini factum adscribo. Viderat in reddito sibi è Domo Xaveria responso, incerta duntaxat fama ferri natum anno 1496. Xaverium. Non ergo sustinuit id absolutè sic affirmare, ut videri Lectori posset ex indubitato descriptum Archetypo. Quare adverbium *circiter*, quo ea opinio removeretur, apposuit. Rursus sentiens ex supra memoratis à me indiciis, ipsi obiter animadversis, multò minorem apparere Xaverij ætatem quàm quæ tali ex hypothesi inferretur; statuit, quantum posset inferiùs trudendam ejus natalis epocham. Itaque unum saltem de summa nimia detraxit annum; quod salva videbat fide fieri licerè, beneficio particulæ *circiter* ad duos minimum annos ancipitis: ut hac addita, quem autor incertus dicat anno 1496. natum, ejus citra mendacij periculum, in annum 1497. conferri natalis queat. Sic utrique malo; & simulandæ notitiæ certioris ea quam esset nactus; & augendæ ultrà quàm res ferret Xaverij ætatis, prout fas fuit, occurrit: miserandus potius in tali destitutione idonei testimonij; & moderationis nomine commendari dignus, quàm ulli ob hoc reprehensioni obnoxius.

IX. Atque ista ego his experimentis perspecta Turselini verecundia & æquitate fretus, affirmare haud dubitaverim: cessurum eum fuisse perfacilè, perque libenter, si hoc illi, quod nunc demùm producimus, videre monumentum contigisset. Quocirca meo jure deprecor, ne quis autumet, contrà Turselinum hac scriptione me venire. Ei quippe obsequor potiùs & defero, dum quod illum mihi constat, si præsens adesset, fuisse acturum; id non modò illum boni consulere fieri à me; sed velle atque ultrò jubere interpretor. Facessat livor omnis & obtrectatio: neu quis in quo Veritati servimus, calumnietur nos derogare

Cari-

Caritati. Non litem movemus improbam. Nec irreverenti audacia novitatem opponimus vetustati, Maiorum autoritate conculcata. nihil à nobis excogitatum proferimus. Scriptum antiquum, quo Turselinus, sine ulla sua culpa, in errorem est inevitabilem, ipsique non imputabilem, inductus, producimus, manu perita emendatum. Sicque fontem ipsius erroris obstruimus: &, ut hasta olim quædam in Græcorum Troicis Fabulis, vulnus quod fecerat, sanabat; sic malo importato per Epistolam è Domo Xaveria olim ad Turselinum missam; prolata eadem jam correcta, medicinam facimus. Sed de autore, atque autoritate Correctionis ejusdem, res & ordo exigit ut aliquid addamus.

CAP. IX.

Quis Correctionis Autor: & quanti ea ponderis haberi debeat. Occurritur Objectionibus quibusdam.

I. SI post annum 1586. vixisse constaret Ioannem Azpilcuetam, quem ex S. Xaverij superius laudata ad ipsum Epistola scimus, successisse jam ante annum 1535. in Majoratu & Primogenitura Domus Xaveriæ Michaëli fratrum maximo; non alium quærendum existimarem cui tribueretur ista censura. Pronum quippe fuit, incidentem eum in exemplum domi servatum Epistolæ mendosæ se absente rescriptæ, admovisse illi censorium stylum; & popularem in ea propositum errorem, pro sua & Patris-familias autoritate, & conscientia tum paternæ traditionis, tum domesticæ rerum, quas viderat & memoria tenebat, experientiæ, correxisse. Nec obstat quod se ipse non prodat: utique indefinite, atque in persona tertia loquens. Ita enim qui notas apponunt libris aut scriptis indices sensuum improbantium ea quæ legunt, facere plerumque consuevere. Cum autem, ut Moretus in suprà *a* recitata Epistola posteriore oculato Testimonio affirmat, verba Latina superscripta lituræ, aliaque ad marginem apposita, eadem

a Cap. 7. num. 4.

exara-

exarata forma literarum appareant, qua conscripta inferiùs cernuntur Hispanica quædam verba, significantia ex quo fundo hausta fuerit utraque illa, tam interlinearis, quàm marginalis, annotatio; causa offertur idonea suspicandi, manum in his omnibus esse unam eandemque Ioannis Azpilcuetæ: cujus personæ Character in hoc extat; quod in Hispanica sententia ea produntur quæ soli nota ipsi esse videntur potuisse.

II. Allegatur illic videlicet *Liber Manualis Ioannis Azpilcuetæ*: hoc est, ejus Ephemerides & Adversaria diurna. Hujusmodi porrò Commentarij familiares quibus quisque ad usum memoriæ annotat occurrentia, non alijs esse perspecti quàm ipsis scribentibus solent. Vnde qui arcana istiusmodi scripta laudat, eumdem se esse qui exaraverit indicat. Præterea memoratur illic *Libellus Domini de Iasso Patris Ioannis Azpilcuetæ*: archetypa scilicet Senis scriptura, in secretis olim ipsius scrinijs servata; quorum clavem quis alius habere potuit, quàm Princeps tunc familiæ Xaveriæ Ioannes Azpilcueta, qui, uti nos docet Sanctus ipse Xaverius, in universam Domus illius ac stirpis Præfecturam morte Michaëlis fratris Primogeniti successerat, & seduċtissimarum quarumque paternarum apothecarum claves, inspectionem, & plenum arbitrium, hereditaria Patris-familias autoritate obtinebat.

III. Ipse igitur fuerit Ioannes Azpilcueta qui ea scripsit: etsi, quod nihil attineret ibi quis esset exprimere, in tertia de se persona sit locutus: contentus & Patris sui D. Iassi Libellum, & suum ipsius Manuale, rerum in utraque, vel interlineari, vel marginali, Annotatiuncula assertarum, fundum utique idoneum protulisse, ut nemo videns dubitare de illarum fide ac veritate deberet aut posset. Correctio vero ipsa sic verisimiliter contigit. Aberat domo plerumque Azpilcueta, ut ejusmodi Nobiles solent privatis publicis-ve negotiis avocantibus. Eo igitur alibi rem aut Domesticam, aut Publicam curante, perlata in Domum Xaveriam fuerit Romana de ortu & stirpe Xaverij percontatio: cui qui tunc illic fuerunt, responsum protinus, ut fit, reddiderint eadem Latina lingua qua fuerat interrogatio

concepta : eoque responso ingenuè expresserint quid vulgò crederetur de Francisci Xaverij natali anno, cujus ipsi præstare veritatem nollent : propterea que indicarent Doctorem Navarrum Romæ degentem, ex quo peti & sperari certius de re illa testimonium posset. Rescripti porrò istius Romam missi pariculum, sive apographum, retinuerunt. Quod domum serò reversus forte reperiens Ioannes Azpilcueta, id emendaverit, prout conspicitur in Charta quam Moretus exscripsit: delendo bis falsum assertum, & superscribendo lituræ, adscribendoque in exteriori ora quod utrobique extare dictum est. Tum ne quis simili occasione in posterum erraret, aut dubitaret de suæ correctionis autoritate, Hispanica illic vulgari lingua inferiùs adjunxerit: quæ ibi affirmarentur, fuisse sumpta è Patris sui Libello, & sui ipsius Manuali.

IV. Hæc utcumque negari nequeat quin sint prona factu, & veri per quam similia, æstimantibus res ex vulgari usu: tamen si quis pertinaciter reluctetur, haud contendam cum eo præfactiùs; facileque me remittam ad concedendum: non à Ioanne Azpilcueta, sed ab alio post ejus obitum in locū ipsius ac potestatem suffecto, emendatam Chartam quam Moretus vidit. Emendatam autem ex visis à Censore testimonijs Manualis Azpilcuetæ & Libelli Iassi: unde autoritas correctioni irrefragabilis accedit. Nec contra hoc militat ætas allegata Chartæ istius annorum nonaginta retrò numerandorum à proximè præterito Iubilæo 1675: quasi ex ea necesse sit, jam tum eodem anno 1585. quo Charta conscripta est, etiam eamdem fuisse correctam. Nihil est enim opus æquævam primæ Scripturæ fuisse correctionem. Satisque constabit affirmationi Moreti de nonagenaria senectute Chartæ quam vidit, sua veritas, licet longè junior in ea deprehendatur antiqui erroris emendatio. Quin & hoc aliquantò ad rem nostram videri poterit commodius. Si enim statim à responso Romam misso animadversum ejus vitium fuisset, scripturi probabiliter huc denuò fuerant autores Responsi, & officiose declaraturi: quid post priores datas literas contigisset ipsis exploratius de proposita Quæstione cognoscere.

Corre-

Correctione autem tantò seriùs post aliquot demùm annos facta, si superstites ij & præsentes fuerunt, vel rem obliteratam, vel non ampliùs integram existimantes, isto se teneri officio non putarint.

V. Perinde igitur mihi quidem est, Ioannes-ne Azpilcueta; an alius quilibet, autor existimetur emendationis quæ in nuper prolato Monumento cernitur. Nec enim, utcumque sit, de ipsius quidquam autoritate detrahitur; quippe quæ non à Censoris qualicumque persona, sed à fide allegatorum illic duorum indubitatissimæ veracitatis Testium ducitur. Quod ibi Censor asserit de S. Xaverij anno & die natali, depromere se affirmat ex Manuali Ioannis Azpilcuetæ, ex Libello Ioannis de Iasso: quorum hic S. Xaverij Genitor, ille Germanus major fuit. Vtervis horum spectasse potuit suis oculis S. Xaverium nascentem; & ex certissima memoria tradere, quo ejus ortus die, mense, anno evenerit. Parùm verò interest, talium-ne vox de hoc quod norunt affirmantium audiatur: an scriptum manu ipsorum testimonium recitetur. Quisquis aut qualiscumque tandem is est qui scripturam de S. Xaverij Natali veterem expunxit, interpolavit; glossemate inter versus inserto, verbis ad Chartæ oram è regione illitis, castigavit; idem ipse quidquid novum profert, se hausisse profitetur ex Iassi Libello, ex Azpilcuetę Fratris senioris Manuali. En unde illi fides sit. Hinc quantævis firmitatis robur tali hujus affirmationi competit. Idque (quod magnopere observandum arbitror) judicio eorum cuja res est, quorum præsertim interest, qui veri & legitimi à cunctis habentur istiusmodi controversiarum Arbitri.

VI. Consideret hoc quæso; & de eo, libera præjudicijs æquitate, syncerè decernat prudens Lector. Illustrissimus Dominus Ioannes Antonius Comes Xaverij, Caput & Pater-familias hodiè vivens antiquissimæ ac nobilissimæ Domus Xaveriæ, inventam recens à se hanc in Tabulario domestico Chartam pro certo & magni momenti testimonio habet: id monumentum indubitatæ fidei, autoritatis summæ putat esse; ut tale custodit sollicite, fidenter ostendit. Quis ejus in re tali judicium revocare in-

dubium, & suæ censuræ subiicere; exterus præsertim, & lato marium ac terrarum intervallo dissitus, audeat? Periere dudum codicilli & commentarij privati de S. Xaverij ortu Ioannis de Iasso Patris, Ioannis Azpilcuetæ majoris fratris: qui si anno 1585. in manibus superstitum Domus ejus in illa degentium extitissent, ex ijs fuisset consultanti Turselino responsum. Sed illi tunc latebant: deinde, ut dixi, vel edaci temporis dente arrosi, vel alio absumpti casu, perierunt. Nunc eorum super ista re affirmatio hac charta repræsentatur. Exscribitur in illa testimonium Ioannis de Iasso Parentis, Ioannis Azpilcuetæ Majoris natu Germani. Exscriptum vero utrumque suffragium hic cernitur antiqua & authentica manu, quam Princeps hodiè Familiæ ex notis domesticis pro verè avita & incunctanter credenda se profitetur agnoscere. An restat pudenti & non improbæ recusationi locus ullus? Equidem asseverare iterum ausun: si de correctione missi ad se responsi admoneri vel serò post suam editam Historiam quomodocumque Turselinum contigisset, à quolibet è Domo Xaveria, nedum ab ejus Capite ac summo Moderatore, acquieturum illum subitò fuisse, & proxima editione quod ex mendoso indicio posuerat, mutaturum. Cur Nos hodiè minùs par aut major autoritas moveat? aut quare tergiversemur in protinus amplexanda venerandaque proferente se nunc tandem quasi è puteo Democriti, ubi per sæculum demersa jacuit, veritate?

VII. Nec curiosum aut morosum esse convenit in argutando: cur hodie demùm prodit hoc scriptum? aut quibus latebris tanto tempore sepultum mansit? Age, insolitum-ne est magni usus Scripturas diù latere, desiderantium vota, inquirentium studia frustrari; casu postea emergere dum minimè sperabatur, atque in ijs ipsis interdum reperiri locis, in quibus acri cura, indefessa, sed irrita sæpe ac diù quæsitæ diligentia fuerant? Innumera referri eventuum istiusmodi exempla possent: unum modò ponam ex Sacra Historia. Libro IV. Regum Capite XXII. mentio fit Libri cujusdam in Templo Hierosolymitano ab Helcia Pontifice, regnante Iosia, fortuitò reperti; qui

Liber

Liber cum illic esset à principio: tamen sub tot alijs à Salomone Regibus visus non fuerat: Iosiæ demùm principatu detectus & prolatus. Licuisset-ne tunc argumentari: sub Ozia, sub Iosaphato, sub Ezechia, sub tam multis reliquis Regibus Iuda liber ille non comparuit. Igitur quando productus regnante Iosia est, reiici, explodi ut confictus & suppositititius debuit? Impiam & temerariam futuram exceptionem tam est evidens, quam ex sacris Oraculis certum, piè ac religiosè fecisse sanctissimum illum Regem, qui summa veneratione repertum istud volumen excepit.

VIII. Pariter ergo gratè accipiamus & Nos beneficium sortis: credamus ocularis autoritatis idoneæ Testibus. Oblatum pro authentico à Principe Xaveriæ Familiæ Monumentum ne aspernemur. De re cuique domestica ex visu affirmanti, fit injuria ni credatur. In hac Charta verè allegari Tabulas arcanas Iassi Patris & Azpilcuetæ Fratris, de die atque anno S. Xaverij natali, Illustrissimus Comes Ioannes Antonius Xaverius ait: attestantur Antonius Arrieta, & Iosephus Moretus, in vicinia Castri Xaverij Pompejopoli degentes, omni fide digni Societatis Iesu Sacerdotes. Credamus, ácquiescamus, si quis pudor est, si qua humanæ fidei reverentia. Nec nobis arrogemus: Saniùs nos ex tanto intervallo de re ad Navarram pertinente posse arbitrari, quàm Viros gravissimos illic natos, educatos, degentes, præsenti conspectu edoctos, plena peritia instructos usuum, rituum, consuetudinum istius Domus & Regni: ex quorũ omnium inter se comparatorum à coràm intuentibus in unam consentaneam speciem concursu, evidentia exurgit, dubitare ipsos de re per experientiam sensuum perspectissima non sinens. Nos, etsi pleraque singularia quæ subjecta isthic oculis eos ad persuasionem irrecusabilem rapiunt, ex tanto hic spatio haud pari evidentia cernimus, decet tamen & par est, Gravium Virorum in re illic præsenti versantium testimonio deferre quantum ratio, usus, jus credulitatis humanæ, docilitatisque sapienti probitate ac verecundia temperatæ vulgò commendatum officium postulat.

IX. De-

IX. Denique si quis eo moveretur ad non credendum hactenus dictis, quod inter cæteras in apparatum Canonizationis S. Xaverij editas Scripturas, extat Cardinalis de Monte Relatio, in qua ejus S. Viri Natalis anno 1497. adscribitur: næ is se rudem & hospitem in talibus, nec non superstitiosè pavidum monstraret. Istiusmodi Summaria Causarum in Sacræ Rotæ aut Congregationis Rituum Judicijs producta, in ijs quæ locum ac tempus spectant, è libris aut chartis oblatis, nulla nova inquisitione de his instituta, describuntur: ideoque nihilò majorem obtinent autoritatem, quàm quanta per se fides est primorum Autorum. Tantum vero abest, ut sua ejus generis, aut suorum in causis talibus Præsidum vel Consultorum dicta, Sacra Rituum Congregatio vim habere præjudiciorum irrefragabilium velit: ut ne Lectiones quidem quas Romano inserit Breviario, quoad ea quæ Chronologicas rationes spectant, firmitatem habere prorsus sacrosanctam, & usquequaque indubitabilem jubeat.

X. Exemplum ejus sapientissimæ moderationis extat perillustre in Sacris Fastis die Februarij septima, ubi Summarium Vitæ S. Romualdi recitandum inter sacra officia proponitur, affirmans inter cætera: Sanctissimum venerabilis Ordinis Camaldulensis Patriarcham: *Cum annos centum & viginti ageret; & centum ipsos in summa vitæ asperitate Deo servisset, ad eum migrasse, &c.* Cardinalis Baronius, qui aut ipse inter Purpuratos Patres Sacris Ritibus Præfectus fuit; aut saltem illius Sacri Tribunalis jura & scita, ut habuit sine dubio perspectissima; ita ea observare & exequi neglexisse, haud credi ab ullo potest, judicium de hac nota temporis suum his verbis profert Tomo suorum Annalium XI. Ad annum 1027. Num. XIII. *Hoc anno ponitur obitus S. Romualdi: cujus vitam egregiam Petrus Damiani conscripsit anno decimo quinto post ejus mortem. Verum cum dicit: vixisse annos centum viginti, numerum ejusmodi non invenio.* Deinceps ratiocinari pergens demonstrat, ex initio Vitæ Monasticæ S. Romualdi ab ipso Petro Damiani disertè signato, si anni centum usque ad ejusdem obitum numerandi sint, sequi manifestè, ipsum

Petrum Damiani qui vitam illius scripsit, & vidit eundem Canonizatum decennio priusquam scriberet, tamen ante ipsum fuisse mortuum. Vnde Nostri Bollandus & Henschenius Tomo secundo sui Februarij Pag. 103. ineluctabiliter evincunt, depravatum olim fuisse locum illum in Vita S. Romualdi per B. Petrum Damiani scripta: & argutè conjectantur; cum Petrus Damiani rectè potuisset: *vixisse Romualdum annis* LXX, quemdam ejus Exscriptorem oscitantem C pro L substituendo, septuaginta in centum viginti commutasse, errore diù non animadverso: sed comparanti ritè omnia, tam evidenti, ut ejus hodiè falsitas nulla possit excusatione contegi.

XI. Cum ergo ne Liber quidem Ecclesiasticarum Precum, proxima licet Canonicis dignari veneratione solitus, si veterem de Natali S. Xaverij Opinionem è vulgatis exscriptam Historijs exhiberet, deterrere Nos, ut allato exemplo est comprobatum, minimè debuisset, quominus si quà certiora nacti essemus ejus rei documenta proferremus; quantò minùs conturbari nos convenit, allegata Relatione Cardinalis de Monte? summæ illa quidem gravitatis autoritatisque in cæteris ad causam propriè pertinentibus cunctis, ubi de virtutibus Sanctissimi ejus Viri, & impetratis ejus oratione curationibus, mirisque plurimis testatissimis eventibus agitur: in quæstione autem Chronologica, quando aut famam sequitur olim sparsam, aut editas Narrationes citrà explorationem novam, relicta penes Autores fide, dicis tantum causa recitat, haud sanè volente valente ve prohibere, ne detecta posteriùs contraria veritas, & ostendatur palàm, & in locum sibi jure debitum, veteri errore aliquando convicto dejectoque, postliminio reducta reponatur.

CAP. X.

Chronologica Ordinatio Vitæ atque Actorum S. Xaverij ex Epocha veri Natalis ejus.

I. PRovectæ jam ulteriùs quàm aut mea inceptantis destinatio, aut argumenti fortasse natura poscebat Disputa-

putationis vela contrahendi tempus est, Portusque subeundi, qui paratus & commodus è proximo invitans se ostentat. In eo, prout ex Indiis reduces in Patriam Institores solent, evolvamus licet, ac distinctè lustrata numeremus, æstimemusque quæ attulimus. Recenseamus, inquam, & applicando ad Historiam aptemus quæ nos missum à Moreto monumentum omni dignum fide docuit. Natus in eo affirmatur, ex Iassi Patris & Azpilcuetæ fratris Majoris arcanis scriptis in unam assertionem conspirantibus, S. Franciscus Xaverius, die septimo Aprilis Anni millesimi quingentesimi sexti. Numeravit ille Christi Annus Cyclum Solis XIX. cum Litera Dominicali E: Cyclum vero Lunæ XI. Quorum concursus Pascha confert in diem vicesimum Aprilis. Feria igitur secunda Hebdomadæ quam vocamus *Passionis* ortus in hanc lucem est Indiarum Apostolus Xaverius. Idem ubi anno ejus sæculi quarto & vicesimo ætatis attigisset octavum decimum, missu Iassi Parentis Lutetiam pervenit: unde cum eum anno pòst altero aut tertio, circiter sextum & vicesimum sæculi fluentis, revocare Pater cogitaret, ab ea mente deductus est literis in tempore perlatis filiæ Magdalenæ Iassæ Xaveriæ jam Abbatissæ Gandiensium Excalceatarum, Virginis Sanctissimæ, quæ anno post hoc quinto circiter aut sexto, Christi 1533, die 20. Ianuarij, morte felici ad Cœlum transiens, ibi à Deo impetravit conversionem Fratris Mundo plus nimium addicti. Ea contigit vertente fermè post Magdalenæ obitum anno; mensibus primis anni Christi 1534: quando ipse Xaverius annum ætatis numerabat *ferè septimum & vigesimum*; ut exactè signavit id narrans Noster Orlandinus: utique nondum inchoato vigesimo octavo; quem die 7. Aprilis erat auspicaturus.

Pag. 24. v. 5.

II. Anno eodem, die 15. Augusti mensis, Assumptæ in Cœlos Deiparæ sacro, S. Xaverius in Monte Martyrum prima Societatis vota nuncupavit, cum S. Ignatio, & quinque alijs Socijs, Fabro, Lainio, Salmerone, Bobadilla, & Roderico: cum ipse anni ætatis vigesimi octavi quintum mensem ab octo diebus inivisset. Anno 1535. Idem S. Ignatio in Hispaniam proficiscenti literas Fratri suo Majori

Ioan-

Ioanni Azpilcuetæ reddendas dedit die 25. Martij: duodecim diebus ante initium anni ætatis suæ vigesimi noni: quem cum absolvisset die 7. Aprilis recurrente anni sequentis 1536, sub finem ejusdem iter cum Socijs aggressus, Lutetia Venetias ad præstolantem ex condicto S. Ignatium pervenit Idibus Ianuariis 1537. duobus ferè mensibus prius quàm auspicaretur primum & trigesimum vitæ annum. Mox Romam per jejunium vernum cum Socijs octo, hærente Venetijs S. Ignatio, profectus; veneratus illic Summum Pontificem Paulum III, Venetijs se reddidit sub initium primi post trigesimum vitæ suæ anni; cujus mense tertio Sacerdos ritè consecratus est, ab Arbensi Episcopo Vincentio Negosantio: primitiasque Sacrificij paucis post mensibus Vicentiæ obtulit.

III. Annis inde pauló plus duobus, in varias, Infirmis ministrandi, concionandi, confessiones audiendi, Vicentiæ, Bononiæ, Romæ, functiones impensis, destinatus in Indias S. Xaverius, cum D. Petro Mascarenia Ioannis III. Lusitaniæ Regis in Vrbe Legato, Roma discedit, XVII. Kal. Aprilis Anni 1540; duobus omnino & viginti diebus ante principium anni ætatis suæ quarti & trigesimi. Pervenit Vlyssiponem sub finem Iunij; illicque toto reliquo anno, sæculi quadragesimo, moratus, sequenti 1541, septimo Idus Aprilis, ipso suo anniversario natali, annum inchoans ætatis quintum & trigesimum, solvit in Indiam. Goam appulit anno 1542. pridie nonas Maij, mense primo anni ætatis suæ Sexti & trigesimi.

IV. Varias hinc ejus per quadriennium Expeditiones, successuum in Christi gloriam & Regni ejus dilatationem ingentium fœcundas, Comorinensem, Travancoranam, Ceilanam, Meliaporensem, & si quas alias, subtiliter distinguere, apposita cuique sua temporis nota, plus tædij quàm operæpretij afferret. Est tamen cur istam diligentiam uni earum Amboinensi adhibeam, causa peculiaris. Anno igitur ineunte Christi 1546, Xaverius IV. Idus Ianuarij Malaca solvens, nongenta passuum millia minus sesquimestri emensus cursu, Insulam magnam, frequentem, & nobilem, Amboinum dictam, tenuit XVI. Kal. Martij; in eaque toto 14. Febr.

Ffff trime-

7. April. trimestri res magnas gerens, inivit septimo Idus Aprilis annum ætatis quadragesimum. Cuidam tamen Roderico, cujus testimonium ex Inquisitione apud Philippinas Insulas pro ejus Canonizatione legitimè habita recitavi superius Cap. VI. Quinquennio major est visus. Accersita videlicet ærumnis aliquanto excedente verum ætatis modum senectutis specie.


V. Anno inde tertio, Christi 1549, Iaponiam cogitans, Cocino solvit Malacam versus septimo Kal. Majas, ut ipse
25. April. scribit Ep. XI. Libri quarti novæ Collectionis. Inchoabat tunc annum tertium & quadragesimum ætatis: cujus quar-
15. Aug. tum mensem absolverat, quando XVIII. Kal. Sept. Assumptæ in Cœlum Deiparæ Sacra Luce, Cangoximam Iaponiæ portum appulit. Expleto in Iaponia biennio, tribusque ferè insuper mensibus, inde discessit Indiam repetens Novembri mense, Anno Christi 1551, mensem agens octavum quinti & quadragesimi vitæ anni. Goam pervenit mense Februario anni 1552: ubi delecto per Alfonsum Noroniam Indiæ Proregem Iacobo Pereria, qui Regis Lusitaniæ nomine Legationem ad Regem Sinarum obiret,
7. April. comitaturus ipsum Xaverius, VII. Idus Aprilis, quo die annum auspicabatur vitæ sextum & quadragesimum, Collegii Goani Rectorem, suique per instantis peregrinationis absentiam in regimine Societatis universæ per Indias Vicarium instituit Gasparem Barzæum. Extant ejus rei testes Literæ Lib. VI. Novæ Collectionis num. 2.

VI. Disiectis posteà invidia Præfecti Malacensis, Legationis Sinicæ consiliis; progressus in Sancianum Insulam, animo in Sinensem inde Continentem penetrandi, tanti cepti conatibus immoritur postridie Kalend. Decembris quatuor integris mensibus, & diebus præterea quinque priusquam annum ætatis septimum supra quadragesimum attingeret. Aptè in eum quadrante sacro illo elogio Libri Sapientiæ: *consummatus in brevi explevit tempora mul-*
Cap. IV. 13. *ta. Senectute* canus ille quidem *venerabili*, ut ibidem Auctor canonicus loquitur, sed *non diuturna, neque annorum numero computata*. Nec nimis mirabitur quisquam, tot tam Barbaras Gentes adeò longinquis in Regionibus Christi

Re-

Regno adjungi potuisse per Virum Apostolicum, cui ad ætatem quinquagenariam triennium deesset; si ei veniat in mentem: Sanctum Carolum Borromæum, tot & ipsum tantisque rebus gestis, haud seniorem mortuum: Alexandrum verò Macedonem, tot Regnis Asiæ, Indiaque ipsa, bello perdomitis, decessisse anno ætatis tertio & trigesimo nondum expleto.

VII. Haud contemnendum postremò duxerim illud quasi dicam ΠΑΡΕΜΠΟΡΕΥΜΑ, quo uno Græci verbo multa hæc Latina colligunt: *non quæsita mercis auctarium vltrà votum Institoris ex occasione lucro appositum*: notitiam, inquam, ultrò ac supra spem nobis hoc monumento ingestam gradus cõsanguinitatis quo P. Hieronymus Xaverius Sanctum Indiarum Apostolum contingebat. Alegambe & ex eo Sotuelus Nostri, in hujus elogio, illum *Magni Francisci Xaverij Indiarum Apostoli cognatum*, fuisse scribũt: non tacituri, si scirent, quod nunc docemur: ex Anna Francisci sorore natum ipsum. Nec degener Avunculo, navavit & ipse in Indijs operam; Mogolisque imperio subiectas Gentes Apostolicis diù laboribus excoluit. Scriptis quoque Libris clarus: sed multò clarior confessione generosa Christianæ Fidei coràm Tyranno & per se irato, & infesti Apostatæ fraudibus ac calumnijs in ipsum ita concitato, ut omnium opinione prorupturus in continuò jubendam ejus necem videretur. A quo tamen is, Deo cor Barbari moderante, se continuit. At aliàs idem Pater in regia Vrbe Lahore, irritati in se ob Evangelij Prædicationem Populi lapidationem vix salvus evasit. Tandem plenus meritis, Goæ anno 1617. placida morte defunctus, sanè dignissimus est cujus veros natales ex certo testimonio nunc primùm nos cognovisse, meritò gaudere debeamus.



LAVS DEO.

PRIMVS INDEX
Alphabeticus Duorum & quinquaginta è Societ. Iesu, quorum Cædes ab Hæreticis in Fidei odium illatæ, hac Historia referuntur.

I. ALexius Delgadus Elvensis Scholaris Soc. ab Hæreticis submersione peremptus die 15. Iul. 1570. Pag. 368. 399.
II. Alfonsus Fernandez dejectus ab Hæreticis in mare, multis horis innatans Deum laudando, tandem inter recitandũ Psalmum quinquagesimum aquis haustus interijt die 14. Sep. Ann 1571. p. 522.
III. Alfonsus Vaẽna Toletanus Goadjutor, arte Aurifex, triennio in Societate exacto, aquis extinguitur ab Hæreticis die 15. Iulij 1570. p. 368. 399.
IV. Alvarus Mendez Elvensis in Soc. Scholasticus, in Oceano Hæreticis mergentibus suffocatur die 15. Iul. 1570. p. 368. 400.
V. Amarus Vaz Portuensis in Societate Coadjutor, demersus ab Hæreticis 15. Iul. 1570. p. 368 404.
VI. Andreas Gonzalvez natus in Vrbe Viana Diœcesis Eborensis, Scholaris Soc. demersus in odium Fidei die 15. Iul. 1570. pag. 368. 404.
VII. Andreas Pais Patria Lusitanus Projectus in mare ab Hæreticis sub vesperam die 14. Sept. ann. 1571, perstitit aquis innatans usque ad noctem circiter mediam in Sanctis affectibus verbo expressis, quos qui audivit consors periculi, postea casu servatus, retulit. tandem Iesum & Mariam invocans aquis absorptus est. p. 523.
VIII. Antonius Correa Portuensis Scholasticus in Societate, prænunciatam sibi dudum antea divinitùs pro Christo mortem Libens alacerque perpessus est, præceps datus ab Hæreticis in mare, die 15. Iul. 1570. p. 322. 408.
IX. Antonius Fernandez ex oppido Montis-majoris Novi Coadjutor, Faber Lignarius, in mare conjectus ab Hæreticis, die 15. Iul. 1570. p. 403.
X. Antonius Suarez Petraganensis in Soc. Scholaris, obijt demersus ab Hæreticis die 15. Iul. 1570. p. 396. 397.
XI. Benedictus de Castro natus Ca-

Cachimi, quod est oppiduũ Diœcesis Mirandensis in Lusitania, novem annis in Soc. religiosè actis, magnam partem in studijs Literarum, Magister Novitiorum ab Azevedio delectus, dum Crucifixi effigiem manu tenens fidem Catholicam profitetur, & Hæreticos increpat, ab ijs tribus globis plumbeis traiectus, & octo pugionum ictibus confossus, in fluctus adhuc spirans proijcitur die 15. Iul. 1570. p.343.

XII. Blasius Riberius Bracarensis in Soc. Coadjutor, cranio confracto ita ut cerebrum exiret, mersus ab Hæreticis suffocatur. die 15. Iul. 1570. p.350.

XIII. Didacus de Andrada ortus è Pago Petragano vulgò *Pedroga* dicto, Diœcesis Conimbricensis, Sacerdos Societatis, idoneus ab Azevedio iudicatus qui Socijs sub se præesset, deprehensus ab Hæreticis dum confessiones audit, in odium eius Sancti Ministerij multis confossus pugionum ictibus eijcitur in fluctus die 15. Iul. 1570. p.366.

XIV. Didacus Carvalius Lusitanus, Societatis Novitius in odium Fidei Catholicæ ab Hæreticis in mare proiectus suffocatur die 14. Sept. 1571. p.526.

XV. Didacus Perez Patriã Nissã Pagum aut Oppidum in Prioratu Cratensi habens, Scholaris Novitius Societatis dum Fidem profitetur transfixus hasta, & proiectus ab Hæreticis in mare, moritur die 15. Iul. 1570. p.343.

XVI. Dominicus Fernandez natus Villavitiosæ, in Soc. Coadiutor, ab Hæreticis in odium Fidei demersus obijt die 15. Iul. 1570. p.368. 398.

XVII. Emanuël Alvarez Eborensis in Soc. Coadjutor, signo Crucifixi alte sublato dum Catholicos adhortatur, Hæreticos increpat, ab his humi dejectus crurum & brachiorũ crudelissimam cófractionem fortissimè tolerat: & diù post acerbissimos dolores etiam lætanter perfert. denique adhuc spirans proijcitur in mare die 15. Iul. 1570. p.346. 349. 359.

XVIII. Emanuël Fernandez natus Celorici, quod est oppidum Guardensis Episcopatus in Lusitania, Scholasticus in Soc. mersus ab Hæreticis odio Fidei moritur die 15. Iul. 1570. p.368. 400.

XIX. Emanuël Paciechus in Soc. scholaris, ex Vrbe Zeita oriũdus, mari haustus obit, eò proiectus in odium Catholicę Fidei die 15. Iul. 1570. p.344. 403.

XX. Emanuël Rodriquez Patriam habuit Alcochettam vulgò *Alcouchete* oppidum Lusitaniæ, Scholasticus in Soc. ab Hæreticis submergitur odio Fidei die 15. Iul. 1570. p.344. 400.

XXI. Fer-

XXI. Ferdinandus Alvarez Lusitanus, Scholaris in Soc. votis post biennium emissis, demersus ab Hæreticis, multis horis supernatans in continua Dei laude, tandem Psalmorum versus pronuncians mari haustus obit die 14. Sept. 1571. p. 523.

XXII. Ferdinandus Sanchez ortu Castellanus, in Soc. Scholasticus, mari absorptus perit demergentibus Hæreticis die 15. Iul. 1570. p. 368. 408.

XXIII. Franciscus Alvarez Covillanius à Patria, oppido Covillano, dictus, Coadiutor in Soc. in mari submergitur ab Hæreticis die 15. Iul. 1570. p. 368. 398.

XXIV. Franciscus Castrius Lusitanus ex Arruda oppido Sacerdos in Societate, deprehensus ab Hæreticis in Nave dum moribundum absolvit, odio rabioso ejus Sacræ functionis plus viginti gladiorum ictibus confoditur die 13. Sept. 1571. p. 473.

XXV. Franciscus Magallanez Lusitanus ex Oppido Salacia, vulgo *Alcasarsalis*, Scholaris in Soc. domo nobilis, & ob virtutem Azevedio gratissimus, præceps datus ab Hæreticis è Navi, aquis haustus interit, die 15. Iul. 570. p. 368. 401.

XXVI. Franciscus Paulus, Novitius Soc. Iesu in odium Fidei deiectus à Piratis Hæreticis in mare, moritur. die 13. Sept. 1571. pag. 483.

XXVII. Franciscus Perez Godojus Turrigiensis ex Diœcesi Toletana, consanguineus S. Theresiæ, Scholaris Soc. Iesu, se & Socios ad Dei amorem hortans, ab Hæreticis confossus, demergitur die 15. Iul. 1570. p. 415.

XXVIII. Gaspar Alvarez Portuensis in Soc. Coadiutor ab Hæreticis in odium Fidei mari mersus die 15. Iul. 1570. p. 368.

XXIX. Gaspar Goisius votis in Soc. post biennium emissis in Scholarium gradu, à Piratis Hæreticis de Navi deiectus necatur die 13. Sept. 1571. p. 473.

XXX. Gonsalvus Enriquez Portuensis, Scholaris in Soc. in Diaconatus Ordinem promotus, moritur pro Christo mersus ab Hæreticis die 15. Iul. 1570. p. 344. 399.

XXXI. Gregorius Scrivanus Logroniensis, Castellanus, in Soc. Coadiutor, morbo decumbens dum Socij ad necem pro Christo raperentur, veste raptim sumpta eos sequitur, & demersus occumbit die 15. Iul. 1570. p. 368. 408.

XXXII. Ignatius Azevedius Portuensis, Professus quatuor Votorum, Visitator Brasiliæ, Fidem Catholicam coram Hæreticis profitens, quinque magnis Vulneribus cadit, Deiparæ Sacram Imaginem manu tenens. die 15. Iul. 1570. p. 340. 341.

XXXIII. Ioan-

XXXIII. Ioannes Alvarez Lusitanus votis post biennium emissis in mare ab Hæreticis, coram quibus Fidem Catholicā generosè propugnaverat, in ejus odium dejectus moritur die 14.Sep.1571. p.520.
XXXIV. Ioannes Baptista de Zafra Toletanus, in Soc. Coadiutor, pro Christo moritur demersus ab Hæreticis die 15.Iul.1570.p.368. 417.
XXXV. Ioannes de Baeza Hispanus in odium Fidei ab Hæreticis mari mersus necatur die 15. Iul. 1570.p.368.
XXXVI. Ioannes Fernandez Bracarensis, in Soc Adiutor Laicus, ob Fidem ab Hæreticis demersus interit die 15. Iul.1570.p.368.
XXXVII. Ioannes Fernandez Vlyssiponensis, Scholaris in Soc. votis post biennium emissis, in odiū Fidei necatur ab Hæreticis die 15.Iul.1570.p.368.397.
XXXVIII. Ioannes à Sancto Martino Toletanus, ut Quidam produnt, ut Alij, Illescanus, in Soc. Scholaris; Proiectus in mare ab Hæreticis, moritur, die 15. Iul. 1570.p.368.417.
XXXIX. Ioannes de Mayorga Oriundus ex Aragonia, in Soc. Coadiutor, arte Pictor, cruce manu prælata Fidem Catholicam Romanam coram Hæreticis profitens, ab ijs præceps in Caput de Nave detrusus, aquis suffocatur die 15.Iul.1570. p.345.398.
XL. Ludovicus Correa Eborensis Scholaris in Soc. In odium Fidei de Navi projectus ab Hæreticis, & mari haustus die 15. Iul.1570. p.368.400.
XLI. Marcus Caldeira, Scholaris Soc. natus in Oppido dicto *Terra da feyra*, Diœcesis Portuensis. prævisam multò ante & prædictam pro Christo necem Liberis, & lætus subit die 15. Iul. 1570. p.326.368.408.
XLII. Michaël Aragonius, natus Guissonæ in Diœcesi Vrgellensi, diu desideratā pro Christo mortem fortiter tulit, anno ab inita Soc. quinto, post tres in studio Theologiæ positos, de Navi præceps in fluctus ab Hæreticis datus die 13. Sept. 1571. p. 490. & seq.
XLIII. Nicolaus Dinis Brigantinus, Scholaris in Soc. quod à puero adhuc Sæcularis sæpe prædixerat, & ingressus Religionem clare affirmavit: se Christi causa occidendum, generosè ab Hæreticis passus est. die 15. Iul. 1570. p.368.401.
XLIV. Petrus Diaz Sacerdos Societatis & Rector quatuordecim Sociorum, confossus ab Hæreticis in odium Religionis & Sacerdotij, mox in mare dejectus obit die 13. Sept. 1571. p.473.
XLV. Petrus Diaz alius Iunior in Societate Clericus, fortiter

Fidem Romanã profitens,& Calvini errores execrans, à Calvinistis in mare demersus aquis haustus moritur die 14. Sept. 1571. p.526.527.

XLVI. Petrus Fernandez Lusitanus, in Soc. Coadjutor Novitius, modestia & fervore pro Christo patiendi mirabilis, dejectus ab Hæreticis in mare suffocatur die 14. Sept. 1571. p.520.

XLVII. Petrus Fontura Bracarensis, in Soc. Coadjutor, In pœnam Crucifixi adorati, percutitur ab Hæreticis acinace quo maxilla ejus inferior cum Lingua exscinditur. Sic cruentus adhuc spirans in mare devolutus aquis sepelitur. die 15.Iul.1570.p.350. 352.403.404.

XLVIII. Petrus Nunnez, non ut Aliqui perperàm scribũt, *Mugnoz*, Patriam habuit Fronteriam, oppidum Episcopatus Elvensis, Scholaris in Soc. ab Hæreticis in mare præceps actus moritur die 15.Iul.1570.p.368.400.

XLIX. Sanjoannes Adolescens Avunculum sequens Navarchum Onerariæ à Sancto Iacobo Nuncupatæ, admitti postulans in Societatem, ejus rei promissionem ab Azevedio accepit: sed hoc mortuo recusata vitæ venia sæpiùs ab Hæreticis oblata, & obtrusa, Veste Societatis induta se Socijs admiscens, cum ijs in mare dejectus suffocatur. die 15. Iul. 1570. p.350. & quinque seq.

L. Simon Acosta Portuēsis in Soc. Coadjutor, benignè oblatam ab Hæreticis Vitam si Societati renunciaret, id renuens, & Fidem Catholicam Romanam generosè profitens, ab ijs jugulatus in fluctus abiicitur die 16. Iul. 1570. p.381.404.

LI. Simon Lopez Vreniensis, in Soc. Scholaris, in odium Fidei abjectus in mare ab Hæreticis, moritur die 15. Iul.1570. p.368. 400.

LII. Stephanus Zuraire ortus è Vasconia, Sartoris officium in Collegio Societatis Placentino laudabiliter exercens, revelatione divina cognoscit & clarè prædicit, se cum Socijs in Nave Brasiliam petente capiendum, & in odium Fidei occidendum ab Hæreticis. Eventus oraculum probavit. nam expugnata à Calvinistis Nave, Crucifixum manu tenens, & Fidem Catholicam profitens, ab ijs submergitur, die 15.Iul. 1570. p.325.345.

INDEX

INDEX SECVNDVS

Rerum Memorabilium in Libros IV. De Vita & Morte Ignatij Azevedij & Sociorum.

A

Aloyſia Grimalda Genuenſis, Vaſci Cotinij uxor, teſtis oculata Cædis Duodecim Sociorum ab Hæreticis factæ, affirmat eam fuiſſe illatam in odium Fidei. Pag. 529.

Americus Veſpucius ad explorandam nuper detectam Braſiliam ab Emanuele Rege miſſus. p. 127. 128.
Toti Cõtinenti Novæ, cujus Braſilia pars eſt, nomen ſuum communicat. p. 129.

Amnes duo, primus *Paræ* ſive *Amazonum* dictus, alter *De la Plata*, hoc eſt Argenti, quaſi duo Brachia Braſiliam amplectuntur. p. 231.

Amnis Sancti Franciſci deſcriptio. p. 136.

Andreas Thevetus Rupellæ Vulgat Narrationem rerum Braſilicarum. p. 282.

Antonij Pinerij Epiſcopi Mirandenſis Viri Clariſſimi, eloquentiſſimi, doctiſſimi, de Nicolao Dinis iudicium. p. 402.

Ataydia Familia in Azevediam transfuſa. p. 3.

S. Auguſtini Promontorium ſuprema cuſpis Trigoni Braſilici Orientem verſus. p. 132. 458.

Azevediæ Familiæ antiquitas & claritas. p. 3.

Azevedius. vide Franciſcus, Hieronymus, Ignatius, Manuel.

B

Baltaſar Alvarez Godoij Novitij Magiſter, ob obſervatum in ejus oculo vitium, procurat ei Miſſionem Braſilicam. p. 416.
Mortuus biennio ante S. Thereſiam non potuit Scripto prodere comunicatum ſibi arcanò ab illa viſum 40. Martyrum. p. 449.

Baptiſmus non niſi diù probatis Braſilis collatus. p. 152.

Bartholomæus de Martyribus O. P. Soc. Collegium Bracaræ fundat. p. 84.

Beatrix de Madureira cum Viro in Matrimonio caſtitatem vovet p. 6.
Die ante decennium prædicta piè moritur. p. 10.

Benearnia Provincia olim pars Regni Navarræ. p. 467.

Braſilia primùm caſu detecta à Petro Alvaro Caprali. p. 124.
A primo inventore nominatur

Terra S. Crucis. p. 127.
A Ligno Brasilo cujus ferax est, vulgari usu celebriorem appellationem accepit. p. 130. 131.
Brasiliæ situs, fines, latitudo & longitudo. p. 131. 132.
Periplus Brasiliæ à p. 133. ad 139.
Cœli & Soli Brasilici qualitas. p. 139.
Brasilarum Gentium numerus, varietas, & mores à p. 140. ad 143.
Brasilis primi omnium Evangelium prædicarunt Patres Soc. Iesu. p. 144.
Septem in Brasilia Societatis Stationes annis quatuordecim fundatæ à p. 145. ad 148.
Peculiares difficultates Prædicationis Evangelicæ in Brasilia à p. 148. ad 153.

C

CHristophori de Govea vitæ in Soc. Iesu laudabiliter transactæ Summa. p. 8.
Christophorus Iaquæus Brasiliam missu Ioannis Tertij Regis Lusitaniæ lustrat. p. 130.

D

DIdacus Fernandez, jejunium bidui solvere incipiens, audito Socios suos in mare ab Hæreticis demergi, repentè omissa mensa ad eos advolans, & ipse demergitur. p. 519.
Natandi peritus per noctem Classi se admovens in unam Navium inobservatus irrepit, Nautis illic se immiscens & pro uno illorum habitus. p. 520. 521.
Expositus à Piratis in ora Gallæciæ Conimbricam se confert. p. 530.
Dilecti cognomen Didaco Perez ob suavitatem morum, dum viveret, inditum. p. 344.

E

EManuël Nobrega cum quinque Socijs ad prædicandum Evangelium in Brasiliam appellit. p. 144.
Quem modum tenuerit in docenda Gente desultoria, semper vaga, nusquam certas habente sedes. p. 145. & seq.
Septem Residentias aut Collegia Soc. summo labore fundat. p. 147. 148.
Lapsum Adolescentis Seminaristę miro modo emendat, à p. 198. ad 202.
Tamuyos infensos Lusitanis Barbaros, summo suo periculo, successu bono adit. p. 195.
Mirantibus & percontantibus Barbaris quomodo posset castè vivere inter continuas peccandi occasiones, saccum plenum cilicijs, flagellis & similibus mortificationis instrumentis monstrat. p. 196.

F

S. FRanciſcus Borgia Azevedium adhuc Theologiæ ſtudentem Primum Rectorem Collegij Vlyſſiponenſis fieri curat.p.49.
Factus Generalis Soc. eundem Viſitatorem in Braſiliam mittit. pag.119.
Inde reducem offert B.Pio V.impetrans ei à Pontifice quæ opus erant pro Braſilia.p.113.
Recuſat indicere ſuffragia pro Azevedio, Martyrem credens. pag.433.
Franciſcus ſuccedit in Maioratu Domus Azevediæ Ignatio fratri melioribus auſpicijs, non interrupta ut prius ſucceſſione, quam in Nepotem hodie ſuperſtitem Franciſcum propagavit.p.20.
Fontis eruptio mirabilis ex altari ubi Sacrum fiebat, in ipſo conſecrationis momento.p.189.

G

GAſpar Gonzalvius viſa trium Sociorum nece, metu paris ſortis, veſte Societatis ignavè abiecta, turbæ ſe nautarum immiſcet: & cum ijs ſtatim demerſus interit. pag.474.
Non propterea planè deſperandum de eius æterna ſalute. p.484.
Gonzalvus Coellius Braſiliam iuſſu Regis Emanuelis luſtrat.p.129.
Gregorius Scrivanus Coadiutor Societatis, ex morbo decumbens cum Socij ad necem irent, raptim injecta ſibi veſte, infirmitatem eluctans, ſequitur.p.358.

H

HEnricus Nunnez de Govea, vitam licentiorē, auditis Franciſci Stradæ concionibus, emendat.p.6.
Liberos utriuſque ſexus plures ad pietatem tam ſolicitè inſtituit, ut omnes ſponte in diverſas Religioſas Familias ſint ingreſſi.p.7.8.
Ignatio Azevedio ſuadet ut non prius Conjugium ineat, quam Dei ſuper ea re voluntatem in ſpiritualibus Exercitijs exploraverit. pag.13.
Morbo ex caritate miniſtrandi peſte affectis contracto, ſanctè moritur, votis Societatis Ieſu emiſſis. pag.9.
Tria ſibi Divinitus revelata & eventu deinde comprobata, Vxori moriens comunicat.p.10.
Cadaver ejus decennio poſt ſepulturam incorruptum & ſuave olens repertum.ibidem.
Hieronymus Azevedius in India militans, dum eſt mortuus ejus frater Major Ignatius, eum ſibi apparentem Glorioſum videt.p.452.
Eum ſibi Patronum adſciſcens, & ejus iconem continuè geſtans, cum dignitates & victorias, tum felicem denique mortem impetrat. p.453.

I

IAcobus Soria (alijs Ioannes Sora dictus) Archithalassus Rupellensium constituitur à Regina Navarræ Ioanna. p.270.
Solvit in Canarias animo intercipiendi in transitu Iesuitas multos quos audierat à Vasconcelio in Brasiliam duci. p.371.
Scriptò se profitetur Hostem capitalissimum Iesuitarum. p.292.
Progreditur cum quinque Navibus ad Insulam Materiam: sed à Vasconcelio inde contrà prodeunte cum decem navibus, fugatur. p.312.
Nave qua Iesuitæ 40. vehebantur, expugnata, post vitam reliquis Deditis concessam, Nominatim iubet omnes Iesuitas interfici, quoniam ij pravam doctrinam papisticam disseminare in Brasilia volebant. p.365.
Ejus crudelitas in tot inermibus necandis, Reginæ Navarræ haud probata. p. 420.
In rabiem actus, maximo adstantium terrore, infelicissimè moritur. p.425.
Idiogus, mendosa Literarum traiectione deformatum nomen ex, Godojus, in Actis Canonizationis S.Theresiæ. p. 409.
Ignatius Azevedius à prima pubertate votum concipit cilicij candidi diù noctuque continuè gestandi in honorem Immaculatæ Deiparæ. p.24.
Huius voti Legitima remissio cū offerretur, ipse id mutari præoptavit in obligationem recitandi quotidie tota vita Rosarij & Officij Conceptionis Immaculatæ. p. 25.
Emancipatus à Patre anno ætatis 19. & liberam magni census administrationem nactus, laudabiliter in omni genere se gerit. p.4.5.
In Exercitijs spiritualibus summo fervore obitis decernit abdicare res & spes humanas. p.17.
Maioratum Azevediæ Familiæ Francisco fratri minori cedit. p.20
Societatem Iesu ingreditur. p.21.
Artes humiles Sartoris Sutoris & similes sui deprimendi & exercendæ caritatis causa, in Tirocinio addiscit, & tota vita exercet. p.23.38.206.
Orationi & mortificationi ferventissimè & perseverantissimè se impendit. p.28.29.
Amissam inde valetudinem miro modo recuperat. p.34.
In studijs prudenter præfert utilia speciosis. p.41.
Fit primus Rector Collegij Vlyssiponensis. p.50.
Provinciæ Lusitaniæ Viceprovincialis præficitur. p.57.
Ejus tum Rectoris insignis caritas in tres miserrimos Infirmo. p.63.
Expetitus ab Archiepiscopo Bracarensi, è Domo Professa S. Rochi Bracaram se confert. p.75.

Vti-

Vtiles ejus ibi labores in Pagis & in Vrbe. p.76.82.92.
Bracarense Collegium primus regit. p.86.
Ejus in isto regimine strenuitas, Caritas, Humilitas, in Deo fiducia, Patientia, Prudentia illustribus exemplis probatæ. p. 86. 87. 94. 95.96.
Barcellæ per quadragesimam cōcionatur mirabili magnarum virtutum exemplo, & Animarum fructu. p.88.91.93.
Pradum amnem imbribus tumidum momento translatus in adversam ripam cum Socio sine Nave traiicit. p. 89.
Cavadum flumen altum & rapidum traiiciens cum multis in Cimba, præsentissimum periculum incurrentis in Cimbam magnæ Arboris eluvione portatæ, à se & alijs mirabiliter depellit. p.98.
Arcana Cordium videt. p.99.
Professionem Votorum quatuor emittit 9. Apr. ann.1564. p. 104. 106.
Mittitur Romam Procurator Indiarum & Brasiliæ. p.115.
Romæ à S. Franc. Borgia Generali imperrat Missionem in Brasiliam. p.116.
Visitator Brasiliæ cum plena potestate à S. Franc. Borgia constituitur. p.119.
Navigans in Brasiliam apud Hesperidas Insulas obiter rem bene gerit. p.122.
In Brasilia Constitutiones S. Ignatij primus promulgat & declarat. p. 157.
Mirabiliter à Monstri Marini periculo se & Socios servat. p.171.
Ianuariense Soc. Collegium à Rege Sebastiano fundatum, inchoat. p.178.
Missionarijs Brasilicis Leges præscribit. p.184.& seq.
Criminationes Malevolorum in Soc. diluit. p.194.
A Congregatione Provinciali Romam Legatus, versus Europam solvit post ferè biennem in Brasilia moram. p.204.205.
Energumenum Bracaræ flagello, Eboræ Rosario, liberat. p. 200. 216.
Romæ imperrat copiam expingendæ Imaginis B. Virginis à S. Luca pictæ. p.213.
Favor in eum B. Pij V. Sum. Pont. p.214.215.
Septuaginta Socios ad Expeditionem Brasilicam per Hispaniam collectos, in Villa Valrosana quinque Mensibus ad perfectionem instituit. p.227.
Magnis ibi è Cœlo consolationibus recreatur, & Epistolas caritate ardentes scribit. p.248.
Solvens Vlyssipone cum 39. Socijs, in Nave formam Collegij Soc. instituit. p.257.& seq.
Nautas & Vectores ibidē utilissimè ad pietatē excolit. p.258.& seq.

In Insula Materia cum Socijs apostolicè laborat. p.265.
Accipit ibi revelationem instantis sibi & Socijs Martyrij ad summam 40. unde quatuor metu mortis recedentibus totidem alios substituit. p.228.301.
Terzacortij in Palma Insula iteratum è Cœlo indicium audit imminentis pro Christo necis. p. 321.
Occiditur ab Hæreticis Fidem Catholicam profitens. p.340.
Nec morienti nec mortuo extorquere queunt Heretici Imaginem Deiparæ. p.340.352.
Corpus mortui in mare deiectum aquis innatat, brachia in crucis formam extendit; dextra Imaginem Deiparę alte sublatam ostentat. p.353.
Post mortem intrans Cœlum cum palma in manu ostenditur in visu S. Theresiæ. p.445.
Apparet statim à morte Minori Fratri Hieronymo Azevedio in Indijs militanti. p.452.
Videt illum moriens in Nave Anglica Captivus Ioannes Madureira Sacerdos Soc. Iesu, è Cœlo ad se consolandum venientem. p.454.
Ioannes Bolæus Hæreticus Catholicum simulans Lusitanos in Brasilia pervertere conatur. p. 278.
Detegitur & confutatur à Ludovico Grana Soc. Iesu Sacerdote. p. 280.
Post simulatam pœnitentiam confessi erroris, iterum in relapsu deprehensus, à Leitonio Episcopo Brasiliæ coniicitur in Carcerem. p. 281.
Toto novennio palàm in Hæresi pertinax, à Mendo Sa Brasiliæ Prætore capitali supplicio affici jussus, Iosephi Anchietæ precibus finalis in morte conversionis gratiam accipit. p.282.
Ioannes Capdevilius Benearnensis, Navem Prætoris Brasiliæ Vascelij expugnat. p.469.
Repertos in ea Iesuitas à venia Deditis cæteris concessa excipit missus ab eo Navarchus. p.501.
Decretum & executioni mandari ceptum novem Sociorum suspendium remittit, spe ab ijs numerandæ pecuniæ. p.502.
Spe frustratus, eos inedia bidui maceratos in mare proiici iubet. p.512.
Revertens præda dives in Patriã, obiter admotus Oræ Gallæciæ captivis inutilibus classem exonerat. p.528.
Paulò post reditum, rixa temerè contracta, ictu securis impœnitens occiditur. p.531.532.
Ioannis Lerij Relatio Eventuum Brasiliensium edita Rupellæ. p. 282.
Ioannes Madureira Henrici Goveæ filius ex optima institutionis domesticæ Disciplina Societatem ingre-

ingreditur. p.8.
Clarus in ea rebus Gestis necem Azevedij obitam pro Christo, versibus celebrat. p. 8. 454.
Dum in Brasiliam navigat ab Hæreticis captus, in Nave moritur, viso prius ad se in Cœlos comitandum apparente sibi Azevedio cum Socijs. p. 8. 454.
Ioannes Calvinus quatuor è suis Geneva mittit in Brasiliam ad suam ibi Hæresim serendam. p. 274.
Ioannes Sancius unus è Comitibus Azevedij, ad Culinæ ministeria ab Hæreticis reservatur. p. 367.
Ducitur Rupellam & ibi Liber dimissus, redit in Lusitaniam. p. 421.
Quòd novenniò post egressus è Societate fuerit, non infirmat ejus fidem testimonij, ex quo multa hac Historia narrata, sunt cognita. p. 422.
Iosephus Anchieta scribens ad S. Ignatium summam Piratiningani Collegij Paupertatem ostendit, ea gaudens & glorians. p. 154.
Angelica puritate inter obscœnissima Gentis spurcissimæ exempla vivit. p. 196.
Ejus de Azevedio judicium. p. 173.
Ioannem Bolæum Hæreticum relapsum, & novem in carcere annis contumacem, in morte ad resipiscentiam miro successu disponit. p. 282.

L

LEo Henricius spectaculo charitatis Azevedij in Ægro curando mirè movetur. p. 65.
Leonardus Nunnius è Brasilia missus ad S. Ignatium, naufragio perit. p. 120.
Lucas Pinellus Sacerdos Soc. Iesu quid Geneva transiens audierit: quasque invitationes ad Apostasiam repulerit. p 286. 288.
Ludovicus Gonzalvius Assistens Lusitaniæ Roma evocatur à Catherina Austriaca Sebastiani Regis Matre, ut sit Magister eiusdem Sebastiani. p. 220.
Mandatum accipit à B. Pio V. procurandi Matrimonium Regis Sebastiani cum Margarita Valesia Caroli IX. Regis Galliæ Sorore. p. 221.
Id etsi quantum poterat fecisset, frustrà, ob contrarios quorumdam conatus, Roma monitus queri de se Pontificem quasi mandatum neglexisset, suadet mitti à Rege Sebastiano Azevedium Romam cum mandatis super hoc. Sed res disijcitur. p. 222.
Ludovicus Grana Superior Residentiæ S. Vincentij, Bolæum Hæresim ibi spargentem deregit & confutat. p. 280.
Ludovicus Vasconcellius Prætor destinatur in Brasiliam. p. 223.
Solvens benignè Azevedio offert receptum in suam Classem ejus & Cun-

Cunctorum Sociorum. p.250.
Eam deinde Azevedio gratiam pro tribus & viginti tantùm suorum acceptante, cum his solvit Vlyssipone Vasconcelius.p.256.
Materiam appulsus cognoscit de Classe Piratarum Rupellensium circum Canarias vagante. p.266.
Classi Piraticæ Navium quinque ad Materiam prodire ausæ, Prætor Vasconcelius cum decem contra navibus occurrit, & eam fugat. p.312.
Solvens è Portu Materiæ cum Classe regia versus Brasiliam gravi pestilentia conflictari suos dolet ad Caput viride.p.456.
E Brasiliæ conspectu & proxima vicinia bis vento repulsus, Angram ægrè se recipit. p.458.
Classe in unam redacta Navem, vela dat è Portu Angrensi in Brasiliam 6.Sept.1571. p.463.
Oppugnatus à quinque Navibus Piratæ Capdevilij, fortissimè dimicans occiditur. die 13. Sept. p.469.470.

M

MAlafaya vetus stirps in Azevediam transfusa.p.3.
Manuel Azevedius Ignatio Primogenito adhuc 19. annorum adolescenti, Liberam Maioratus administrationem permittit. p.4.
Maragnonium Insula Brasiliæ. p. 133.
Martinus Alphonsus de Sousa Missu Regis Ioannis III. diligentissimè Brasiliam explorat. p.130.
Michaël Aragonius adhuc adolescens sæcularis, accepta publicè iniquissimè alapa, Amicos ulcisci volentes cohibet, prostratus in genua malam alteram Percussori cædendam obvertit. p.491.
Quinto initæ Societatis anno, studij Theologici tertio, in Azevedij Comitatum adsciscitur. p.492.
Relictus in Insula Materia, cognoscit ex oculatis Testibus, & ad Socios Valentinos scribit, Azevedij & Sociorum necem; inconsolabiliter deflens amissam occasionem pro Christo moriendi. p. 494.
Vide reliqua in priore Indice.

N

NIcolaus Durandus Villagagno facultatem à Carolo IX. impetrat Novæ Coloniæ in aliquo non occupato Americæ litore fundandæ.p.272.
Vt favorem ad id sibi necessarium Amiralij Colinij concilict, huic promittit effecturum, ut secundum Calvini Leges in ea Colonia viveretur.p.273.
Occupat Insulam ad fauces fluminis Ianuarij, Arce in ea constructa, quam Colinianum Munimentum vocat. p.273.274.
Scribit inde ad Calvinum Hæresiar-

ſiarcham orans ut ſuæ ſectæ Magiſtros ad ſe mittat. p. 274.
Miſſos à Calvino quatuor Hæreſeos Doctores excipit, à quibus palàm celebratę Calviniſticę Cœnæ intereſt. p. 275.
Ob hæc increpitus à Cardinali Lotharingo Miniſtros abigit. p. 278.
Videri poteſt ſeriò emendaſſe quæ homo militaris per imprudentiam in Religione peccaverat. nam impensè laudatur ab Hiſtoricis Luſitanis. p. 277.

O

ORphana Puella Sebaſtianum Lopez opportuno dicto à necis periculo liberat. p. 526.
Orphanarum Cura Franciſco Caſtrio committitur. p. 256.
Orphanus puer, cujus nomen ignoratur, Petro Diazio ab Hæreticis in odium Fidei occiſo indivulsè adhærens, ſimul cum eo confoſſus moritur. p. 477.

P

PEtri Craſſi militis Hæretici Carnificis Catholicorum, pœna mors infelix. p. 532.
Petrus Diazius è Schola Theologiæ in Culinam relegatus à Præpoſitis, non alia quàm ejus probandi cauſa: per annum ibi miniſtrat ſumma ſedulitate & pace. p. 485.
Procurator Collegij Conimbricenſis nuſquam interrupta mentis cum Deo conjunctione res prudenter jgerit. p. 486.
Pacandarum perturbationum in ijs quos confitentes audiret miram habuit gratiam. p. 488.
Cætera vide in priore Indice.
Petrus Fernandez Sardina primus Epiſcopus Braſiliæ, cum centum Comitibus, voratus ab Anthropophagis Braſilis p. 150.
Petrus Leitonius Epiſcopus Braſiliæ. p. 168.
Ioannem Bolæum Hæreſim inter Luſitanos ſerentem Carceri mancipat. p. 281.
Petrus Lopez de Souſa Miſſu Regis Ioannis III. Braſiliam luſtrat. p. 130.

Q

QVadrageſimæ conciones qua contentione, quanta abſtinentia, quo ſucceſſu obierit Azevedius Barcellæ. p. 88. 91. 93.
Quadraginta, ſe ijs annumerato, Socios ſecum odio Fidei necandos bis divina revelatione præcognoſcit Azevedius. p. 228. 301. 321.
Quadragenarium numerum, uno Sociorum neci ſubtracto, quis ultrò ſubintrans expleverit. p. 351. 352. & ſeq.
Quatuor è Percuſſoribus Azevedij cæcitate ſubita percuſſi. p. 340.
Quatuor à Calvino miſſi Hæreſeos Ma-

Magistri Cœnam Calvinisticam in Brasilia celebrant: sed mox inse discordes, inde eiiciuntur. p.276. 278.

R

Rodericus de Acugna Archiepiscopus tunc Bracarensis, postea Vlyssiponensis, nominat Azevedium Martyrem in Libro edito. p.429.
Idem iuratus affirmat: Constitutionem B. Pij V. qua meminit quorumdam è Soc. *qui se ut verbum Dei efficaciùs in Indys Occidentalibus plantarent, voluntario Martyrio supposuerint* designare Azevedium & Socios. p.439.
Asserit etiam pariter iuratus, quatuor è percussoribus Azevedij cæcitate subita percussos. p.340.
Ingens ejus probitas autoritas & eruditio. p.440.

S

S. Sebastianus peculiaris Brasiliæ Patronus. p.164.
Ejus ope cum alias multas Lusitani Victorias de Barbaris reportarunt: tum mense Iulio anni 1566. quatuor Lembis Classem hostilem plus centum & octoginta navium fugarunt. p.164.
Die ipsius Festi anniversario Lusitani duas Arces Barbarorum munitissimas expugnant anno 1567. p.165.
Ex eo nominatur Nova Vrbis condita ad flumen Ianuarium, Sebastianopolis dicta. p.178.
Sebastianus Lusitaniæ Rex Azevedium maximi facit, & eum cum mandatis arcanis mittere Romam destinat. p.218.222.
Ex Azevedij consilio multa in usu Brasiliæ decernit. p.209.210.
Collegio Soc. in Vrbe S. Salvatoris Bayensi annuum vectigal attribuit. p.153.
Collegium Novum magnum in Nova Vrbe Sebastianopoli fundat. p.179.
Sebastianus Lopez post bidui inediam se reficiens, audito Socios ab Hæreticis demergi, ad eos properans fit fortis ipsorum particeps. p.519.520.
Multis horis innatans, piæ mortis trium Sociorum testis efficitur. p.522.523.
Inde post noctem mediam Classi Malacia tardatæ natatu se admovens, ab ejus ingressu repellitur. p.525.
Receptum tandem nactus in Scapha, Clam in Navem quæ fuerat Vazconcelij irrepit. p.526.
Expositus in Ora Gallæciæ, Conimbricam & inde Vlyssiponem se confert. p.528.530.
Relatio ab eo dictata, & Romam missa, Historiam Necis pro Christo duodecim Sociorum docet. p.462.524.

Semi-

Seminariorum in Brasilia necessitas, difficultas, usus, successusque optimus. p.153.202.

T

TErzacortij Palmæ Insulæ Pagi Toparcha humanissimo hospitio Azevedium & totum ejus Comitatum excipit diebus quinque. p.309.317.327.

V

VEstem Societatis, ex morbo decumbentes Gregorius Scrivanus & Alvarus Mendez, raptim induunt ne occasionem Martyrij amittant. p.358.

Veste Societatis ignavè abjecta Gaspar Gonzalvius sibi mortem quam timebat accelerat, & ejus Decus infeliciſſimè amittit. p.474.

Vestem Societatis forte repertam induit Sanjoannes Adolescens, & per eam adipiscitur gloriam toleratæ pro Christo necis. p.374.

	Errata	*sic Corrige*
P. 32.v.23.	proscriptis	præscriptis
P.394.v.16.	omonymiam	homonymiam
P.575.v.28.	aspernendam	aspernandam
Ibid.v.33.	contiuui	continui

